




SBÍRKA PRAMENŮV

KU POZNÁNÍ LITERÁRNÍHO ŽIVOTA

V ČECHÁCH, NA MORAVĚ A V SLEZSKU.

VYDÁVÁ

III. TŘÍDA ČESKÉ AKADEMIE CÍSAŘE FRANTIŠKA JOSEFA

PRO VĚDY, SLOVESNOST A UMĚNÍ V PRAZE.

SKUPINA DRUHÁ:

KORRESPONDENCE A CIZOJAZYČNÉ PRAMENY.

ČÍSLO 2.

VZÁJEMNÉ DOPISY JOSEFA DOBROVSKÉHO A FORTUNATA DURICHA Z LET 1778—1800.



V PRAZE.

NÁKLADEM ČESKÉ AKADEMIE CÍSAŘE FRANTIŠKA JOSEFA PRO VĚDY, SLOVESNOST A UMĚNÍ.

1895.

KORRESPONDENCE JOSEFA DOBROVSKÉHO.

DÍL I.

VZÁJEMNÉ DOPISY

JOSEFA DOBROVSKÉHO A FORTUNATA DURICHA

Z LET 1778-1800.

K VYDÁNÍ UPRAVIL

ADOLF PATERA.

V PRAZE.
NÁLKLADEM ČESKÉ AKADEMIE CÍSAŘE FRANTIŠKA JOSEFA
PRO VĚDY SLOVESNOST A UMĚNÍ.
1895.

Tiskem J. Otty v Praze.

K nejslovutnějším učencům národa našeho ke konci XVIII. a na počátku XIX. století náležel zajisté Josef Dobrovský, o čemž kromě jeho hojných spisů nejlepší svědectví podává též jeho velice rozsáhlá a obsahem bohatá korrespondence, kterou po celou dobu svého života udržoval nejen s vynikajícími muži národa českého, ale i s učenými spisovateli jiných národů, kteří se k němu obraceli ve věcech vědeckých, žádajíce od něho poučení.

Již v letech sedmdesátých obíral jsem se korrespondencí Jos. Dobrovského a, seznav její důležitost ku poznání národního a literárního života zejména u nás v letech 1778—1827, počal jsem shledávati dopisy tyto a je přepisovati. Avšak nemoha tenkráte najíti nakladatele, který by sebranou sbírku dopisů J. Dobrovského a od jiných učenců jemu zaslaných tiskem vydal, byl jsem nucen odložiti vydání její na dobu příznivější.

Když r. 1879 p. dvorní rada prof. dr. I. V. Jagić počal uveřejňovati v časopise »Archiv für slavische Philologie« (IV. str. 516—527) listy Jos. Dobrovského k B. Kopitarovi, zaslal jsem jemu své přepisy dopisů Kopitarových k Jos. Dobrovskému, které byly částečně otištěny v témž časopise a sice v díle IV. na str. 670—693 a v díle V. na str. 275—303 a úplně vydány r. 1885 v Petrohradě zároveň s listy J. Dobrovského: **Письма Добровскаго и Копитара въ повременномъ порядкѣ** (**Сборникъ отдѣленія русскаго языка и словесности им. Академіи Наукъ т.** XXXIX) str. CVII. 751.

Nyní když slavná III. třída České Akademie počala vydávati sbírku pramenů ku poznání literárního života v Čechách, na Moravě a v Slezsku, a poněvadž dle pravidel pro vydávání těchto pramenův má hlavní péče věnovati se korrespondenci spisovatelů domácích, zejména z konce XVIII. a z první pol. XIX. stol., naskytla se nejvhodnější příležitost korrespondenci Josefa Dobrovského uveřejniti a tím přístupnou učiniti každému, koho náš literární život té doby zvláště zajímá.

Podávaje v tomto prvém díle velice zajímavou korrespondenci J. Dobrovského s F. Durichem z l. 1778—1800, pokládám za svou povinnost aspoň krátce vylíčiti zde život a působení Fortunata Duricha, odkládaje vylíčení života a zásluh Josefa Dobrovského na základě *celé* dosud mnou sebrané jeho korrespondence do posledního dílu této publikace, kde též bude podán úplný chronologicky spořádaný seznam všech jeho a jemu zaslaných dopisů.

Václav Michal Durich, klášterním jménem Fortunat zvaný, narodil se dne 28. září r. 1735 v Turnově, kde jeho otec byl chudým kameníkem. Odbyv školu ve svém rodišti, poslán byl V. Durich do piaristského gymnasia v Kosmonosích u Mladé Boleslavi, odkud pomocí svých ujců farářů Františka a Samuele Vodsloně vstoupil v Tachově do řádu pavlánského, kde složil slavný slib dne 29. září 1751 a kde měl dne 29. září 1758 svou primici. Podrobiv se zkoušce z celé hebrejské bible, vyučoval po několika letech nejdříve ve Vídni řeholní své bratry bohosloví a východním jazykům, potom r. 1763—1765 v Mnichově a konečně v Praze, kde byl zároveň několikráte spolurektorem a posléze po tři léta generálním vikářem řádu pavlánského. V Mnichově vydal co výsledek svých studií hebrejštiny roku 1767 tiskem první svůj spisek: »Dissertatio philologica de vocibus Hhartymmim et Belahatchem; Exod. VII. 11« (ve 4^ce o 20 str.) a zde též začal svá studia slovanská, povzbuzen k tomu Mnichovským bibliothekářem Ondřejem Felixem Oefelem, v kterýchžto studiích v Praze horlivě pokračoval, seznámiv se zde zejména s Jos. Dobrovským, Fr. M. Pelclem a Adauktem Vojgtem a j. J. Dobrovský seznámil se blíže s Durichem, když tento vyučoval v letech 1776—1784 na universitě Pražské hebrejštině. Píše o tom Dobrovský v nekrologu F. Durycha, jejž podal kr. České Společnosti nauk a který byl otištěn v »Abhandlungen« této Společnosti (III. Folge, I. Band, pag. 31—41) na str. 33 a 34 takto: »Schon ein Mann von mehr als vierzig Jahren lernte er mit mir die arabische Sprache. Bald suchten wir alte hebräische Grabschriften auf, bald verglichen wir hebräische Handschriften, wenigstens in wichtigen Stellen, für de Rossi's Variantensammlung.. Gleiche Studien verbanden uns immer näher. Allein so lieb ihm auch die Betreibung hebräischer Philologie war, so hatte er doch mehr Hang für slavische Literatur und einen lange gefassten Vorsatz, sich dieser bei müssigern Stunden ganz zu widmen. Er unterliess es auch nie, mich auf dieses sein Lieblingsfach nebenher aufmerksam zu machen und dafür immer mehr und mehr einzunehmen. Mir bleibt sein lehrreicher Umgang, so wie sein erbaulicher Wandel allen, die ihn kannten, unvergesslich.«

Po zrušení řádu jesuitského stal se Durich též examinatorem z řečtiny a hebrejštiny při zkouškách přísných a ze všech předmětů bohosloveckých při zkouškách obyčejných na universitě Pražské, kterýžto úřad zastával až do roku 1784.

V Praze vydal r. 1771 spisek pod názvem: De originibus templi Salvatoris et monasterii Fratrum Minorum S. Francisci de Paula Veteris Pragae specimen historicum (v 8^ce str. 114) a r. 1777 rozpravu o česko-slovanském překladě písma svatého: De slavo-bohemica sacri codicis versione dissertatio (v 8^ce str. 56).

Roku 1778 bylo Durichovi a Faustinu Procházkovi od arcibiskupa A. P. hraběte Přichovského uloženo nově upraviti k vydání českou bibli, čehož se Durich s velikou horlivostí ujal a kteroužto práci k úplné spokojenosti r. 1780 s F. Procházkou dokončil.

Když byl r. 1784 dne 28. září v Praze pavlanský klášter zrušen, žádal Durich, by mu bylo dovoleno konati studia v císařské dvorní knihovně ve

Vídni, což se i stalo. Přišed na konci července roku 1785 do Vídně, mohl teprv na konci zimy ve dvorní knihovně započíti svá studia, prohlížeje tam zejména pilně staré slovanské rukopisy a tisky, při čemž mu byl svou radou obzvláště nápomocen úředník této knihovny M. Denis. Rovněž mu byl nápomocen při jeho studiích ve Vídni Josef Zlobický, jakož i jeho přítel Josef Werschhauser, Maxmilian Šimek a prof. Fr. Alter. I s jinými vynikajícími Slovany ve Vídni vstoupil v přátelské styky. K návrhu svých přátel v Praze zvolen byl dne 11. února roku 1786 za přespolního člena Král. České Společnosti nauk, kteréhožto vyznamenání si po celý svůj život velice vážil.

Po celou dobu svého pobytu ve Vídni sbíral stále v cís. dvorní knihovně učený materiál ke svému dílu a dlouho nemohl se odhodlati k uveřejnění nějakého spisu, nemaje k tomu dosti odvahy a obávaje se, aby něco nedokonalého nepodal veřejnosti. Zamýšlel své dílo vydati pod názvem: »De subsidio criticae et hermeneuticae sacrae necdum culto, in Cyrillicae versionis Slavorum Veteris et Novi Testamenti natura et usu proposito libri quinque«, a k naléhání Dobrovského odhodlal se roku 1792 vytisknouti aspoň nákres celku, o čemž podal hned zprávu J. Dobrovský na str. 2. obsahu své »Geschichte der böhmischen Sprache und Literatur« takto: »Bei dem Abdrucke des letzten Bogens erhielt ich den Entwurf einer slavischen Bibliothek, woran H. Fortunat Durich zu Wien seit vielen Jahren arbeitet. Sie wird in fünf Bänden unter dem Titel ‚Bibliotheca antiquissimae dialecti, communis et ecclesiasticae, universae Slavorum gentis' erscheinen. In dem ersten Bande, der die Einleitung enthält und nächstens gedruckt werden soll, wird auch von der böhmischen Sprache im letzten Kapitel gehandelt. In einem besondern Anhange gedenkt der Verfasser die ältesten böhmischen Denkmale aus der k. k. Hofbibliothek zu liefern. Ihre Aufschriften sind: I. Fragmentum membranaceum dimidii folii Passionalis rhytmici saeculi XIII. II. Evangeliarium bohemicum, cujus septem τμήματα seu pensa, heic proferuntur; glossemata vero ex toto MS^{to} chartaceo collecta observationibus illustrantur.«

Roku 1795 konečně vyšla ve Vídni prvá část prvého dílu slovanské bibliotheky nákladem Stěpána Novakoviće, v nižto pojaty jsou toliko první tři kapitoly, a připsána byla Durichem Král. české Společnosti nauk.

Za svého pobytu ve Vídni vypomáhal též v cís. dvorní knihovně a sepsal katalog hebrejských spisů tamž chovaných. Když byl Vídeňský konvent pavlánský, v němž Durich nalezl své útočiště, roku 1796 zrušen, odebral se do svého rodiště v srpnu téhož roku a koupil tam pro svého bratrovce domek a pozemek, který upravil v zahradu. Vyčerpav tím svou peněžní úsporu žil v Turnově dosti nuzně a byl hmotně podporován Jos. Dobrovským. K přímluvě Vídeňských přátel dostalo se mu vyzvání dvorním dekretem ze dne 10. prosince 1796, zda-li by nechtěl ve svém díle »Bibliotheca slavica« pokračovati, používaje k tomu ve Vídni cís. dvorní knihovny, kdyby k jeho pensi 300 zl. mu byl poskytnut přídavek 100 zl. Ve své odpovědi ze dne 10. března 1797 prosil Durich, by směl užiti podpory při skládání spisu v Turnově, neb nasbíral za dvacet let hojně materiálu, a poukázal k tomu, že, jakmile nabude lepšího zdraví a prostředkův a ukáže-li se při jeho práci toho naléhavá potřeba, by osobně užil knihovny dvorní, vydá se na cestu do Vídně.

K vyzvání z nejvyššího dvorního úřadu podala Král. Česká Společnost nauk velmi příznivý úsudek o Durichově bibliothece slovanské a prosila, by byl spisovatel povzbuzen pokračovati v tomto díle. Následkem toho dostal Durich dne 1. června 1797 přípis, že nejvyšším rozhodnutím ze dne 30. dubna Jeho Veličenstvo ráčilo mu povoliti k jeho pensi 300 zl. přídavek roční 200 zl. z fondu studijního. Avšak i potom žil Durich v nouzi, čehož zajisté byla hlavní příčina ta, že příliš obětovně podporoval své chudé příbuzné. Přese všechno to neustával pokračovati ve svém díle, dokonal druhou část jeho r. 1800 a poslal ji do Pešti, kde však tisk díla toho hned na počátku uvázl a rukopis se ztratil.

Raněn byv mrtvicí na počátku r. 1800, nemohl Durich ani svým přátelům na jich dopisy odpovídati a zemřel dne 31. srpna roku 1802, odkázav svou korrespondenci a sebraný věcný materiál v šesti svazcích Jos. Dobrovskému.

O listech Durichových zmiňuje se Dobrovský ve svém výše připomenutém nekrologu takto (na str. 40—41): »Da ich nun seine gut und schön geschriebenen Briefe literärischen Inhalts, die der Selige seit fünfzehn Jahren an mich erlassen hat, aufbewahrt habe, und mit Grunde vermuthe, dass auch andere Freunde und Gönner von ihm noch welche von seiner Hand besitzen mögen, die des Aufbewahrens werth sind; so ersuche ich hiermit geziemend die Besitzer derselben, mir selbe gefälligst mittheilen zu wollen, um davon einstens zum Besten der Liebhaber der slavischen Literatur Gebrauch machen zu können.«

Listů Dobrovského k Durichovi z let 1778—1800 zachovalo se nám 88 a listů Durichových 75. Bohužel není tato sbírka úplná, tak zejména hned první list Dobrovského byl již za živobytí Durichova pohřešován, jak z číslování Durichova těchto listů patrno. Listům těmto přičinil již r. 1792 Durich následující nápis: »Commercium epistolarum Fortunati Durich cum cl. viro Josepho Dobrovský, soc. scientiarum Bohem. membro ordinario causa illustrandae rei literariae Slavorum cum primis biblicae et ecclesiasticae. Ex anno 1778 epistolae XXXII^ae^ usque ad 24 Sept. a. 1790 a praefato J. Dobrovský ad me datae; totidem ego ad eum dedi, ad quas ille tomo septimo *novae Bibliothecae orientalis* cl. Michaelis pag. 166 provocat. Inde jam usque ad 24 Maji a. 1791 una cum praecedentibus Nro XXXVI. Porro una cum praefatis usque ad 9^em^ Maji anni 1792 No XLII^ae^. Ego totidem ad illum dedi una cum quaestionibus slavicis ad illustrandam rem literariam Slavorum, quas die 2da Maji 1792 Pragam misi, unde is die 10 ejusdem mensis iter slavo-literarium in Sveciam et Russiam instituit. Hamburgo die 15 Junii obtinui die 3 Junii datam.« Na hořejším okraji připsal Durich: »Thesaurus meus literarius omni aere mihi pretiosior.« Též se při této sbírce zachovala jedna stránka, na které počal si Durich znamenati obsah listů Dobrovského: Summa epistolarum Dobrovskyi slavo-literalis (epist. VI—XVI). Sbírka listů těchto chová se nyní v knihovně Musea království Českého v oddělení rukopisném (sig. VIII. E. 16).

Podávaje u veřejnost prvý díl korrespondence Dobrovského, dovoluji si připomenouti, že jsem hleděl především k tomu, aby listy byly otištěny co možná věrně a správně, což bylo při listech Durichových někdy zběžně

a nesprávně psaných s velikými obtížemi spojeno; rovněž velké obtíže činil otisk značek a liter z cizích abeced vyskytujících se zejmena v listech Durichových, jimiž tiskárny v Praze nejsou dosti zásobeny. V dodatku na str. 448 otištěn jest list bez označení roku ze starší doby, ve kterém pouze udán den a měsíc (29. září), rovněž i list Dobrovského ze dne 25. května 1786, který jsem nalezl mezi jinými dopisy teprve, když tisk tohoto dílu již značně pokročil. Pod č. 3. v dodatku konečně otištěn přípisek Dobrovského k Durichovi na zvláštním lístku, o kterém těžko zjistiti, v které době byl psán.

Jsa v poslední době stižen očním neduhem, nemohl jsem tak rychle prohlížeti korrektury, jak bych si byl přál; při sestavování rejstříku, ve kterém jsou uvedena jména osobní, místní a důležitější věcná, byl mi pomocen p. Jos. Cvrček, kand. gymn. professury.

Konečně pokládám za svou povinnost vzdáti své srdečné díky pp. vysoce důstojnému univ. prof. ThDru. Jos. Pachtovi, professoru Antonínu Truhláři a archiváři musejnímu V. Schulzovi za laskavou pomoc, kterou mi při obtížných korrekturách vydání tohoto ochotně prokázali.

I.

1778 — 23. května. Odpověď Durichova na nyní ztracený list Dobrovského ze dne 20. května, v které mimo jiné zmiňuje se o zbytku evangelia sv. Marka a o recensi Ungarova vydání Balbínovy »Bohemia docta«.

Fortunatus Dobrowskyo s. p. d.[1])

Gratissimae mihi fuerunt tuae literae, quas vicesima die hujus mensis accepi. Gaudeo vehementer, tibi vero gratulor de monumentis rei literariae in bibliotheca Veteroboleslaviensi inventis; atque ut porro humanitate illius humanissimi capellani uti possis, ex animo precor. Primi Truberi [illegible] opera Stephani Istriani Tubingae 1561 literis glagoliticis excusum summa cum gratiarum actione tibi remitto, observatis omnibus praeceptis tuis, quibus me cautum esse jussisti. Auxisti hac tua benignitate adversaria mea slavonica, immo tibi nunc debeo notitiam originis primae in Germania typographiae glagoliticis literis instructae. Sed, quod scribis, te male audire Pragae ob Marci autographum, tantum ex te scio; si contigerit ex alio scire, non te celabo rem ullam. Mirari tamen satis nequeo ingenium nostri soli, ut etiam in odium occalluisse videantur nonnulli, dum recte sentientium meliores conatus nescientes damnant. Sed tu *recordatus multum et diu cogita, argumentaque in pectus multa institue;* tu et Pelzel noster *volutate et diu disputate,* Terentianum Philolachen industria aemulantes, quo modo id fieri possit, ut nos barbaries pestilenti quodam sidere non adflet?

Dic, quaeso! d. Pelzel salutem, meque penitus ignorare auctorem illius recensionis nuncia eidem; nec esse quidquam aliud mihi notum, nisi quod ipse P. Raphael[2]) suspiciose existimet: vel d. Pelzel, vel te, vel P. Leopoldum auctorem esse illius recensionis;[3]) immo nuper etiam de Scherschnikio suspicabatur. Ex me et P. Faustino[4]) volebat scire auctorem, magnoque ejus notitiae desiderio eum teneri nuper observavimus: sed nos etiamsi scimus, tantum notitiae cum illo communicaremus, ut scire desideraret magis. Quod ad P. Faustinum attinet, lubenti animo ille suscipit hanc sibi oblatam provinciam; sed societatis privatae et nomine, et mutuo labore, seu collata opera; hoc enim fine ego eidem omnes meas chartas describendas tradidi jam ante annos quatuor, quas ille sua industria plurimum auxit, ordine atque

[1]) t. j. salutem plurimam dicit. — [2]) P. Raphael Ungar. — [3]) V »Prager Intelligenzblatt« 1778, St. 19, p. 147—148. — [4]) P. Faustinus Procházka.

serie elementorum in grandi volumine ita descripsit, ut *Bibliothecae nationalis*, ut vocant, specimen sit minime contemnendum. Itaque in oblata provincia, supplementa, quae vos putatis conscribenda, nostro consilio mutantur in *Bibliothecam*; reliquum est, ut vos mature respondeatis, num haec methodi commutatio vobis placeat.

Quid nos ad recensionem istam? sic accipe: auctor recensionis videtur innuisse ex I. de officiis: »deforme etiam esse de se ipso praedicare, falsa praesertim, et cum irrisione *legentium* imitari militem gloriosum«. Rogamus, expendatis ista Praef. pag. 3. verba: »ubi de viris doctis et literatis Bohemiae Balbinus agit, ampliorem restare mihi segetem arbitratus, ut qui et *scirem neminem* mihi hoc in curriculo praecurrisse, et qui simile quid scriberet praestaretque, haud fore aliquem *securus cogitarem*«. Sed plura ad te dabo per otium; et si rescivero, quid publicum, vel quid ipse P. Raphael sentiat, perscribam. Quomodo me circumvenerit P. Raphael in communicanda notitia anni consularis Pitlikii et Kramarzii, alio commodiore tempore perscribam. Cura, ut valeas. Pragae, 1778. die 23. Maji.

II.

1778 — 18. června Dobrovský píše Durichovi o Ungarově vydání Balbínovy »Bohemia docta« a zejména vystupuje proti tvrzení Ungarovu stran věku překladu české bible a rozepisuje se o významu »slovanský jazyk«.

Reverende Pater!

Tu laboras, tu sudas, omni ex parte conquirendo monumenta tum slavica, quum boemica, ut tibi tandem aliquando de origine versionis boemicae certius quid, quam hactenus, innotescat. Memini te ex conjectura timideque de his mecum saepius collocutum, nunc vero te aliter sentire aut majorem te assecutum certitudinem cogor credere. Non tamen credo, cum, quam cautus sis in discernenda rei veritate a conjectura, sciam optime Notam 328. in Bohemia docta ex edit. multum praestantiori P. Raphael Ungar cum legissem, agnovi primo intuitu a te habere multa; multa item, quae tua esse non possunt, saltem sic proposita, quia mihi displicuere; tua enim mihi non solent, praesertim a te caute dicta, displicere. Age vero, quaenam ista sunt; da mihi hanc veniam, ut, qui absum, tecum confabulari possim liberius. *Immane falsum* dicit P. R., *esse*: *gentem nostram ante an. 1283 translatione bibliorum boemica caruisse*, ergo certissimum esse debet, bibliorum versionem boemicam majores nostros ante an. 1283 habuisse. At unde certum est? quia in Boemia seculo XI. ad ritum slavicum pertinentes extabant codices slavici? ubi illos constat extitisse? in monasterio Sazaviensi. Sed hi libri deleti sunt — constatne adhuc alibi aut ritum floruisse slavicum, aut codices extitisse? certe non constat — *dicit* deinde esse opinionem probabilem: *latino ritui addictos Boemos antiquato ritu slavonico versionem SS. Cyrilli et Methodii ad normam latini c. reformasse.* Argumentum non leve repetit ex editis codicibus slavolatini ritus; quid hi ad Boemos? Boemine mutarunt quidquam? Immo vero constat, qui et quando hanc mutationem induxerint, qui Boemi non fuere. Balbinum recitat;

Balbino ex parte consentio in hoc nempe: quod ante annos 300 (plus, minus) adornata sit versio, quae inter vetusta Mss. reperitur. (Neque hic ex levissima conjectura legendum: *alia.*) Philonomi specimen Psalmorum adducit, — qui antiquiorem ac illa sit, quae in cod. sec. XIV. habetur, *se vidisse perhibuit* — utinam hic additum esset: integramne viderit bibliorum versionem, an Psalterium aliquod vetus, quo forte Slavones in Emaus usi sunt. Codices sec. XIV. ad finem seculi referendi sunt, partim ex iis, quae Balbinus dicit, partim ex infra dicendis, jam si Psalmi a Philonomo adducti centum annis antiquiores sint, ad annum 1283 aut circa hunc annum referri poterunt. Horum *Psalmorum* (dicit, tu dixisti potius) *dialectus antiquiora in se complectitur vocabula, quae ad literalem linguam slavonicam propius accedunt.* Idem de libello Catonis et multo magis de Chronico Dalemili affirmari licet, qui paulo ante 1283, anno nempe 1278 pugnas jam spectare solebat, ut ipse testatur, licet Chronicon ipsum ad annum 1314 usque perductum sit. Inde jam haud incongrua deduci potest conclusio: majores nostros commutatis subinde vocabulis etiam versiones commutasse. Si commutatis vocabulis versiones commutare necesse fuit, certe ex versione aliqua, quae ante eam, quam in Mss. boemicis offendimus, extiterit. Iam quis affirmare audeat ante boemicam aliam extitisse? ubi? quo teste stat assertum? ex monasterio Sazaviensi vix ullus liber relictus est, quia deleti sunt. Ergo jam XI. seculo mutatio haec facta est? quamdiu nempe extabant codices Sazavienses — a quo? quis testatur? obsecro, mi Pater, lege integram hanc notam 328 semel, atque iterum, et dic, an velis haec tua esse, ut ibi sunt proposita. Non conjecturam, non probabilem opinionem ibi legas, sed patentem rei veritatem, cujus oppositum immane falsum sit.

Jam quomodo me refutet in literis 13. Junii ad me datis, accipe, ita ille: seculo XI. ritus slavicus incorrectus perstitit apud nonnullos religiosos: *ergo* ritu slavico res divina aliquando agebatur prius, quam ille corrigeretur. Ist das eine gute Folge? (si addas in consequenti: apud nonnullos religiosos, ut magis sensus restringatur.) Weiter: Si ritu isto aliquando res divina agebatur: Ergo ad ritum illum pertinentes extabant codices slavici. Ist denn dieses auch eine gute Folge? (si et in antecedenti et in consequenti addas: apud nonnullos religiosos. Monachus Sazaviensis schreibt: libri linguae slavicae eorum deleti omnino et disperditi: ergo antequam delerentur, extabant [hic mihi addere liceat: ergo postquam delerentur, non amplius extabant] probo et prius consequens). Und auf alle diese 3 Ergo noch ein Subsumtum: Ergo in Boemia servabantur ritus slavici exemplaria ipso anno 1283 vetustiora, — adde: apud nonnullos religiosos, quae deleta postea sunt. Post pauca: aber aus den oben 3 angeführten Gründen folgt es doch: also hat es in Böhmen böhmische Bibeln in 10. seculo gegeben. Tribus laborat vitiis haec ultima conclusio: 1mo in praemissis est seculum XI. et quidem finis ejusdem, in conclusione hac ascendit ad X. 2do *boemica*: in praemissis est: *slavica*, neque seculo XI. boemica et slavica confundi debent, nisi probetur monachum Sazaviensem per slavicam linguam intelligere boemicam vulgarem, qua Boemi tunc utebantur; cujus potius contrarium, quibusdam ex rationibus, mihi probatur. 3^{tio} *biblia*, in praemissis habetur: ritus slavici exemplaria, inter quae certe missalia, ritualia etc. ad exercitium ritus slavici necessaria extiterint; an vero integra biblia,

vehementer dubito; cum certum sit romanae ecclesiae addictos Slavos, qui charactere glagolitico utuntur quique missalia et similes libros impressos habent, carere integris bibliis in hanc usque diem; cur igitur monachi Sazavienses integris bibliis carere non potuerint? Quis affirmare audeat, inter exemplaria slavica necessario comprehendi biblia? — Exemplar seculi XIV. aut XV. in Emaus scriptum charactere glagolitico mihi, spero, nemo objiciet. Russi melius distinctiusque loqui solent, nunquam dicunt se habuisse versionem russicam, sed slavonicam (w slowenskym jazyku), nos quoque ridere solemus eos, qui de russica versione loquuntur. Et omnes slavonicae gentis populi dicere poterunt: Jam seculo IX. extabant biblia polonica, srbica, seu vandalica, carniolana, croatica, bosnica, servica, lithuanica, russica; si quis rideat, arrideo.

Nunc jam ad ea mihi respondendum est, quae R. P. R. tuo nomine tuisque verbis ad me perscripsit: Vis probare primum Mss. Crumlov. et Talemberg. eadem linguae dialecto perscripta esse, quam in Dalemilo legimus; deinde summum consensum esse in orthographia et formulis loquendi laud. Mss. cum Catonis libellis. Si postremum verum est, falsum est prius. Nam Catonis libellus, quem recensuit Voigtius et possidet Pelzelius, quemque nuperrime evolvi integrum attenteque relegi, longe recentior est, ut ex stylo, orthographia, characteribus scripturae colligo, (mihique in hoc assentitur Pelzelius) quam Dalemili Chronicon; puncta super r, z etc., accentus super á, é, frequentissimi, et alia satis produnt, male hallucinatum fuisse eum, qui primae paginae libelli numeros 1304 apposuit; atramenti pallor fraudem manifestam reddit; quod advertere noluit Voigtius. Me quod attinet, vellem, aetatem mille annorum ei tribuere possem; majorem fingere, quam habeat, non licet. Ego ad initia seculi XV. refero. Discrimen styli Dalemiliani et Catonis tam manifestum est, ut legentem utrumque (sed integrum) latere non possit; Voigtium non agnosco arbitrum, lubens enim ipse experior. Quot vocabula slavica h. e. boemica, quae cum slavicis conveniunt, nuncque obsoleta sunt, ex Dalemilo collegerim, proxime indicabo teque rogabo, ut quaedam, quae fors ex lectione vetustissimorum librorum tibi cognita sunt, mihi explices. Geschinius ultra 300 in Syllabo vocum obsoletarum exposuit; quarum aliquas, defectu cognitionis aliarum dialectorum, male intellexit. Quod objicis Dalemilum usum fuisse in Prologo pronom. *ſwůg*, cum tamen Mss. laud. habeant *ſwoy* etc., quod antiquius est. Recte objiceres; at Dalemilus constanter utitur forma *ſwoy-moy*, ut p. 25. v. 9., p. 27, v. 11., p. 33. v. 4 et 8, p. 57. v. 4., p. 60. v. 5., p. 74, v. 1., p. 78, v. 2., p. 94, v. 10 etc. etc.: at in Prologo habet *ſwůy*. In impresso scilicet exemplari estne librarii error, fac Mss. inspicias. Catonis libellus scribit *muožeš*, semel reperi *mož* pro *může*, Dalemil constanter *mož*. Cato *ſtuoi*, Dalemil ſtoy; hic ubique habet o, ubi nos ů, et ante nos uo, e. gr. mož, rože, wol, wole, kože, hroza, bratrow, žiwotow, mečzom, koňom, mužom, blaznom etc. etc.; sed de his atque stylo Dalemiliano pluribus disseram alia occasione. Hoc interim mihi certum est, ex iis, quae perhibes de consensu Mss. laudatorum cum libello Catonis: ea nequaquam aetatem styli Dalemiliani attingere, fors Psalterium Philonomi attinget; etsi hocdem, quod probatum non est, tamen annum 1283 non excurret. Hic vero notes, velim, me non defendere: anno 1283 factam ex latina Vulgata versionem boemicam,

quae in Mss. reperitur; sed non esse factam ante 1283 constanter affirmabo. Immo: slavonica versione bibliorum a deletis Sazaviensibus libris usque ad 1283 usos fuisse Bohemos, nego pernegoque; quis enim mortalium hoc affirmare audeat? quibus indiciis?

Vocabula omnino graeca in codicibus slavolatinis inveniuntur, si de missalibus ritualibusque in usum Dalmatarum vicinorumque populorum editis hoc intelligas, qui negare possum? Servo adhuc schedulam, quam mihi obtulisti, ubi vestigium LXX interpretum in genesi habetur, desumtum ex missali Venetiis impresso. Cur hoc in literis ad P. Raphaelem datis in dubium vocarim, fuit causa, quod hominem experiri vellem, cum quo mihi fuit concertatio. Et ni tu respondisses, putasne me alteri cessurum fuisse? *Lectiones graecae indolis* quod attinet, nil reprehendendum fuisset, si a te scissem dictum fuisse, cum te intelligam. At si eo sensu accipiatur, quod nempe dialecti slavicae, ut loquimur, summam quandam affinitatem habeant cum graeca lingua, tum quoad terminationes, quum quoad syntaxim, adeoque vestigia graecae indolis deprehendere liceat etiam in aliis libris, qui biblici non sunt, probare non possum. Itaque praeplacet mihi, si dicatur, esse vestigia graecae versionis aut graeci textus in codicibus slavolatinis.

Slavicae gentes, quae neque slavonica versione nec boemica usi sunt, suaque caruerunt ad seculum usque XVI, XVII, sunt: Wandali, Srbjos se vocant sermone patrio. Hi non nisi quosdam ad psallendum libros evangeliorumque partes, quae singulis leguntur dominicis, impressos habent. Scripsi non admodum nuper Budissinam hocque responsum accepi: exstare versionem superiori seculo adornatam in bibliotheca Capituli, sitne eadem, cum ea, quam Protestantes initio seculi praecedentis ope bibliorum boemicorum confecerunt, nec ne, affirmare non possum. Mihi exemplar unum oblatum fuit, quod si avide inspicere velles, repetam. Deinde Slavi Silesiaci, circa Teschen, qui nec boemice, nec polonice loquuntur. Croatae denique, in quorum usum, ut nosti, Truberus seculo XVI novum testamentum vertit, Carniolani, quos caruisse bibliis testatur Bohoritz, usque ad ea, quae Wittembergae impressa sunt seculo XVI; eodem tempore etiam confecta sunt, ne quis opponat extitisse in Mss. Slavi in Montanis Aquilejae, in Istria, Dalmatia, qui versione bibliorum integra carent, ita quidem, ut ritum slavicum teneant, codices varios glagolitico charactere impressos habeant, nulla tamen biblia; slavica enim versione incorrecta uti non audent; dicerem aliqua de versione polonica, sed non habeo ad manum ea, quibus opus haberem.

Slavicum idioma seculi IX et bohemicum cum variis aetatibus linguae latinae comparas, comparatio haec mihi non placet, dicam inferius — cur; bohemicum sermonem a slavico literali ceu matre profluxisse insinuas, patere me hic pluribus disserere, ut sententiam tibi meam explicem. Primum itaque omnis natio illa, quae cum slavica proprie dicta linguam affinem loquitur, compellari consuevit *slavica.* Male, quia a recentioribus id factum est, interim non multum disputo, quia diversi populi ope hujus nominis ad communem stirpem facile reducuntur. Tempore Cyrilli et post illum, adhuc tempore Nestoris Russi non appellantur Slavi, Bulgari non vocantur Slavi, Srbji non patiuntur se appellari Slavos, Bohemi non sunt vocati Slavi, sed Čzechi a Nestore,

nec Moravi, nec Poloni, nec Lithuani, nec Charvatae, nec Dalmatae etc. Soli illi, qui in Ungaria ad fines Moraviae habitarunt, praeter eos, qui inter Savum et Dravum ad hunc usque diem Slavones eorumque regio Slavonia vocatur, eodem nomine veniebant. Inde est, ut stemma nationum istarum sub nomine Slavorum nullibi in scriptoribus antiquis reperiri possit, Deus novit, quo nomine gens illa, a qua omnes enumerati populi emanarunt, compellata fuerit. Linguas, quibus utuntur hi populi, placuit appellare communi vocabulo, iterum male, slavicas. Si factum fuit, ut lingua haec a germanica aliisque, quibus usi populi alii in Europa sunt, distingueretur, non redarguo, si eo sensu sumatur, quod omnes linguae polonica, russica, boemica etc. ab illa lingua slavonica, qua populi Ungariae seculo IX usi sunt, tanquam matre profluxerint, non probo. Atque hoc nunc probandum suscipio — linguam, qua locuti Boemi seculo IX, non esse slavicam proprie dictam. Fave mihi de origine linguarum paulisper philosophanti tecum enim libens loquor. Dalemilus lingua seculi XIII, hoc est anni 1278 locutus est, eademque immo antiquiori scripsit, [antiquiora enim se Chronica legit] habes facile a Dalemili aetate ad Cyrilli tempora 400 annos, a Dalemilo ad nos 500 annos; nos itaque longius a Dalemilo distamus, quam Dalemilus a Cyrillo. Et tamen si legam Evangelia slavica, Dalemilum, conferamque linguam vulgarem, qua in pagis vicisque mere bohemicis utuntur Bohemi, intelligo, magis differre linguam Dalemili a slavica, quam nostram a Dalemiliana, quoad ea, quae substantiam alterius dialecti constituunt, ita quidem, ut boemica lingua Dalemili sit dialectus diversa a lingua slavica proprie dicta, hoc est ea, qua in confinibus Moraviae Hungariaeque locuti sunt tempore Cyrilli homines, boemica vero nostra a boemica Dalemili solum aetate differat. Monumenta enim omnia a Boemis in Boemia, diversis aetatibus existentibus lingua patria exarata, varias linguae boemicae aetates constituunt. Non vero monumenta ab hominibus diversae nationis, in regionibus distinctis, diverso sub regimine exarata. Cumque ante Cyrillum 300 fere annis Boemi sedes suas habuerint fixas, duces suos, mores suos, nomen sibi proprium duntaxat, probabile est, et lingua eos diversos ab aliis populis communis stirpis fuisse. Unde enim rationem petes, quod post Cyrillum e. gr. r in ř, g in h mutarint? a climate? 300 annis jam assuevere climati. Cur nunc a Dalemilo nullum mutavimus sonum? quia eodem sub coelo constanter vivimus; unde sstsse щ apud alios, apud nos č? Quid si Boemi non per Ungariam a Danubio, sed ut probabiliter conjicit Schleinicius, per Pommeraniam ad Bojemiam venere? Dic mihi, quando et cur Boemi f sonum in quibusdam, licet paucis e. gr. *úffati* etc. pro p — slavice enim *upvati* est, assumserint; quo sono alii populi carent. Dic, quando Arabes *gimel* in *gim* mutarint, thade in tad etc. etc., Syri schin in thau? putasne tum, cum jam trecentis annis fixas sedes haberent diversamque nationem constituerent? Annon aliud discrimen est inter aetates linguae hebraeae a Moyse usque ad Malachiam, aliud item inter sorores dialectos syram, arabicam. Inter aetates linguae germanicae et dialectos ejus danicam, suecicam, hollandicam, anglicam? sic de aliis. Nonne jam clarum est, dialectos oriri tum, cum populi in alias sedes commigrant, ubi alio coelo, aqua, terra utuntur, cum diversos a prioribus mores induunt, regiminis formam mutant, cum vicinis commercia

tractant, saepe cum veteribus incolis commiscentur. Hoc nempe certum est, nec a te contra omnem philosophandi rationem vocari in dubium existimo, aetates linguae ad tempus, dialectos ad loci regionisque diversitatem pertinere. Intelligis Plauti et Ciceronis stylum non diversas prodere dialectos, sed aetates — sive latinam linguam egredi e finibus Italiae, jam non latina manebit, ut historia hoc mire confirmat; immitte in Italiam gentem lingua, moribus diversam, videbis oriri aliam a priori linguam, nonne factum est? Unde mihi longe probabilissimum est, majorem subiisse mutationem linguam Czechorum ab adventu in Bohemiam usque ad Cyrillum, quam a Cyrilli tempore ad Dalemilum. Suntque plures rationes, ob quas mutationes ante Cyrillum fieri potuerint, quae post Cyrillum difficulter oriri poterant. Non igitur mea quidem sententia bohemica lingua, qua nos patresque nostri diversis aetatibus locuti fuerunt, fixis jam in Boemia sedibus, filia linguae slavicae, qua scripsit Cyrillus, esse potest, sed genuina soror; eo fere modo, quo arabica non filia hebraeae, sed vera soror est. Nescio enim, quo fundamento asseri possit: omnes gentis universae populos jam ante Cyrillum sedibus, nomine, moribus, regimine distinctos, IX seculo una eademque lingua locutos fuisse, aut aliquos locutos fuisse, alios item non. Si postremum tibi placet, cur Boemi et non Poloni? etc. Fuit aliquando tempus, quo slavica gens universa uno, ut dicam, labio loqueretur, sed certe ante sextum seculum, dum adhuc ad mare Nigrum, aut Caspiam, aut ubicunque terrarum velis, esset exiguo numero congregata, at cum in immensum cresceret, perque amplissimam Europae partem longe lateque se diffunderet, sedes hic, atque ibi figeret, in nationes non solum nomine, sed et lingua diversas paulatim divisa fuit. Nec existimo omnes linguas, quibus universi populi usi sunt, ita ortas, ut non ex una, alia iterum oriri potuisset, uti ex arabica orta est aethiopica. Parce celeritati scribentis, colloquimur enim. Philonomum, si mihi mitteres, me multum devincires. De bibliis boemicis, quae Dresdae servantur, de quibus Jonas Gelenius multis testatur, proxime tibi scribam, nuper enim d. Pelzel ad d. Pettermann scripsit. Spem concipio fore, ut codex ab Hohenfurt Pragam deferatur.

Vale meque ama; a d. Pelzel salutem.

Tuus *Dobrowsky.*

Mieschitzii, die 18 Jun. 1778.

NB. P. Raphaeli, si placet, exhibere poteris has literas.

(P. S.) D. Petermann consuluimus de significatu vocis *bjes*, *bjesni*, *bjesnuju*, qua Cyrillus graecum *δαίμων*, *δαιμονιζόμενος* interpretatur, asseverat is apud Slavos Ungariae usurpari de rabie seu furore canum, von tollen Hunden. Nos dicimus: steklej, litej pes, hoc igitur vocabulo *bjesni* Boemi videntur caruisse semper, cum alias voces vere boemicas habeant, quibus idem prorsus exprimunt. Confer lexicon slavonicum.

III.

1779—8 května. Durich podává zprávu o vydání spisů E. Jeronyma z r. 1734 a o missale kostela olomouckého z r. 1488.

Wranowii, 8. Maji 1779.

Fortunatus Dobrowskyo suo s. p d.

Gaudeo vehementer mea opera tuis desideriis satisfieri posse: inveni enim in bibliotheca nostra Wranowiensi S. Eusebii Hieronymi opera *studio ac labore Dominici Vallarsii Veronensis presbyteri opem ferentibus aliis in eadem civitate literatis viris, et praecipue Marchscipione Maffeio edita.* Veronae apud Petrum Antonium Bernum et Jacobum Vallarsium A. 1734 prodiit Tomus I. *Post Monachorum Ord. S. Benedicti e Cong. S. Mauri recensionem denuo ad Mss. Codices Romanos, Ambrosianos, Veronenses aliosque, nec non ad priores editiones castigatus; quibusdam in editis Monumentis aliisque s. doctoris lucubrationibus, seorsum tantum antea vulgatis auctus, notis et observationibus continenter illustratus.* Tomus XI continens scripta suppositicia excusus est A. 1742. *Praefationis generalis parte I*^ma^ egit Vallarsius de *mss. deque editis collectionibus singillatim. Parte altera exposita Hieronymianorum operum indole, de iis agitur, quae interciderunt, aut putantur intercidisse.* Parte III explicatur, quid in hac nova editione praestitum sit. Ex prima parte sequentem pericopam excerpendam et tecum communicandam arbitratus sum: »Qui Martianeam editionem errores obsident, ut de illis tantum dicam, qui universum laborem spectant, ad haec fere capita referuntur. Erasmianam editionem exscribit fere continenter, neglecta, immo saepius nec memorata Victorii industria, a quo tamen errores quam plurimos emendatos compertum est, qui denuo inscio lectore obtruduntur. Mss. exemplaria diligenter in unoquoque opere a capite ad calcem omnino non contulit, sed tantum vexatis aliquot locis in consilium adhibuit; fieri enim nullo modo potest, ut numquam, aut per quam raro, tot falsarum lectionum, quae veteres editiones deformant, ab iis moneretur, aut moneret ipse lectores suos: variantes vero usque adeo raras offenderet, ut multo plures in parvo libello nobis occurrerint, quam ille in praegrandi aliquo volumine adnotaverit a se repudiatas: earum dico, quarum delectus lectoris judicio permittendus est, non quae librariorum menda sunt apertissima. Raro etiam invenias difficilia loca explicari, immo vero monitis et praefationibus, quae lucem operibus foenerentur, praeter argumenta epistolarum, quae Erasmus condidit, ferme destitui. E contrario adnotationes ipsas, quae si criticas epistolas et duo lexica nominum et locorum excipias, caeteris libris oppido paucas jejunasque adposuit plerumque falsa judicia occupant.«

Porro quod ad librum psalmorum juxta Hebraicam veritatem, quem tu desideras, attinet, is tomo IX continetur. De illo Vallarsius in adnot. *a)* inquit: »Hunc librum ad quatuor vetustissimos optimaeque notae codices mss. exegimus, quorum duo olim reginae Suecorum numeris praenotantur II et 1286, tertius Vaticanae ipsius Bibliothecae numerum obtinet 134, quartus atque is demum reliquis fere praestantior Cisterciensis est, olim Nonantulani asceterii, nunc s. Crucis in Jerusalem de Urbe sub num. 104. Se quod hanc spectat

ipsam Hieron. praefationem sive epistolam ad Sophronium, alios praeterea multos ex Italiae bibliothecis in consilium adhibuimus.« Haec interim sunt, quae te scire cupiebam; ipsum vero psalmorum librum ex Vallarsii editione excerptum accipies, postquam id, quod perscriptum fuerit, ex visitatione redux Wranowium, conferre potuero cum exemplari Vallarsiano.

Inveni quoque in nostra bibliotheca Wranowiensi librum in folio majori editum, ad cujus calcem more veterum, ut nosti, positum est:

Liber missalis secundum ordinem ecclesiae Olomucensis per magistrum Johannem Sensenschmidt in civitate Bambergensi impressus, ductu et expensis Petri Trachê civis Spirensis Anno Christi MCCCCLXXXVIII quarto vero nonas marcii finit feliciter. Fol. CCCXXX.

Si recte tu et Pelzelius noster valetis, curate, ut porro valeatis, ego quidem valeo, festa Pentecostalia procul dubio vita comite, Viennae celebraturus: itaque si vis aliquid solatii mecum communicare, ad id tempus Viennam scribe, ego ex hac solitudine Wranowiensi plura non habeo, quae ad te scribam. Vale et Pelzelium saluta.

P. S. Hanc praefationem, quam tibi mitto, tuo proposito non inutilem judico futuram. Parce celeriter scribenti et epistolam non relegenti.

IV.

1785 — 9. června. Dobrovský oznamuje Durychovi, že de Rossi si přeje, by Durich pro něho sbíral v rukopisech hebrejských Vídenských varianty. Kromě toho zmiňuje se o cyrillštině a o kronice Beneše z Hořovic.

Amico suo J. Dobrowsky s. p.

Prospere te Viennam advenisse spero. Optoque, ut eo animo erga me sis absens, quo semper fuisti praesens. Paucos ante dies a cl. de Rossi literas accepi, quarum pars te attinet. Verba desribam ipsa, ut facilius perspicias, quid te facere velit: »Earum (lucubrationum) etiam munusculum mittam ad humanissimum Durichium, cui salutem velim dicas meo nomine gratiasque referas pro opera sua in colligendis var. lect. commodata. Ac peropportune accidit, ut vir iste in heb studiis versatus Viennam brevi petiturus sit, ubi is majus mihi beneficium praestare potest, conferendo in selectis locis codices nonnullos Bibl. Caesareae in Kenn. bibliis intactos. Codices hi sunt 107, 108, 109, 110, inter exteros meae collationis, quos recensitos ac descriptos ille reperiet pag. CXXXV. *Clavis Codicum.* Vellem ergo, ut dum ipse Viennae moratur, quatuor hos codices in selectis locis Prophetarum posteriorum et Megilloth, quae III vol. operis mei continebuntur, conferret ac selectiores variationes adnotaret. Tres ex illis codicibus habent Haphtaroth, ex quibus conferre poterit lectiones Isaiae vel Jeremiae, vel Ezech. vel minorum Prophetarum, bini habent Megilloth, postremus Esther. Illud curet, rogo, ut varias quasdam paulo graviores lectiones habeam singulorum et ex singulis libris vel uno alterove libro decerptas, et si otium suppetet, nonnullas habeam Psalmorum ac Jobi. Codices germanici sunt, qui plures variationes continent, ac proinde nullo negotio brevique reperiet, quot ipse voluerit. Ac pro meo quidem instituto paucae

sufficiunt. Eum ergo roga meo nomine, ut velit, si potest, meis votis satisfacere, ac bene mereri de opere meo, in quo debitae illi grates reddentur. Praeter hosce quatuor cod. bina fragmenta Geneseos cum Aphtaroth, ut illic exstantia memorat Adlerus, et ex Adlero ego citato loco, quae constant fol. 170. Summopere desidero, ut ex Haphtaris Prophet. posteriorum hujus codicis vel fragmenti nonnullas variationes colligat notetque, num bina diversa fragmenta diversae manus sint, uno volumine contenta, vel seorsim compacta, ut simul vel seorsim referantur. Si enim aliquot varias eorum lectiones habuero, locum iis dabo in novo Catalogo exterorum codicum, daboque in II vol., si certo sciam et opportune operam suam Durichium non denegaturum. Itaque beneficium hoc illi ante discessum commenda. Quod si jam discessit, ne grave tibi sit commendare illi per literas, eum rogans, ut diligenter et quam primum ad me perscribat aut saltem certiorem faciat, mihi non defuturum. Si quae alia fragmenta in aliis bibliothecis Vindobonens. repererit non collata, vel codices, ea percurrere etiam ac selecta nonnulla variantia loca notare poterit.«

Quibus votis, si opus est, et ego meas jungo preces; atqui tu monitoribus non indiges, qui suopte ingenio haec studia adamasti et colis, quantum per circumstantias loci et temporis licet. Fac ergo, ut aliquid saltem praestes, quo sublevare et opem ferre possis viro occupatissimo et diligentissimo. Erit certe haec laus non vulgaris, contulisse aliquid ad criticae sacrae studium, in quo excolendo tantopere desudant ingenia exterorum. Scribes certe ad virum cl. proxime, et quid possis, expones, nam velle te omnia persuasus sum, quia novi animum tuum ad omne officiorum genus paratissimum.

His confectis, velim, ut te ad prosequenda slavicae literaturae studia conferas. Smotriski Grammaticam jam teneo, multis horis tandem exquisitam et inventam; Frischii Schediasma non potui reperire; petii tamen, ut quaeratur diligentius. Grammaticam quando et per quem mitti velis, mihi significa. Quis compendium ejus latina lingua dabit aliquando? Profecto tu huic labori subjicere humeros posses, ut amplius de lingua slavica merearis. Quaecumque ad tuendum Cyrilli honorem ejusque alphabeti praerogativam et antiquitatem prae illo spurio foetu, glagoliticum puto, congerere poteris, mecum spero communicabis. Proposui enim, Cyrillici alphabeti explicationem plenissimam dare, quam 2do volumini nostrarum Dissertationum inserendam curabo. Dobnerus noster, nescio, quam laudem feret de frustra inpensa opera sua in confundendo Cyrillico cum Hieronymiano. Luet certe poenas, si critici gnari censuram subierit. Sed sinamus parturire montes.

D. Winarz si conveneris, cui salutem plurimam dices, meo nomine petes, ut tibi libri germanici titulum communicet, ex quo Benessius de Horzowicz Chronica, Martimiana dicta, in boh transtulit. Voluit is mihi mittere notationes suas, quas toties jam postulavi, sed nihil obtinui. Librum ipsum, si venalis est, aliquot florenorum pretio lubens redimam. Nunc saltem titulum libri posco speroque tua opera me consecuturum, quod multum exopto. Quocumque officio devincire d. Winarz potuero, id faciam.

Ad Garampium, eminentiss. cardinalem, mittam pro cl. viro de Rossi fragmentum Pragense; sed ignoro, utrum adhuc Viennae degat; facies me certiorem, quando, ut fama est, abiturus sit.

D. Zlobickyum, Schimekium aliosque omnes, quos linguae slavicae cognatio conjungit aut studium delectat, salutabis humanissime.

Pelzelius noster te bene valere vult, suique et patriae meminisse. Faustinum tuum et meum convenire (non) potui, quia nunc ruri sum. Literas tuas, Pr(agam) diriges; solent enim ex urbe nobis mitti.

Fave mihi tui amantissimo, meque numero amicorum tuorum tibi conjunctissimorum adscribe.

Tuus.

Mieschiczii, die 9. Jun. 1785.

(Na 4. straně:)

Dem hochehrwürdigen Herrn
Fortunat Durich
Abzugeben im Paulanerkloster zu Wien.

(Nad tím rukou Durichovou:) Praes 19. Aug. Resp. dedi Dobrowskyo 19. Aug.

V.

1785 — 19. srpna. Odpověď na list předešlý, v které zejména vyslovuje Durich ochotu vyplniti přání Dobrovského.

Amico suo dilectissimo F. Durich s. p.

Prospere equidem Viennam die 25 Julii adveni; sed vix tribus exactis diebus in lectulum detrusus ad 15 Augusti decubui, et adhucdum foras progredi non valeo: nosti infirmitatem meam; tuli tamen patienter adversam valetudinem. Sed dum hodie primum tua epistola, quam 9 Junii ad me dedisti, ad me perfertur, dicere non possum, quam doleam, hanc jam pridem in monasterio rite extraditam, sola unius hominis negligentia latuisse. Gaudeo tamen vehementer de illa a me obtenta, quae me ab adversa valetudine resurgentem magnopere recreat. Itaque quod ad cl. de Rossi attinet, ut primum extra domum progredi potero, dabo operam, ne tua opinione, de animo meo ad omne officiorum genus paratissimo, fallaris: nihil enim in studio officiorum humanitatis magis adimplere cupio, quam ut prosim utilitati publicae, cum primis sacrae. Nunc mature ex te rescire vellem, an haec mora meam, quam paratissimo animo dare volo, operam non sit redditura cl. d. de Rossi minus utilem? alioquin inutilis nunquam, ut spero, futura est. Scribam certe ad virum cl. proxime, et quid mihi in hoc studiorum genere facere licuerit, implorata prius cl. d. Denis ope, et notitia de modo MS. Bibl Caes. codicibus utendi adquisita exponam.

Summas tibi habeo gratias pro tot horis exquirendae grammaticae Smotriskianae impensis; facies mihi rem gratissimam, si hanc aliquo involucro munitam dederis P^ri^ Joanni Chrysostomo Hepky apud d. secretarium Nikl No. 600 ad S. Valentinum habitanti, qui per currum diligentiae illam securius ad me mittet. Quaecunque ad tuam dissertationem congerere potuero, omni industria facere conabor; sed curam gere, ut ne dissensio opinionum in re literaria animorum consensioni obsit.

Ut neminem adhuc, obstante adversa valetudine, amicorum communi rei slavicae studio nobis devinctorum convenire potui, ita neque d. Winarz adhucdum vidi. Sed tuo desiderio, ut primum mihi licuerit, ex animo satisfaciam; atque salutabo tuo nomine omnes.

Tu meo nomine cl. Pelzelium optime valere jube, eique refer, gratissimum mihi fuisse illud salutationis genus, quo me vult sui patriaeque meminisse; hae enim illius voluntate in spem erigor, ut ille quoque mei nunquam obliviscatur, qui et Pelzelii optimi, et lectissimae Pelzeliae, et desideratissimorum Pelzelidum jugiter memor sum. Si Pragam citius veneris, ac ego ad te literas dedero, saluta amicos cum primis cl. Ungar amicissimum atque cl. Dobner optimum meique studiosissimum caeterosque, ut nosti.

Eminentissimum Garampium audio proxima hebdomada discessurum.

Fave mihi tui amantissimo, qui optime nosti, si tempora subducere velis, te e numero amicorum mihi conjunctissimorum primum esse, quem diu meo pectori inserui, tu me tuo insertum serva et amare perge.

Vindobonae, 19 Augusti 1785.

P. S. Insignis est v. lect. cap. V. Jerem. v. 26., quam D. Hieronymus observavit, sed in nova edit. S. Mauriana, non vero in prioribus invenitur:

»Quodque nos diximus: *Insidiantes quasi aucupes* et in LXX non habetur, Aquila et Symmachus transtulerunt JASIR, *quasi rete aucupis.*«

Vide igitur, an nos nuper aliquid invenerimus heic loci, nimirum Jer. V, 26. nam more hodierno et Massorethico est ישור cum ו non ישיר cum י.

Iterum Vale!

(Na 4. straně:)

Dem hochwürdigen Herrn Joseph Dobrowsky zu Prag.

VI.

1785 — 7. října. Odpověď Dobrovského na list předešlý, a zpráva o Dobnerově tvrzení týkajícím se slovanského obřadu a některá přání Dobrovského.

Amico suo integerrimo J. Dobrowsky p. s.

Literae tuae, 19 Aug. ad me datae, uti semper, ita nunc praecipue me summa affecerunt voluptate. Nam meas amissas metuebam, quae tamen serius tibi redditae sunt. Certior etiam factus de valetudine tua, quam nunc meliorem esse scio. Nuperrime ad me scripsit cl. de Rossi, volumen II. jam absolutum esse ac statim distribuendum; se ignorare nomen bibliopolae, quem excipiendis exemplaribus eminent Garampius Vindobona discedens destinarit. Addit deinde id scire procul dubio Durichium, a quo literas variasque nonnullas Viennensium codicum lectiones se accepturum sperat. Literae datae sunt XXV Jul., post quod tempus jam ei a te scriptum fuisse non dubito.

Grammaticam Smotriskianam e thermis Carolinis redux ad P. Joannem Chrysostomum, ut volebas, dederam; qua recepta schedam literis tuis includes, quam vulgo recipisse vocamus.

Alteram nuper dissertationem praelegit cl. Dobnerus, qua evincere conatur in ecclesia Teynensi et Wyssegradensi institutum fuisse ritum slavicum; ante Methudii adventum religionem christianam non esse receptam a Bohemis, nam 14 illos duces, qui an. 845 per Ludovicum baptizati sunt, Moravos fuisse contendit; errasseque Francofuldensium Annalium compilatorem, qui Bohemos appellarit. Varia, quae olim in Annal. Hajec. asseruerat, quae in sententiam meam trahi possent, retractat expressis verbis etc. etc. Equidem non existimo eum attulisse talia, quae in sententia mea dimovere possint. Gaudeo tamen eam causam iterum assumtam, ut veri amatoribus constet, quid in utramque partem dici et afferri possit. Iudicium tuum, postquam impressa fuerit dissertatio, avide expecto.

Dominum Winarz ne graveris accedere meoque nomine petere, ut te saltem libri titulum transcribere sinat.

Vererer profecto, ne tibi molestus sim precibus meis, nisi animum tuum in me noscerem. Fac igitur et hoc amicitiae officium mihique describendum cura Martyrologium seculi XII., quod est in cod. latino Bibliot. Caesareae inter codices hist. ecclesiast. N. L., in cujus margine Necrologium Boh. appositum est, quod Dobnerus Tom. III. Mon. hist. p. 9. edidit. Solvam lubens scribam, dummodo accurate, quod certe te juvante poterit, codicem exscribat. Necrologio non indigeo. Sufficit Martyrologium et quidem sola sanctorum nomina, omissis vitis — exceptis sanctis Boh., quorum vitas habere desidero;*) nisi tuo judicio integer contextus describi mereatur. Certe Cyrilli et Methudii memoria in eo desideratur, cum mihi jam constet tempus, quo primum in Bohemia coli coeperint.

Quamprimum Pragam venerimus, ego et Pelzelius, dabimus operam, ut Societas bohemica scientiarum diplomate te membrum efficiat extraneum, ut saltem hoc vinculo absens nobis alligeris arctius; proponemus enim te eum esse, qui Societatem ornare possit, suisque lucubrationibus celebriorem reddere.

Cl. Ungar et Pelzelius te salutant amicissime. Cl. Dobnerum nondum conveni; nunc enim ruri commoror. Ego certe, contraria asserendo, studebo, ne vel verbulo seniculum, quem aestimo, ejusque labores et merita probo, offendam!

Vale jam meique memor sis meque amare nunquam desine.

Die 7. Octob. 1785.

Tuus *Dobrowsky.*

Mieschicii.

D. Zlobiczky et d. de Schwantner velim humaniter salutes meo nomine.

---

*) Quamvis neque has integras, sed earum tantum initia, ut eas conferre possim cum vetustis Breviariis. Etiam historiae Alexandri initium, quod a fol. 87 in hoc cod. exaratum est, cognoscere vellem, nam, ut tibi constare puto, extat versio Boh. vitae Alexandri antiquissima, quam pariter conferre volo; sufficient autem 3, 4ve lineae.

VII.

1786 — 6. února. Odpověď Durichova na listy předcházející, zprávy ze spisu Jeronymova a Kohlova, jakož i o cyrillštině a hlaholštině.

Vinnae 6. Februarii 1786.

Amico suo integerrimo J. Dobrovskyo Fortunatus Durich s. p. d.

Objurgatus a te de silentio literarum, spero futurum, ut meam omnem culpam excuset sincera confessio cujusdam negligentiae: quum hoc ipsum debuerim scribere, me tuis desideriis per id tempus satisfacere non potuisse. Primum quidem quod ad d. Winarž attinet, ubi is habitet aut quo loco eum convenire possem, ultro se inquisiturum mihi spopondit r. d. Josephus Werschhauser, linguae Bohemicae professor in Theresiano alias nuncupato, nunc candidatorum militiae collegio; sed operam se perdidisse in quaerendo etiam heri mihi retulit. Tu si nosti, scribe, ubi locorum eum accedere possim, ut desideratum libri titulum transscribere valeam.

Martyrologium sec. XII, quod ut scripsisti, me juvante exscribendum per librarium volebas, apographum ex amicitae officio accepisses; sed si heic praesens fuisses et exacto et ultimis duobus superioris anni mensibus, profecto pensi habuisses meam alioquin infirmam valetudinem et tenuitatem pensionis ad frequentius conducendum vehiculum, quod ob ingens lutum altiori pretio solvebatur. Itaque distuli Bibliothecam Augustam accedere ea de causa, quia non mihi decorum videbatur una alterave vice venisse ob illud humanissimum incitamentum — *frequentius redito.* — Puto non adeo tibi necessarium esse laudatum apographum, ut hanc moram, quam necessitas induxit, tibi sarcire nequeam. Ne, quaeso, turpis otii atque inertiae me condemnaveris: nam ut tibi veteri necessitudine conjunctissimo amico exacti temporis aliquam rationem reddam, inter alia literarum studia, quibus tuo consilio operam do, dissertationem de eruditione Syriaca D. Hieronymi retractans et ad editionem operum S. Maurianam conferens, incidi in quaedam loca, ubi s. doctor gentilis barbarique sermonis vocabula adducit in Dalmatiae Pannoniaeque provinciis usurpata, e. g. lib. VII in Isaiae c. XIX. col. 183—4: »Notandum, quod pro lacunis LXX ζύθον transtulerunt, quod genus est potionis ex frugibus aquaque confectum: et vulgo in Dalmatiae Pannoniaeque provinciis gentili barbaroque sermone appellatur *Sabaium.* Hoc maxime utuntur Aegyptii, ut non puras aquas bibentibus tribuant.« Videtur mihi dignus disquisitione locus, primum quia ille vernaculus seu gentiliš śermo non videtur fuisse latinus, cum barbarus appelletur; porro cujus gentis fuerit? In examine etymologico, an ad linguam slavonicam laudatum vocabulum reduci possit, videtur mihi non tantum śub litera S, verum etiam sub slavonico ц, ч, et ш quaerendum; cum D. Hieronymus analogas Hebraeorum literas צ et ש per S expresserit. Sed de hoc alia vice plura.

Ut redeam ad meam dissertationem, nuper primum apud Kohlium Histor. cod. š. slavon. pag. 209 animadverti: »De Syriaca quoque lingua, an eam scilicet calluerit Hieronymus, controversia eruditos, in primis Jacobum Triglandium et Waltonum intercedit: quorum hic quidem negat, ille vero, scilicet

Triglandius affirmat.« Adducit Kohlius rationes *Triglandii ex volumine dissertationum theologicarum et philologicarum Delphis* 1728 recus. pag. 118 in dissert. *De tribus in coelo testibus* Percuperem scire, si laudatum volumen in bibliotheca Pragensi exstet, et ego illud heic non invenirem, num te interpellare ausim, an Triglandius Hieronymiana eruditionis syriacae fragmenta collegerit et recensuerit; cum Kohlius ex Triglandio rationes adducens dicat: »Tertio denique ex Hieronymi ipsius scriptis non obscure colligi posse censet.«

Ad evertenda argumenta opinionis: Hieronymianas vulgo literas esse originarios Cyrilli characteres, nihil habeo, quod tecum non communicassem, praeter illud momentum: commemini me tibi dixisse, quam velim rescire, utrum in Russia exstet aliquod monumentum glagolitico charactere scriptum; non enim possum inducere in animum, ut ita abolita fuerint omnia glagolitici characteris monumenta, ut nullum penitus inveniri possit. Sed incidi nuper in testimonium Kohlii supra laudati operis pag. 79. in adnot. (p.): »De glagolitico charactere non omnia adeo expedita et ad planum deducta esse videntur. Primum quidem origo ejus admodum incerta et obscura est. Nos etiam aliquando, ut verum fateamur, glagoliticum eundem atque cyrillicum characterem nobis finximus, ea maxime ratione inducti, quod nullum unquam librum glagolitico charactere scriptum nec ipsi in Russia vidimus, nec aliis visum accepimus. Sed aliter sentire coepimus« etc. Amicus meus, vir eruditus, Ezechiel Dejakowsky, hieromonachus monasterii Lubensis, qui in Russorum monasterio sancti montis Atho (vide Montfauconii Palaeogr. graecam) fuit, cuique characteres glagoliticos formare debui, mihi asseveravit, nullum se hujuscemodi characteribus exaratum monumentum vidisse; cum tamen constet Servios, Bulgaros, Iberos et Russos in eodem monte Atho sua coenobia habuisse jam antiquitus.

Estne illa dissertatio cl. Gelasii jam typis edita? In quem modum probat, ubi, quando, et a quibus haec literarum versura facta sit? Non diffiteor antiquitus cyrillicarum quarumdam literarum figuram paulo aliam fuisse, ut apparet in alphabeto, quod Cyrillo tribuitur apud Bandurium in animadversionibus in Porphyrogen., ubi ѧ, х, ж ш aequivalent ѧ, ж, т; et recentiores Russi in *politicam scripturam,* hraždanské písmo, pro minusculo *twerdo* vetus, illud ш assumserint ex antiquis MSS, ut videri potest in August. Bibl. Vindob.; haec tamen differentia exigua est, neque tangit substantiam formae, atque in paucis tantum literis, manente in reliquis eadem figura. Ad haec mendosum mihi videtur laudatum alphabetum apud Bandurium, quoad quasdam alias literas et earum nomina, velim, conferas omnia. Nisi aliud producatur certioris epochae monumentum, ac sit illud Psalterium, quod Assemanus ad sec. IX finem reponit, ex quo Nicolaus scriptor an. 1222. suum codicem descripserat, habemus sane antiquiora cyrillica genuina, seu alphabeti ecclesiarum slavograecarum monumenta, ut nosti ex relatione cl. viri Polêtica apud cl. Michaelis Tom. I. Introductionis etc. pag. 448.

Sed jam epistolam complicare debeo, atque in angusta parte chartae te humanissime interpellare verbis tibi notis: Si amas, scribe obsecranti; si irasceris, iratus licet scribe. Magnum et hoc desiderii solamen habebo, si amici literas vel indignantis accipiam. Facilius enim negligentiam emendabo, quam affectum,

si me condemnaveris non meritum eo, quo semper in me ferebaris. Iterum tibi gratias ago pro Meletii Grammatica, item tibi et cl. Pelzelio pro data opera, ut Societati Bohemicae Scientiarum adscribar. Humanissime saluta optimum Pelzelium, qui, ut heri ex Werschhausero accepi, novo opere gentem nostram illustravit. Saluta quoque cl. Ungar et Dobnerum, integerrimos amicos. Vale quam optime! desiderium tui cogit quidem me plura scribere; sed brevitas chartae compellit tacere; iterum vale.

VIII.

1786 — 27. února. Odpověď Dobrovského týká se kromě jiných věcí hlavně variantů, o které žádal de Rossi, Martyrologia, cyrillštiny a hlaholštiny.

Pragae 27. Februar. 1786.

Fortunato Durichio amico suo J. D. salutem.

Facile merebor veniam, quod serius ad literas tuas respondeam ab eo, qui se ipsum minus diligentem confessus est. Distuli autem responsum ea de causa, quod tibi saltem aliqua ex parte satisfacere voluerim. Accipe igitur primum, quae abs te peto, deinde ea exponam, quae ex me aut per me scire desideras.

Primum omnium est, ut me certiorem reddas, utrum cl. de Rossi scripseris, qui te tam humaniter ad opem ferendam in collatione codicum Viennensium invitavit; utrum aliquid praestiteris, an vero te excusaveris. Deinde, utrum tibi notum sit, a quo repetendum sit II. vol. Var. lectionum. Cl. Ungar, a quo salutem plurimam tibi dicendam habeo, ill dominum canonicum de Smithmer nominavit, cui commissa sint ab eminent. Garampio exemplaria. III. volumen mense Majo, ut mihi nuperrime significavit cl. de Rossi, absolvetur. Pro IV. mittam proxime ex Pragensi codice aliquas lectiones. Sum enim hac hieme fere tota in conferendis codicibus occupatus, quod quidem facilius praestare possum, cum codices ad me adferri curaverim, nec opus sit, ad Bibliothecam cursitare. Aliquas tamen, vehementer et opto et peto, ut excerpas et mittas cl. de Rossi. Vol. IV. continebit Hagiographa, exceptis Megilloth, quae jam III. vol. inserta sunt.

Dn. Winarz jam non erit opus, ut investiges, nam librum ipsum hic tandem reperi. D. Joseph. Werschhausero meo gratias agas nomine pro hoc humanitatis officio, quod te juvare in inquirendo d^no^ W. voluerit.

Martyrologium integrum non multum desidero, vitas tamen nostrorum Patronorum, velim, perlegas, uti otium nactus fueris mihique, si quid praecipui continere videbuntur, notum facias. Cyrilli certe et Methudii memoria in eo desideratur, utpote quibus primum altare in Bohemia seculo XIV. fine erectum scio.

De *Sabaium* quae refers, ea conferre poteris cum *Sabaia* Ammiani Marcellini apud Gesnerum et du Fresne in glossario mediae latinitatis, quorum uterque locum excitat. Mihi slavica vox non videtur, nam si fides Procopio, diligentissimo scriptori, ante sec. VI. Slavi Istrum non transierunt.

Laudo summopere diligentiam tuam in asserenda eruditione syriaca S. Hieronymi, quam in rem legere etiam poteris, quae clericus contra Hieronymi eruditionem movit dubia, quae quidem solvere conatus est Martianay; tu tamen abundantius poteris praesertim uni huic capiti de doctrina syriaca intentus. Certe egregie feceris, ubi honori tanti viri et interpretis celeberrimi honorem defenderis!

De literis glagoliticis quae mones, utar iis in rem meam. Nunc tu in Caes. Bibliotheca diligenter excute codices slavicos, quorum aliquos Lambecius recenset. Cl. *Dobnerus*, qui te salvum esse jubet, meque et Pelzelium, dum te membrum Societatis nostrae, cujus diploma ad R. P. Chrysostomum dedi, tibi mittendum, postulassemus, oratione sua adjuvit, dissertationem suam de literis antiquis cyrillicis tomo I. Dissertationum Societatis insertam voluit, estque jam impressa typis, cujus exemplar in Bibl. Caes. extat. Mitterem tibi lubens, si plus uno ipse accepissem. Miror sane hominem eruditum, qui tam levibus argumentis propugnandam sumsit desperatam causam. Nicolaum scriptorem, qui exemplum e codice IX seculi transsumsit, mendacii non arguo, sed cum non expresserit, qualis ille codex fuerit, reor cyrillicum fuisse, cujus literarum formas ille non sit imitatus, verum glagoliticas substiterit. Antiquissimum ergo monumentum lit. glagolit. exaratum est sec. XIII, quo ego lubens concedo studio excogitatum characterem glagoliticum fuisse.

In *Triglandii* Dissertationem jam inquisivi inquiramque porro, ut tibi et voto mihi gratificandi meo satisfaciam.

D. Pelzelius proxime tibi mittet Jesuitas doctos Bohemiae, quibus ego adjungam continuationem Literaturae bohemicae, cujus laboris jam me taedet propter moras typographi. Cl. Ungar Bibliothecae bohemicae partem aliquam, quae bibliorum bohemicorum integrorum recensionem continet, Literaturae adjecit adjicietque porro, donec opus integrum absolverit.

Nunc te oro postremum atque obsecro, ut si Frischii Schediasma de glagolitico charactere a dn. Zlobiczkyo acceperis mutuo, Pragam enim vix transmitti patietur, mihi brevissime contenta indices, puta characterum formas, unde eas desumserit, librorum impressorum, quos nominat, indiculum additis locis et annis. Mei tamen mentionem non facies. Vale, fave meque amare perge.

P. Faustinus Chrestomathiam bohemicam miscellam editurus est, quod tibi forsitan notum est.

(Na čtvrté straně:) Dem Hochehrwürdigen Herrn Fortunat Durich, Mitgliede der böhmischen Gesellschaft der Wissenschaften, Wien, abzugeben im Paulanerkloster auf der Wieden.

Durich připsal: praes. 3. Martii.

Resp. 9.

IX.

1786 — 9 března. Durich děkuje za jmenování členem kr. české Společnosti nauk a odpovídá na poslední list Dobrovského stran variantů z hebrejských rukopisů a mimo jiné zmiňuje se opět o hlaholštině.

Viennae 9. Martii 1786.

Fortunatus amico suo integerrimo J. Dobrowskyo s. pl. d.

Citius, ac ego merui, ad literas meas respondisti; quod me ingenti gaudio affecit, visis veris absentis amici vestigiis manuque epistolae impressa, quae desiderium absentiae quodam solatio levat.

Perlatum quoque est ad me diploma Societatis Scientiarum Bohemicae, quod ego tanquam incitamentum bonorum studiorum, atque testimonium fiduciae ita suspicio, ut, quod propemodum totum vestrum est in hac honoris et laudis significatione, conatu impigro sit etiam vere meum; et nunquam exspectationi vestrae desim. Itaque gratias habeo, quas possum maximas, toti almae Societati, porro tibi, cl. cl. Pelzelio et Dobnero, qui vos postulantes oratione sua adjuvit. Utinam aliquibus officiis meam animi gratitudinem vobis testatam facere possem! Velim, suscipiatis per id tempus promtam voluntatem cum votis ex animo vobis addictissimo ductis, ut salvi et incolumes utilitati et honori patriae vivatis voto vestro.

Cupio ex te rescire morem receptum pro diplomate gratias agendi, titulum Societatis ejusque secretarii; item an lingua latina (cum nihil de dialecto in legibus Societatis constitutum sit) praecepto XIII. satisfacere, et eadem lingua in meis speciminibus uti possim? Sed nunc ad ea respondebo, de quibus tu ex me certior vis reddi.

Utrum aliquid praestiterim in collatione codd. Vienn.

Tantum praestiti, ut mihi ad hanc collationem, qua cl. de Rossi satisfacere volo, quendam apparatum fecerim: primum quidem, quo melius atque securius codd. germanicos ab hispanicis et italicis discernerem, ex tomo VI Polygl. Walt. pag. 16 adnotavi mihi indiculum et discerniculum lectionum in Haphtaris juxta consuetudinem Germanorum et Hispanorum; et jam mense Octobri apud bibliopolam Wapplerum Lilienthalii opus, quo anno exacto usi sumus, mihi procurandum constitui, ex quo delectis paulo gravioribus varr. lect. in easdem inquirere valeam juxta desiderium cl. Rossii. Sed postquam bibliopola septies desiderium meum frustrasset, necesse habeo te interpellare, primum quidem, ut ipse mecum communicare velis *citationes* locorum varr. lect. in Prophetis posterioribus et in Megilloth, in Psalmisque et Jobo; sum enim destitutus subsidiis ad hunc delectum faciendum, tu autem jam rem collectam habes, atque ad manum tibi sunt Lilienthalius et Bibl. Orient. cl. Michaelis. Alterum est, ut mihi procurare velis Lilienthalii opus sumtusque a P. Chrysostomo accipias. Quaesivi etiam, a quo Viennenses codd. fuerint collati, et inveni in Walchii »Neueste Religions-Geschichte 1. Th. S. 354: *Von der Vergleichung der Handschriften der hebr. Bibel durch D. Kennicott.* — »Von denen in der kaiserlichen Bibliothek zu Wien befindlichen Handschriften erhielt Hr. Kennicott in diesem Jahre (1765) gleichfalls ein Verzeichniss, welches der

berühmte kaiserliche Leibarzt und Bibliothekär, Baron von Swieten aufgesetzt hatte. Unter diesen befand sich sonderlich einer, welcher das ganze alte Testament in sich begreift und der noch nirgends in den gedruckten Verzeichnissen von dieser Bibliothek angemerkt worden, um dessen Vergleichung, so wie auch einiger anderer Handschriften Kennicott anhielt und im folgenden Jahre die verschiedenen Lesearten vom Herrn Aloysius von Sonnenfels bekam.« Quod ad aliarum Vindobonensium bibliothecarum codd. attinet, nominatim PP. Augustinianorum in suburbio, (vide Kennicottianae collationis 587) jam studui mihi aditum procurare apud P. Ernestum, bibl. praefectum. De hoc codice J. Monsperger Instit. Herm V. T. edit. 2. p. II pag. 140. ita scribit: »codex, formae regalis literisque quadratis grandioribus venuste concinnatus, huic ad calcem subjecta inveniuntur sequentia, libero oculo vixdum conspicua«:

חזק ונתחזק שלמח הספר לא יוזק לא היום ולא לעלם
עד שיעלח החמור בסלם אשר יעקב חלם

Non mihi succensere poterit cl. Rossius, quod ad eum literas dare nequiverim, quibus certiorem eum facerem me illi omnino non defuturum, cum equidem hoc praestare voluerim velimque: sed dubia valetudine mea et aeris hyberna intemperie ab aditu loci remotioris, ut est Bibliotheca Augusta, me prohibentibus, maluerim differre obsequiosam responsionem, quam promittere incertum officium aut exiguam tantum partem desideratorum implere, qui omnia me velle nosti. Quid nunc praestare velim, si bene valuero, ad cl. Rossium perscribo junctis humanissimis precibus, ut bonae mentis cunctationem non vertat vitio, sed boni consulat.

A quo II volum. Varr. lectt. repetendum habeam, gaudeo me tua opera rescivisse, gratiasque habeo cl. Ungar, veterano carissimoque amico, quem meo nomine humanissime cupio salutatum et interpellatum, ut me amare pergat, quem ego fideliter diligo; velit quoque meminisse auctorum L. L. Class., cum primis alicujus commodioris in forma 8va bonaeque edit. Plauti pro ea, quam ab eo obtentum Pragae reliqui. Quaeres etiam ex eo, an illis glossematibus in edit. N. T. bohem. 1475. collectis et tumultuarie in chartam conjectis usus fuerit?

Quod ad officia attinet tibi exhibenda in *vitis Patron. nostr.* describendis atque Frischii Schediasmate glagolitico, adhibebo omnem conatum. Videtur mihi Frischius glagoliticorum characterum formas ex Wirtenbergica Truberi editione desumsisse; ait enim Kohlius pag. 155: »Haec typographia fuit prima, e qua in Germania prodierunt libri charactere glagolitico expressi.« De charactere vero glagolitico Kohlius ex Frischii hist. ling. slav. edoctus fuit, ut ipse fatetur in not. (p) pag. 79.

In meis *adversariis* invenio excerptam vocem ex Leonhardi Thurneisseri libro inscripto: מליצה *καὶ ἑρμηνεία das ist ein Onomasticum* etc. Gedruckt zu Berlin durch Nicolaum Voltzen Anno MDLXXXIII in fol. pag. 54.: »[illegible] Azingrab, Zinghzrab: ist ein alt Glagolisch oder Crabatisch Wort — lepra alba.« Pag. 60. positus est Psalm. 148. literis cyrillicis; forma charact. živiete est haec ж, quae, nisi fallor, eadem est cum Truberi forma; videbo, quae sit in Frischii Schediasmate

Occurrit mihi aliquid argumenti habens ad tuam opinionem de Nicolao scriba quidpiam ponderis. Nonne slavo-latini scribae etiam bohemica glagoliticis scripserunt, ut tu ipse ad monumentum Altovadense provocas? Nonne et hybride scripserunt? nimirum literis glagoliticis et bohemicis vel unum idemque vocabulum exarando: Hleday we dezkach zemſkych, in MSS. Emautino. Ad haec: si glagolitici characteres essent illae genuinae literarum cyrillicarum formae, cur illae, quarum usus est apud Dalmatas et Croatas in sacris, non Cyrillo, sed Hieronymo passim ab iisdem tribuuntur? Nullus liber liturgicus MSS[us] glagoliticus productus est e sec. XIII vel superioribus, nec aliae scripturae partes; exstant autem plura monumenta cyrillica inde ex sec. XI, ut ille codex membr. apud Assemanum continens fol. 275.

Sed jam superest, ut in angustia chartae tibi et Pelzelio gratias agam pro inquisitione in Triglandii Diss. et donis lucubrationum vestrarum. De voce *Sabaia*, quam in Gesnero jam nuper inveni, atque de aliis hujuscemodi proxime plura. Habesne aliquid ex typographia Breitkopfiana slavonica, de qua in Ephemerid. Jenensibus aliquid legi? Salutem dic omnibus amicis cum primis in Bibl. regia commorantibus et convenientibus. Vale et me veterano amore dilige.

P. S. Estne tibi notum opus: Thaddaei S. R. I. Comitis de Trautmansdorf, metrop. eccl. Olomucensis canonici, imperialis collegii germ. et hung. Ticinensis alumni, de Tolerantia ecclesiastica et civili. Ad Josephum II Augustum. Ticini in typographia Petri Galeati, a. 1783. in 8 pagg. 367? ego id actu lego.

X.

(**1786.**) **Odpověď na list Durichův, v které kromě jiných zpráv literarních a přání oznamuje Dobrovský, že studuje Vyšňobrodský rukopis bible hlaholským písmem psaný.**

Jos. Dobrowsky Fortunato Durichio s.

Cum multa ad te scribere non liceat, paucis ea comprehendam, quae ex me scire cupis. Societati gratias acturus mentionem illustrissimi praesidis injicies; lingua uti poteris quacumque; in speciminibus tamen germanica. Sed haec concipere poteris latina, a me vel alio deinde transferenda. Secretarius Soc. lit. est celeb. vir Joh. Mayer, Med. D. et consil. aul., Hofrath R. Poloniae.

Lilienthalium tibi misi per P. Chrysostomum, una cum duobus opusculis; illum autem remittes, dum eo carere poteris. Codices Viennenses paucis etiam descripsit Adlerus in seiner Biblisch-kritischen Reise. Formula, quam ex cod. PP. Augustian. excitas, consueta est apponi codicibus. Apud cl. de Rossi excusavi cunctationem tuam. Vol III., ut mihi nuper scripserat, jam mense Majo absolvetur. Posteriores igitur Prophetas et Megilloth non amplius conferre, pro eo saltem, poteris, sed libros hagiographos reliquos; quamvis saltem in selectioribus locis notare var. lect. operae pretium fuerit, pro Appendice, quam vol. IV subjunget. Kennicottiana biblia suaderem consulenda. Certe Viennae alicubi extabunt. Cl. Ungar glossemata a te expectat; uti enim se iis velle mihi nuper dixerat. De classicis, quos desideras, iterum eum monebo.

Truberi libri aliquot mihi ad manus sunt. E Frischii schemate haec scire cupio: 1. quid de antiquitate characterum glagoliticorum sentiat. 2. Quos et quot libros impressos nominet. 3. Quae manuscripta. Nunc enim describendo codici Hohenfurtensi, quem nuper cl. Dobnerus attulit, incumbo vellemque aliaqua de glagolitica lit. adferre. Manuscripta, rogo, exquire, si quae Viennae sint. Cyrillica in Bibl. Caes. esse aliquot ex Catalogis seu Commentariis Lambecii scio. Thurneisserus edidit tabulas omnium fere characterum, inter quos reperio etiam glagoliticum; has tabulas feliciter alteri operi illigatas nuper detexi.

Cupio summopere, ne tui obliviscaris. Narraverat mihi nuper P. Chrysostomus te fortasse rediturum Pragam. Saltem ne redeas sine pensionis tuae augmento. Age rem apud cl. Zippe, quem accedas, velim; ei referre poteris, me suasisse. Professoris vices supplevisti aliquoties, examinatorem regium egisti, officiis variis in ordine religioso defunctus es, valetudine dubia et inclinata uteris, cur, quaeso, non agis, non omnem moves lapidem, ut tibi honestius vivere liceat?

Alias plura; nunc impedior. Sed scribam proxime; tu me ama, ut a me amaris.

Vale.

XI.

(**1786.**) **Durich podává zprávu o Frischových Programmatech, o dvou rukopisech Vatikanských a j.**

Fortunatus Durich Jos. Dobrowskyo suo s. p. d.

Ut tuis desideriis satisfacerem, adii Schimekium, qui te et omnes reliquos amicos humanissime salutat et hilari promtitudine omnia, quae habet rei slavonicae collectanea, ad communicandum offert. Frischii Programmata omnia, ex exemplaribus typis editis, quae d. Zlobiczky possidet, sed alicubi manca, manu cujusdam studiosi descripta cum mihi dedisset, domum rediens et in eam inquirens Diss., quam tu desideras, non inveni. Sed illius causa cras, vel ut proxime potuero, Schimekium accedam. In primo Programmate prodit Frischius, glagoliticum ex cyrillico charactere ortum esse his verbis: »Inter quas notiores sunt Polonica, Russica, Bohemica et Vendica sive Veneda. Ceterae vero plerisque adeo ignotas esse videmus, ut pauci nomina earum audiverint, pauciores characterem Sclavonicum viderint, quo tot magna regna et celebres provinciae utuntur,

Cyrillicum nimirum, et qui ex eo orti sunt, *Glagoliticum et Neo-Russicum.*

De hujus characteris Sclavonici sive Cyrillici origine jam aliquid in genere, plura vero de Glagolitico in specie dicam: Seculo post C. N. nono, philosophus quidam natione Graecus, religione Christianus, nomine Constantinus, primus fuit, qui linguam Sclavonicam literis Graecis scribere coepit, quod alii ante eum Latinis tentarunt. Hujus conatus ipsae Sclavonicae literae, etiam historia tacente, testes esse possunt. Figuram enim Graecarum literarum omnium, quas vocamus majores (minores enim tum non erant), adhuc in eis agnoscimus.

Quia vero Sclavonicae gentes sonos in pronunciatione quarundam vocalium, diphthongorum et consonantium habent, quos literis Graecis non potuit exprimere Constantinus, his peculiaribus sonis novas finxit figuras.«

Sed ut primum obtinuero id, quod de glagolitico charactere scripsit Frischius, absque mora perscribam ad te mittendum.

Communicavit quoque mecum Schimekius quatuor exempla apographa literis cyrillicis exscripta, duo ex cod. ruth. in 4° pergamen. Biblioth. Vaticanae sign. No. 2, olim primo; duo ex cod. ruth. in 4° Bomb. Bibl. Vatic. sign. No. 5 olim 2; in his nunquam occurrit ъ, sed semper ь, etiam ubi manifeste duriter litera pronunciari debet; figura literae ž in hunc modum ж in omnibus quatuor exemplis. Sed de hac re alias plura.

Tu interim in pectus tuum argumenta adfer, cur in glagolitico charactere pro cyrillicis ъ et ь, solum ı fuerit usque ad Caramani reformationem, qui in Alphabeto suo pro ь posuit ı et pro ѣ Ѧ̇

Si Caramani Alphabetum ejusque expositionem non habes, scribe, ut tibi necessaria scitu exscribam. Communicavit quoque mecum Schimekius in forma octava majore duos tomos ad literaturam slavonicam pertinentes; primi inscriptio est: **церковный словарь** etc. a Petro Alexievio editum authoritate sacrae synodi Mosquae 1773. Alterius tomi inscriptio est: **дополненіе къ церковному словарю** etc. typis ejusdem univers. Mosq. A. 1776.

Sed jam de rebus literariis plura scribere nequeo, reliquum enim est, ut tibi et cl. Pelzelio humanissime gratias agam pro literariis muneribus teque interpellem, ut perlecta epistola praesente gratiarum actoria involucrum claudas et cl. secretario extradas. Nihil nuper respondisti ad meam quaestionem, qua lingua XIII. statut. Societatis satisfacere possim; arbitror igitur, etsi statutum hoc universale sit, membra extranea non concernere. Sed fors oblitus fuisti respondere.

Dissertationem de vestigiis linguae graecae in lingua slavonica latine scriptam ad te mittam, necdum enim quidquam germanico stilo exaravi. Glossemata cl. Ungar, quem humanissime saluto, ante meum discessum in chartulis ex antiquissima edit. Novi Test. boh. adnotata extradidi; non igitur illa citius illustrare possum, donec illa, id est, voces minus usitatas, rursus obtinuero.

Vale quam optime et me amare perge. Salutem meo nomine dic omnibus amicis; proxime plura scribam.

(Na připojeném lístku:)

Ⱂ. Sed ante obsignatam epistolam adveniens cl. Zlobiczkyus promittit mihi usum tuae Hist. l. boh., propediem exspectans exemplar sibi a cl. Ungar promissum, cui humanissime commendari cupio. Gratias igitur tibi habeo pro illo affectu et promtitudine animi.

XII.

1786 — 29 dubna. Durich podává zprávu o spise Frischově »Historia linguae Slavonicae«, a o památkách hlaholského písma ve Vídni, o Šimkových Dějinách Bosny a j.

Viennae 29. Aprilis 1786.

Fortunatus Durich suo Jos. Dobrowskyo s. p. d.

Ne illud Mostellariae Plauti ex diuturniore mora verbum — mantare — dicas me velle meopte usu ex obsoletis revocare, accessi ad cl. Zlobiczkyum, ut ab illo impetrarem, cujus exemplar integrum P. Schimekius vel non habet, vel inter suas chartas invenire non potest. Heri itaque apud Zlobiczkyum perlegi programma Frischii continens Historiam linguae slavonicae vel potius characteris glagolitici. Istius exemplaris tres priores foliorum partes in forma quarta cum literarum majuscularum et minorum speciminibus in aes incisis possidet Zlobiczkyus, reliqua ex exemplari cl. d. de Schwandtner perscribi curavit; videturque integrum programma duabus plagulis contineri. Quae tu nuper scire volebas, an responsiones ad quaestiones. — Quid de antiquitate characterum sentiat? Id, quod nos ambo; sed absque ulla demonstratione, atque sine temporis, quo character glagoliticus ex cyrillico productus fuit, designatione: tachygraphorum tamen cura tamquam sub larva in glagolitico cyrillicum latere, et istius progressum esse, substantia est omnis rei antiquae a Frischio de charactere glagolitico dictae. Porro scribit se in notitiam characteris glagolitici triplici occasione venisse: I est Oratio Dominica Mülleri, II L. Baro Johannes Ungnad, III Valvasor. Forma characterum cum primis majuscula est eadem, dicitque Frischius, quasdam literas supplevisse et emendasse a Stredowskyo male adductas. Tum quaesivisti: Quos, et quot libros impressos nominet? — Tantum quinque numerat libros in typographia Tubingana impressos, nimirum: I Nov. Test. in duabus partibus, II Postillam ex Lutheri, Melanchtonis, Brentii scriptis concinnatam, III Locos theologicos Melanchtonis eodem anno 1562 impressos, (Nov. Testamentum in vestra Major. Nosticz. Bibl., nisi fallor, habetis; Kohlius quoque eosdem sub his tribus numeris citatos libros recenset pag. 155 et seq.), IV Abecedarium, V Catechismum, fors illum, quem tu ex bibliotheca capituli Vetero-Boleslaviensis tibi concessum mihi videndum dedisti, in quo etiam Symbolum vulgo Athanasii dictum me legisse memini. Demum quaesivisti: Quae MSS^ta^ Frischius nominet? Heu! nulla. Itaque praeter mox recensita, nihil in hoc schediasmate Frischius adduxit, quod tu nescias. Sub principium enim de literis cyrillicis agit et in notis quaedam ex Dubravio et Stredowskyo adfert. Expositione alphabeti succincta absolvitur opusculum. Haec igitur de glagolitica literatura ex Frischii schediasmate. Quod ad Vindobonensia ejusdem rei literariae glagoliticae monumenta attinet, interpellavi P. Schimekium, qui mihi asseveravit nullum MSS. codicem glagoliticis literis exaratum in Bibliotheca Aug. esse; sed de eadem re Zlobiczkyus a me interrogatus, respondit: in Augusta Bibliotheca in involucro libri cujusdam inventum fuisse aliquod fragmentum glagoliticum. Dabo igitur operam, ut illius notitiam humanitate custodum adquirere valeam; cujus fragmenti ut primum copiam habuero, non omittam tecum communicare. In bibliothecis Carinthiae et

Carnioliae quaedam MSS. existere ex P. Schimekio intellexi; dabo tibi pleniorem notitiam, postquam Zlobiczkyum de hac re interrogavero; nuper enim obrutus multitudine librorum ad literaturam slavonicam pertinentium, quos ille effusa humanitatis promtitudine e sua libraria penu continuo proferebat, non potui me satis collectum tenere ad inquirendum in ea, de quibus ex illo edoceri mecum constitui. Visis facile quinquaginta libris ad rem literariam Slavorum, cumprimis grammaticam, pertinentibus, excepto Frischio et Bohorizio in Horulis arcticis, nihil rei glagoliticae observavi. Sed plures adhuc libros laudati argumenti se habere dixit Zlobiczkyus, quorum, et jam obiter visorum, melioris notitiae adquirendae causa pro alio commodiore tempore copiam mihi obtulit.

P. Schimekius nunc totus est in describendis rebus gestis politicis r. Bosniae, quarum primam philyram typis exscriptam apud eundem jam nuper legi hac inscriptione: »Politische Geschichte des Königreichs Bosnien.« Duabus partibus in 8° totum opus absolvetur: prima parte continebuntur res gestae politicae, altera topographiae destinatur adjecta charta geographica. Priori parti etiam ectypa sigillorum ad res Bosnenses pertinentium inserentur: unius majoris sigilli inscriptionem literis cyrillicis factam legi Georgii despotae Bosniae, in qua litera Ѧ in hunc modum formata est: Ո prout me vidisse memini in quadam inscriptione romana epitaphii slavonici, quod exstat in Topographia regni Hungariae edita in forma quarta sub initium hujus seculi.

Caramani in alphabetum illyricum expositionem in praesentiarum ad te mitto junctis hisce precibus, ut illam cum dilectissimo Patre Dlabacžio, canonico Sioneo, communicare velis. Videtur mihi ex illa Caramani nova literarum punctis seu *stigmatibus* (utar formula nostri Nudožerini) insignitarum auctione — Ⰲ̇ Ⰵ̄ Ⰲ̈ Ⰲ̄ Ⰴ̇ et discrimine inter Ⰵ et Ⰵ̈ oriri nova epocha orthographiae glagoliticae; nihil enim sive in MSS, sive in editis codicibus ante Caramanum hujuscemodi discriminis observavi, praeter illud signum mollioris literarum pronunciationis, quod ad discrimen inter cyrillicum Ћ et ћ addit Caramanus formae İ, ut haec figura aequivaleat cyrillico ћ, ista vero — I concordet cum Ћ; etsi non meminerim hunc accentum eadem forma τῷ Jer glagolitico in codicibus *Ante-Caramanianis* additum, sed literae molli forma e. g. hac -- Ⱐ̃.

Postquam P. Schimekius mecum communicaverit fragmentum illius Psalterii a Nicolao descripti, fors quaedam majoris momenti ad literaturam glagoliticam pertinentia observare potero. Sed de his plura in posterum. Nunc ego tuam epistolam, quam jam nuper promisisti, magno desiderio exspecto; memineris ad omnia respondere, praesertim ad N^um XIII statut. Societatis.

Cl. professoris Alter propositum edendorum typis Trattnerianis omnis generis optimorum linguae graecae auct. class. cum interpretatione teutonica; tum etiam anecdotarum epistolarum historiam ecclesiasticam Ruthenorum praeclare illustrantium, tibi procul dubio jam notum erit ex officina Pragensi Trattneriana; alioquin tibi mitterem hujus instituti typis excusam notitiam, quam mihi dedit d. Werschhauserus, qui te humanissime salutat.

Antequam te abire sinam a lectione hujus meae prolixioris epistolae, quaero ex te: an tibi constet de aliqua bohemica versione C. Sallustii?

Saluta omnes amicos cum primis cl. cl. Pelzelium, Ungar, Gelasium Patrem nostrum, cum quo, spero futurum, ut in controversia mitissime agas et fortitudinem argumentorum reverentia et memoria meritorum de patria emollias. Quod et Zlobiczkyus optat. Ne quaeso mihi succenseas hanc deprecationem, tum etiam illa Quintiliani verba — ut refrigerato inventionis amore — ex persona Gelasii tua retractes. Vale quam optime, et me amare perge.

Lilienthalium proxime remittam.

XIII.

1786 — 25. května. Durich podává zprávu o některých rukopisech dvorní knihovny Vídeňské, o jich obsahu a palaeografických zvláštnostech.

Viennae 25. Maji 1786.

Fortunatus Durich suo Jos. Dobrowskyo s. p. d.

Quod ad Martyrologium MS. Bibl. Augustae Vind. sign. inter cod. hist. eccles. N. L attinet, volebas, ut vitas nostrorum Patronorum perlegerem et res, quae mihi viderentur praecipuae, tibi notas facerem, nuper praestiti. Cyrilli certe et Methudii memoriam in eo desiderari recte opinatus es: perlustrato enim toto Martyrologio, nihil hujusmodi inveni. Ponitur equidem memoria Cyrilli episcopi octavo idus Martii post Cyprianum; sed tu nosti istum esse in Africa cum Rogato ceterisque; nihil die sequente, id est VII. idus de nostro Cyrillo.

Nullius nostrorum SS. Patronorum vitam descriptam inveni praeter Mariae Aegyptiacae prolixiorem biographiam a *lectionibus Proprii boh.* diversam. Porro paucorum vitae heic describuntur, ut Jobi, Abrahami aliorumque ad tuum institutum non pertinentium. Quae tecum communicare velut praecipua existimabam ex menss. Martio, Sept. et Octob. haec sunt:

G ııı. N. Stī lucıı...
Eodem dıe tᶜnſl. S. Wencezlaı mr̄s.
F vı. īd. tᶜnſl. S. Vıtı mr̄s.
Sept.
F xvıı k̄l. S. Nıcomedıs.
ff passıo ſtē Ludmıle
(alio tempore scriptum vel additum, manu tantisper, ut mihi videtur, diversa.)
xıx E ıııı k̄l. In cıuıtate Praga. Stī Wencezlaı mrī̄ſ.
Octob.
E ııı. N. Octaua S. Wencezlaı mr̄.

Historiae Alexandri initium folio 87 in supra laudato codice est sequens:

»Alexander Magnus philippi u° putabatur et olımphíadıſ fili⁹ rex macedonum uıceſımus quartus regn̄ annıs XII. sex adhuc ſtante regno ꝑſarum...«

Chronicon eodem codice contentum incipit:

»Auguſtus Ceſar X°III° ımperıı fuı anno« —
[desinit anno]
Mıll. clvııı. Imꝑator federıcus....
(Fol. ultimum est 148. codexque mutilus.)

[Anno priore haec habentur: »Dux Wladiſlaus regia vocatione appellatus ad curiam ratiſbonenſem«.]

De inventis a Cyrillo et Methudio literis, ista quoque excerpenda duxi: Anno DCCCXCIIII°. Boriuoi ē baptiſatus prim⁹ dux boemie catholicus . . .
. . . . hac ipſa tempeſtate cyrillus & methudius inuentis bulgarorum litteris verbum dī p̄dicauerunt morauicis. Eodem u° anno q° dux boemie p̄fatus boriuoi ē baptizatus Zuatopluk p̄dictus rex morauie monachus factuſ ē ī Zober. quodā cenobio panno. ſ; quot anniſ ibi uixerit poſteritas certitudinem non accepit.

Ante octiduum misi specimen excerptarum var. lect. cl. de Rossi, non tantum ex Jobo, verum etiam ex lib. Num. II. III. IV. illas lectiones, quas ille in epistola ad Bibl. August. data 12. Aug. A. 1784 adnotavit, quamque cl. Denisius produxit, dum illum praestantissimum codicem ab Adlero N 3^{io} inter Viennenses necdum collatos positum conferrem, qui etiam per id tempus inter hebraicos Aug. Bibl. N^{um} III habet. Fui compluribus diebus intentus huic operae, ut nihil intermitterem momentorum criticorum a Lilienthalio descriptorum et Rossio; quae ad antiquitatem spectant, plurima inveni in laudato codice criteria; forma characterum videtur mihi accedere ad Casselanum. De hoc autem alias plura; neque tamen a me impetrare possum, ut de var. lect. nihil scribam: Num. III, 12. pro מבני leg. בְּבְּנֵי, quod scire desiderabat Rossius; manus autem alia in margine minori charactere distincto ab iis literis, quibus omissiones subinde supplentur, atque pallidiore atramento adscripsit מִדְּיֵי. Praestolor responsoriam epistolam a Rossio, quid magis velit in collatione ulteriori. Interim slavonicis MSS^{is} sum addictus singularemque experior ad desiderata humanitatem tum in cl Denisio, tum in reliquis, atque in cl. professore Altero, qui nunc codicem XXVIII Lambecianum Lib. III de Bibl. Caes. Vind. edit literis Trattnerianis, in quo I. Jo. V, 7. non habetur, atque etiam in editione non ponetur.

Opportune accidit, ut petito codice MSS. slavonico sign. N° CI (non 103, ut Reimannus habet) praeter adnotata Acta Apostolorum et Epistolas S^{ti} Pauli, etiam Epistolas Catholicas post Acta Apostolorum invenirem; hujus rei commonito immediate et cl. Denisio et Altero, qui cupiebat nosse, an in slavonicis codicibus haberetur, cuique in hunc usum dedi excerpta ex cl. Michaelis § 88. pag. 451. collato MSS^{to} slavonico cum codice XXVIII Lambeciano, invenimus consensum; ita enim versio slav. adornata est, de qua, ut certus reddaris mihi finem praecedentis et sequentis contextus perscribam: д͠хъ є҆ и҆стина. ꙗ҆ко трїе сꙋ҇ть свѣтелствоующе. д͠хъ. и҆ вода̀ и҆ кръ́въ. и҆ трїе́ въ є҆ди́но сꙋ҇ть. а҆́ще свѣтелство чл͠вческо. Codex ille est chartaceus, ex libris Sebastiani Tengnagel Burani Belgae, Caes. Biblioth. curatoris, a. MDCVI — in forma octava majori, sine nota chronologica, quem in locis praecipuis conferam et curatius observabo, ut ad palaeographiam slavonicam et criticam meliora elicere possim. Antiquior isto est codex MS^{us} slavonicus sign. N° XCVIII. (apud Reimannum pag. 785. N° 99.), non continentur eo quatuor Evangelia, sed integrum Psalterium Davidis una cum Ps. apocrypho 151. Sequuntur Cantica V. T. et ex N. T. pars

Cantici B. Mariae V. Codex enim ad finem est mutilatus. Psalterio praefixa est praefatio: какѡ съставлıень бы̏ ѱлтирь; initium praefationis est: Научньшоу дкоу црткокати по слѹѕе . . .

Ad palaeographiam slavonicam complura jam adnotavi nobis prius ignota; τὸ ѕ hucusque tantum inveni Ps. ѳ̃. et є̃і. semel in utroque, nimirum post literam majorem utrobique. Porro rarius invenio ы, novies tantum, si recte commemini in prioribus novem psalmis, et in pronomine ты̏ saepius, rarius in aliis vocibus inveni; pro quo и solet poni, ut Ps. а̃. грѣшнii.

Figuram ѧ necdum inveni, identidem ӓ hucusque non observavi; sed ѩ et ю Item magis slavonisat haec versio Psalterii, quam editi codices, e. g. Psalterium Viennense: non enim invenio tot epentheses literarum є et о. Si mihi Deus vitam atque vires tribuerit, persequar hoc institutum magis in *Symbola ad palaeographiam slavonicam.* Heri profess. Alterus in eadem Bibl. Caes. servatum codicem, literis glagoliticis editum, sed sub principium et finem mutilatum, in forma duodecima maj. characteres nitidissimos habentem produxit; incipit a folio ѵ̃, in quo post fragmentum Ps. 8^{vi} est inscriptio ⰒⰔⰀ. ⰀⰛ ipseque Ps. *Confitebor tibi* etc., sed ad reditum urgebat hora; non tamen dubito esse Breviarium, fors illud Venetiis A. 1561. a Nicolao Brosich editum. De hoc alias, nunc etiam angustia chartae me coarctat, ut ne plura, quae habeo, scribere valeam. Si quid habes vel scis de modulis musicis antiquis nostrorum majorum, scribe: abbas et princeps ad S. Blasium, pone quem sedere soleo in Musaeo, me interpellavit. Imple quoque promissionem epistolae, quam exspecto. Saluta omnes amicos; vale quam optime et me amare perge.

P. S. Inquiram in lectiones de vita SS. Cyrilli et Methudii in Brev. glagol. et proxime ad te scribam. Iterum vale et nostrum Pelzelium saluta et cl. P. Jaroslaum.

XIV.

1786 — 25. června. Durich podává zprávu o zásilce Rossiho, o některých rukopisech Vídeňských a jich zvláštnostech.

Viennae, 25. Junii 1786.

Jos. Dobrowskyo suo Fortunatus Durich s. p. d.

Volebas me negligentiorem esse in mutuis amicitiae officiis exhibendis; tuam igitur voluntatem reprehende, si praesentes literae serius ad te scribuntur ab homine tuam voluntatem pensi habente. Exempla secundi voluminis Var. lect. cl. de Rossi jam diu aderant apud bibliopolam Franciscum Haselmayer, ignorantem, ubi et quibus extradenda essent; idem quoque ignorat, an unum, an vero duo exempla cl. d. Ungar tradenda sint; sed quantum equidem ex tua die 25 Maji*) ad me data epistola conjicio; de uno exemplo I et II voluminis intelligendum est, quod scribis, cum pecuniam pro duobus I et II se solvisse cl. Ungar asserat. Notum igitur fac mox laudato cl. viro et amico eundem meo nomine salutando, adesse exempla pro subscriptionibus Pragensibus, ad illum, te et P. Faustinum spectantia, quae in quem modum

*) Tento list se nám nezachoval.

Pragam deferri possint, ex vobis rescire cupio: per currum enim diligentiae ea mittere nequeo, praesertim cum cl. de Rossi adjunxerit involucrum suorum operum, quod huncce habuit inscriptionem:

Libri per il Sig. Dobrowski e F. Durich
di Praga.

In hoc involucro duo exempla erant: *De praecipuis causis neglectae Hebr. lit. disc. disq.* elencht.; reliquorum operum sunt singula tantum exempla — nimirum de typographia Hebraeo-Ferrariensi unum exemplar; Specimen ineditae et hexapl. bibl. vers. Syro-Estr. Apparatus Hebraeo-biblicus. Della lingua propria di Christo etc. dissertazioni. Della vana aspettazione degli Ebrei Trattato. Haec singula exempla ad te spectare opinor, cum nullam epistolam adjunxerit Rossius, et solius superius laudatae disquisitionis elenchticae duo exempla involuta sint: ista igitur tuo exemplari II. vol. Var. l. adjungam. Pretium seu sumptus deportationis horum Rossianorum operum Parma Viennam bibliopolae Haselmayero refudi; etiam ut volebas pro III vol. pecuniam numeravi, ut is desiderabat, et praesens Haselmayeri *Nota* fidem facit.

Quod scribis, te scire de existentibus MSS. slavicis charactere Servorum, ac propterea quaeris, num Schimekius illis usus sit, nuper hujus rei causa et illarum duarum grammaticarum eundem adii. Usus est, ut mihi in suo MSS^{to} monstravit; sed ut ipse fassus est, et ego in recensione cod. CI observavi, cursim vel *ἐπιτροχάδην*: recenset enim illum prout est apud Nesselium, quod ad contenta attinet; sed eo codice perlustrato inveni plura: nimirum septem Epistolas Canonicas post Act. Apost., ut nuper tibi significavi; qua de re Schimekium etiam monui, qui reposuit, se non posse hanc diligentiam impendere otii defectu. Recenset quoque duo MSS. quatuor Evangeliorum in folio, sed non adducit signum literae aut numeri, et usque in praesentem diem nihil hujusmodi etiam accedente diligentia Alteri professoris invenire licuit. Breviarium glagoliticum, quod Schimekio est ignotum, nunc jam nullatenus dubito esse illud Venetiis editum a. 1561, habet enim ordinem missae etc., ut Assemanus animadvertit. De stigmatibus, quod mones, vellem plenius et significantius ex te rescire, an Levacovichius omnes literas stigmate notatas in eundem modum, ut Caramanus, habeat; an vero tantum illud stigma, quod in cyrillicis codicibus loco ъ et ь supra literas ponitur — v. g. ѐзыкоу̓, in Brev. Bibl. Vind. glagol. Ps. 11. ⰵⰸⰻⰽⱁⰿ. Nosti, me jam diu inquisivisse in exempla illis typis edita seu formis literarum, quas piae memoriae Ferdinandus II Caesar Cong. de Prop. donaverat, ad concinnandum *Diss. de meritis Aug. Domus Austriacae in linguas ecclesiasticas:* facies itaque mihi rem omnino gratam, si mihi integram inscriptionem hujus Psalterii et Breviarii Levacovichiani opportuno tempore descriptam miseris, locum designaveris, ubi servetur, et quaedam praecipua momenta mecum communicaveris, quae ad criticam libri recensionem pertinent; atque num praeterea alius tibi liber visus sit istis literarum formis excusus? Quod ad grammaticas attinet, monui, ut volebas, Schimekium; reposuit ille se unicum tantum illarum exemplar habere et dolere, quod tuis desideriis satisfacere non possit. Ego interim meam tibi offero, quam habeo, croaticam; cum Lilienthalio illam opportuna occasione mittam. Psalterii a Nicolao descripti

exemplum conferre non possum; nuper enim Schimekius mihi copiam illius patenti reposuit, hoc exemplum sibi ad manum non esse. Psalmum XI[um] supra laudati Psalterii ante Breviarium glagoliticum positi contuli cum Psalterio cyrillicis literis exarato in cod. Aug. Bibl. N° XCVIII, cujus possessor fuit Michael Comnenus a. 1502. seu **лѣта Христова ҂афв**, quemque pro dalmatico neutiquam habere possum. In hoc pro **ъ** ponitur **ь**, ut **Блаженъ моужь**, rarius supra alias literas in hunc modum protenditur **вьселї**; rarissime **ъ** ut Ps. **ѳ. Възвеселюсе**, Ps. **єі. Съхрани. ы** tantum novies in primis novem psalmis scriptum observavi, alias **и** ponitur illius loco; **а** nunquam, sed **ꙗ**; **ꙗ** pro **є** frequentissime. **ꙗзикь** dum in glagol. **ⰰⰸⰻⰽⱏ**; **ѣ** pro glag. **ⰵ. льстивїє. ⰾⱜⰺⰲⱁⰹⰵ, ниꙗ. ⱃⰵⱃⰵ.** Interpolatus est quidem ille psalmus in gl. exemplari e Vulg. in illa lectione: *in corde et corde*, ubi cyrill. exemplar habet pressius etiam secundo: *et in corde* graecam lectionem redditam; reliqua tamen cyrillica sunt. Vellem te Plinii more timidiorem esse in hac sententia proferenda de dalmaticis codd.; ego Epicharmi dictum sequar, et conferam illa fragmenta romana cum Tetraevangeliario Mosquensi Bibl. Caes. edito a. Chr. ҂ахді, vestro codici Nostitziano in literis simillimo, sed nonnihil elegantiori. De hoc plura alias.

Si hac diligentia conatus nostros in studio palaeographiae slavonicae persecuti fuerimus, accipient populares nostri aliquid Montefalconiani; et forsan et ipsi Montefalconio aliquid accedet; immo jam nuper cum profess. Altero deteximus; sed ego nunc tuum desiderium excitabo, ut illud ferre nequeas, ut eo maturius a te responsum cum quaestione obtineam: vis scire, quid illud sit? est C. P[num], est sec. IX[i] in quatuor foliis membr. elegantissimum. Quod ad lit. **ш** attinet, arbitror illam esse medii aevi slavonici, illaque antiquiorem esse **т**; et vel inde conjicio gl. **ш**, quod ego non ut tu a **и** omissa linea media, sed media *τοῦ* **ш** bis posita ita derivo, sicut a **г** formatum est glag. **ⰳ**. Non soli tachygraphiae mutationem hanc adscribo; neque dissentio tibi, et quos laudasti, etiam sequor; sed in hunc modum, ut dicam praecipuam hujus mutationis causam propemodum eandem esse, quam tu quoque, si recte assequor, mecum mavis, distinguendorum codicum graecarum lectionum et omissionum, quas Latini mordicus vindicabant et vindicant adhuc: ut e. g. Act. Apost. VIII. vers. 37 et I Joh. V. v. 7., quorum neuter in slavonicis cyrillicis MSS. Vindob. habetur; immo quod ad istum attinet, in nullis, ut nosti ex Introd. Michaelis.

Gaudeo, quod nunc tibi id persuadeas de russicis codicibus, eos non mansisse sine omni mutatione: mihi (salvis glossematibus) dialectus Dalemiliana et Nov. Test. boh. 1475 multa slavonica videtur habere, quae apud Russos desiderantur. Plagulam adnotationum memini me in cod. Vilnensi Tetraevang. vidisse; inquire igitur: reddidi enim omnia, quorum usum habui. Pretium enim ejusmodi chartularum novi. Pecuniam, quam tuo nomine praenumeravi, poteris commodo tempore P. Chrysostomo reddere. Gratias tibi ago pro officio interpretis, quod mihi offers; utor, cum primum potuero. Vale et amicos saluta cum primis Pelzelium et Ungar, apud quem memor sis *reminiscentiae*. Prof. Alterus te salutat.

XV.

1786 — 17. července. Odpověď Dobrovského na předešlý list, ke kteréž připojuje některá svá přání stran slovanských rukopisů a některé pokyny jazykozpytné.

Heinrichsgrünii, 17. Jul. 1786.

Amico suo integerrimo salutem plurimam d. Jos. Dobrowsky.

Literas tuas 25. Junii scriptas accepi Praga per nuncium, serius itaque, quam cupiebam. Quid enim desiderem magis, quam literas tuas, eruditione plenissimas? Ruri nunc quidem dego, at bonae literae, ut scis, etiam rusticantur nobiscum. Magno me obstrinxisti beneficio, quod pecuniam Haselmayero numeraveris pro III. volumine operis de Rossiani. Postquam Pragam rediero, aut responsum a cl. Ungar, cui ea de causa scribendum fuit, accepero, faciam te certiorem, qua occasione commode transmitti possint exempla II voluminis. Ad cl. Ungar duo exempla II. voluminis, quantum memini, spectant. Primi enim voluminis exemplaria acceperat omnia. Dissertationes cl. de Rossi partim ad me, partim ad te pertinent, scripsit enim mihi quondam cl. de Rossi, se tibi offerre velle lucubrationes suas. Igitur eorum, quae bina sunt, unum exemplar tibi servabis, uti et specimen ineditae et hexapl. bibl. vers. Syro-estrangelae. Reliqua interim servabis, donec bibliothecam meam inspexero et videro, quae nondum habeam.

Placet mihi summopere tua in lustrandis codicibus slavicis diligentia, quam vellem, ut adhiberet P. Schimekius, quem, jam nolim, moneas de promissis. Nam utramque grammaticam consecutus sum per bibliopolas Pragenses. Non tam invideo felicitatem tuam, quae tibi opportunitate loci obtigit, quod manuscripta slavica volvere possis, quam opto, ut et mihi aliquando tam felici esse liceat. Nunc saltem ea me delectant, quae mecum ex iis communicare soles. Plura exstare manuscripta slavica in Bibliotheca Caes. ex Reimanno certo scio, inter quae unum characteribus servicis, nescio, an non breviarium sit? scriptum ibidem legi. Utique servicos ego characteres non censeo esse diversos a cyrillicis, sed illud tamen conjicio, manuscripta slavica pleraque ex Servia, Bosnia, Dalmatia fuisse Viennam translata. Neque dubito, cod. N. XCVIII esse dalmaticum, hoc est, in iis oris slavicis transdanubianis scriptum. Nam russici, qui in Polonia, Russia, Lithuania desumti sunt, ad regulas grammaticae Smotriskianae magis accedunt. *tja*, *sja* utique magis slavonica sunt, veterem dialectum si intelligas, quam *te*, *se*, quae omnino dalmatica sunt; inde factum, ut glagol. ѧ, quod certe ex ꙗ ortum est, non jam *ja* sed *e* sonet vel *je*. Sic *desjat* vetustius est quam *deset;* unde enim bohemicum desátý oriri potuisset, nisi *desat* olim pro *deset* usurpatum fuisset. Hos igitur omnes cod., in quibus pro *ia* scribitur *e*, dalmaticos esse judico. Codex 4. Evangeliorum, quem conferre soleo, est P. Gelasii Dobneri, quem ille nuper Pragam, nescio unde, attulerat. Breviarium Levacovichii servatur in archivo Břewnowiensi ad Pragam, praeterque illud aliud Missale recentius, quod tu Pragae ipse videras. Titulum Breviarii transscribam tibi, quam primum licuerit. Notabo praeterea omnia ad orthographiam glagoliticam pertinentia, multa enim *puncta* et lineolas adhibuit Levacovichius, quae quidem

retinuit Caramanus, neglecta tamen iterum fuerunt a typographis. In illud etiam inquiras, velim, quid sibi velit щ̈ in Truberianis operibus cyrillicis, quo differat a simplici щ.

ъ et ь, quae in russicis codicibus accurate distincta sunt, in dalmaticis raro aut nunquam occurrunt, solo ь contentis; inde factum arbitror, ut in glagoliticis codicibus solum ı pro ь adhiberetur. Quod ipsum argumento est, glagoliticam lit. et imperfectiorem esse et recentiorem multo cyrillica.

Summo desiderio afficior cognoscendi membranas illas quatuor sec. IX. neque intelligo, quid C. P^num sit? Constantinopolitanumne symbolum aut aliquid aliud? Tu certe sitim meam exstingues proxime.

Cl. Dobneri dissertatio me adeo non potuit a sententia mea dimovere, ut nunc fere sciam, qua occasione, quove tempore enata sit omnis glagolitica literatura. Synodus enim Spoletana damnavit Methodium, damnavit slavicos libros utpote gothicos, scis utique gothicas Ulfilianas literas e graecis desumtas similesque cyrillicis; ergo clerus libris slavicis assuetus in Dalmatia non alia ratione usum liturgiae suae obtinere potuit, quam libros transscribendo et immutando eorum characteres, ne amplius pro gothicis haberi possent. Quove facilius finem consequeretur optimum, medio non tam turpi, quam necessario et pro temporis, loci, personarum ratione apto usus est, nempe figmento illo de Hieronymo lit. glagol. auctore. Occurrebat tum locus Hieronymi in praef. Psalterii, quem de solo Psalterio intelligi debere primum cognoverunt. — Igitur non nisi Psalterium, et forsitan illud an. 1222 descriptum ex cyrillico omnium primum, glagoliticum pro Hieronymi versione venditare ausi sunt. Alias partes Script. s. praeter libros liturgicos lit. glagoliticis extare pernego. Saltem nulla ratione Hieronymo tribui possunt. Nam Psalterium linguae suae hominibus transtulisse ait Hieronymus, quem locum male intellectum a Dalmatis occasionem praebuisse figmento pervulgato de lit. Hieronym. jam monui. Nihil autem occurrit in Hieronymo, ex quo erui simile quid possit, quo defendatur, eum alios libros transtulisse linguae suae hominibus.

Nec opus fuit, summopere laborare, ut Psalterium slavicum cum Vulgata conveniat, cum constet Vulgatam ex LXX translatam, quantum *) quidem ad illum librum. Quod partes Scripturae sacrae in officiis divinis recitarentur, quae magis ad LXX quam Vulgatam accedebant, non multum movit Latinos illis temporibus. Nam scis fragmentum illud ex Ecclesiastico, quod Pragae detexi, LXX versionem referre. Serius correctos codices glagoliticos scimus, et quidem Psalterium prima vice per Levacovichium, qui tamen multa ex cyrillica retinuit etiam in iis locis, quae ad Vulgatam pressius reduci potuissent.

Parce festinationi meae, illudque certo teneas, cariorem te mihi futurum, quo plura amicitiae officia non tam impleveris, quam a me exegeris.

---

*) Animadversio mea (F. Dur.). Glagoliticis literis exaratum Psalterium a. 1222 refert versionem Hieronymi hebraicam seu ex hebr. textu latine ab Hieronymo translatam (FF. Minores susceperunt). Versio autem slavonica Psalteri teste Levacovicho, quid Assemanum T. *)

*) Jak se zdá, není dopsána tato poznámka od Duricha.

Vale, quam optime. Cl. Denisium ac prof. Alterum humanissime salutes velim.

Officium vice-rectoris in generali seminario Pragensi mihi oblatum fuit. Quid putas factu opus esse? Nescio utrum ferre valeant humeri. Tu quid judicas? Juva me tuo consilio, ut facilius inclinem animum ad alterutram partem. Iterum vale.

XVI.

1786 — 7. srpna. Durich podává zprávu o některých rukopisech Vídeňských a o jich zvláštnostech.

Viennae 7. Aug. 1786.

Amico suo integerrimo s. pl. d. Fortunatus Durich.

Membranae, quas nosse vehementer cupis, sunt fragmentum codicis Evangeliorum in certa τμήματα divisorum in sex foliis literis uncialibus graece descripta, quae, ut in margine inferiore cujusdam folii inscriptum est: *Augerius de Busbecke Constantinopoli comparavit.* Non potest esse quidquam similius codici Nostitziano Evangeliorum slavonico, quod ad literarum formas attinet, praeter majorem elegantiam, qua istae membranae vestrum codicem praecedunt. Summa vero pretii horum sex foliorum, quod ad nostras res slavonicas attinet, a me in duobus momentis reponitur; primum est, quod fuit fragmentum Constantinopoli comparatum, cujus patriarchatui addicti erant SS. Cyrillus et Methodius; alterum pertinet ad mirum consensum in ductibus literarum, cum primis in litera Bita, quae heic, aeque ac in cyrillicis est aperta e. g. **савва́тоу**. Nosti Montefalconium adduxisse quaedam fragmenta sec. IX, praesertim illud a Bandurio sibi oblatum; sed Bita ubique clausum est in hunc modum **в**; accentus **ѻ҆ѯетлиеінѡ̈н** Banduriani Fragmenti, etiam in isto Busbeckiano exaratus est; continetur eo majori ex parte historia Passionis D. N. Latent haec folia sex ad calcem codicis MSS. graeci continentis Commentar. Balsamonis in Nomocan. Photii, alias No. 15, nunc. IV. A. 20. Bibl. Caes. Viennensis. Interim ad tuam sitim restinguendam haec sufficiunt, utramque formam, et Buki et Vědi MSS. graecis fulciri.

Si tibi placet mea in lustrandis codd. slav. diligentia, multo magis placebit fidelis inventorum monumentorum et factarum observationum communicatio. Nuper cl. Denisius iterum meam notitiam rei liter. slavon. auxit: ex Bibliotheca Windhaagiana in Caesaream illatus est codex literis cyrillicis editus in 4to, non ut in dorso exterioris compacturae scriptum est: *Psalterium Moscoviticum*, sed **Молитвенникъ**, id est Euchologion sine alio titulo, sine loco et anno editionis; sed ante a. 1667. editum esse certum est ex illa inscriptione, quae in prima pagina signaturae ӏ҃ a. in hunc modum facta est: Ex Bibliotheca Windhaagiana a. 1667. Primum continetur eo immediate post laudatam vocem Molit'vnik: **Чи́нъ бы́ваемыи и҆сповѣданию**, id est, ut ego conjicio, Ἀκολουθία τῶν ἐξομολογουμένων; sequuntur tres Acoluthiae: **ѹ҆-б-на ѡ҆дѣѧнїе ра́сы**. Acoluthia εἰς ἀρχάριον ρασοφοροῦντα; **послѣдованїе малагѡ ѡ҆браза. і҆е́же є҆ мантїѧ**, Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ σχήματος, ἤτοι τοῦ μανδίου. **Ѵ-б-великаго и҆ а҆гг҃льскагѡ ѡ҆браза**, Ἀκολουθία τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος. Iam intelligis hasce Aco-

luthias tres pertinere proprie ad *Σχηματολόγιον*. Sequitur officium, dum frater animam agit et in Domino obdormit. Acoluthia sepulturae majoris. Acoluthiae benedictionis olei, aquae cum aliis benedictionibus personae, statui loco, tempori congruis. Officia ordinationum omnium usque ad patriarcham cetera. Si mos ille, quem abbas Fortis pag. 85—87 descripsit, soli Dalmatiae proprius sit, codex iste Euchologii est dalmaticus: nam ritus iste continetur in eo prope finem: **Чи́нъ б—на бра́тосьтво́ренїе**, de quo alias plura; per id tempus sufficiat indicasse, praeter orationes troparion etiam Apostolum ad Corinthios et Evangelium Joannis legi: **вьзвѣде і҃с ѡ҆чи свои на ѻ҆у҆че́ники свое-** finis: **и҆ ты вь мнѣ и҆ а҆зь вь ныхь.** Nusquam apparet **ѧ** sed semper **ы**, etiam in fine, sicut in Psalt. MSS. Terminatio verbi passivi et medii in **се** non **сѧ**. Liter. praepos. absque voc. epenth. Evangelii S. Joannis **з҃ча**. S codicis Mosc. Tetraevangl. Bibl. Caes. a me collata fuit cum lectione eadem evangelica, quae ponitur in Acoluthia **на ѡ҆броучéнїе**, atque diversitas, quam heic pro quodam exemplo solam pono, haec observata: Mos. habet: **а҆рхитриклинови**, Eucholog. vero **ста́рѣйшинѣ пироу**. Mos. **жениха**, Euchol. **женешта́госе**.

Quod scribis de Breviario servicis literis exarato, jam pridem contuli: est **'октωихос** seu Octotonus. Vide Zachariae Disser. de liturgiarum usu; vel potius L. Allatium. Characteres sunt cyrillici, notatu digna figura literae **ч**, quae sub principium **ѵ**, tum vero **ѵ** item **ч** exarata est: nunc perspicis, unde in fragmento Pragensi figura [figura] nimirum ex **ѵ** cujus basis **ı** geminata **ıı** et superior pars ad angulos [figura] ducta; debuit autem linea horizontalis geminari [figura], ne confunderetur cum **ѡ**. Neque insoliti, quid in laudato Octoicho ductus geminare, ut **б д** etc.

Sed nunc ad reliqua tuae nuper ad me datae epistolae necesse est, ut respondeam. Gratulor tibi ex animo precorque, ut tibi delatus honor solatio sit, dum tu aliis profuturus es, idque tui valeant ferre humeri. Eris huic loco [illegible]nior, ubi animum inter complura millia *labiorum dormientium* poteris ad tranquillitatem componere, si te labia viventium offenderint. Saluta omnes tuos, cum primis Pelzelium, nostrum Dobnerum et Ungar, cui proxime quaedam mittam ad illustrandam vitam Joannis Fortii. Vale quam optime et [illegible]ure, ut primum potueris, rescribe, atque parce celerrime scribenti neque [illegible]genti epistolam.

XVII.

1786 — 7. září. Odpověď na list Durichův, v které Dobrovský mimo jiné žádá, by [illegible]ch sbíral varianty ze slovanských rukopisů a přispíval k diplomatáři Čech a Moravy.

Mieschicii 7. Sept. 1786.

Durichio suo s. pl. J. Dobrowsky.

Mensem jam lapsum video ab eo tempore, quo, ut mature rescriberem, humanissimis mihique semper gratissimis literis tuis commonitus fueram. Volebam nempe tibi Praga, non e rure scribere, ut aliqua ratione diligentiam tuam in communicandis observatis tuis compensarem. Sed ultra, quam speraveram, ruri commorandum fuit. Post dies tamen paucos Pragam redibo

tibique satisfaciam plenissime. Fac interim, in ordinem redigas Collectanea tua omnia literaturam praecipue glagoliticam concernentia. Cupio enim, ut opera tua praevertat Schimekii tarditatem. Occasionem commodam, qua in lucem dari queant, si optas, mihi communica; potero namque ea Promptuario lit. Boh. et Mor. inserere. Hujus partem 2^{dam} mittam proxime, cui catalogum omnium bibliorum boh. mss. inserendum judicavi, continuaturus Bibliothecam manuscriptorum boh., qua in re certe etiam opera tua, si non in augendis, certe emendandis indigebo. In plurimis te sequi debui, qui mihi et omnibus hac in parte literaturae domesticae optimo praeiveras exemplo; neque aegre feres, cum videris, me in designanda codicum quorundam aetate recessisse a judicio tuo. Scis enim, quam incerta adhuc fuerint ante tempus aliquod palaeographiae nostrae principia.

Pecuniam R. P. Chrysostomo nondum solvere mihi licuit; faciam autem, quam primum in urbem rediero. Fac, quaeso, ut Rossiana opera ad me perferantur; jam enim nihil curo, qua occasione sibi ea mitti velit cl. Ungar, qui mihi respondit, se scripsisse Haselmeyero bibliopolae. Immo III. vol. jam Viennam Parma delatum suspicor ex literis cl. de Rossi, quod velim P. Chrysostomo mittas, mihi tradendum.

Optarem ego vehementer, ut, cum tibi ad manus sint codices slavici et impressus codex Ostrogiensis, pro gloria linguae slavicae excerpendis lectionibus variantibus operam tuam impenderes. Partiamur hunc laborem ita, ut ego Evangelia, quia haec praesto mihi sunt, tu vero Epistolas, Actus et Apocalypsim cum Griesbachii editione N. Testam. conferamus singulaque adnotemus ad criticam et exegesim N. Test. pertinentia. Certe haec symbola: *Lectiones slavicae N. T.* grata fuerit omnibus, qui philologiam sacram exercent. Hoc unum adhuc desideratur; nam, ut scis, ex aliis minoris momenti versionibus lect. var. excerpsit Millius et Wetstenius, ac novissime Griesbachius. Intra annos duos facile hic labor absolvi posset, cujus memoria, grata omni posteritati, durabit semper. Accingere ergo quaeso et huic labori humeros submitte.

Nunc vero a te peto, ut cl. Ungar petenti satisfiat, utrum ab Utraquistis Bohemis I. Cor. X. 17. verba: *a z jednoho kalicha* textui intrusa fuerunt, ut codicem slavicum inspicias et hunc locum recenseas. Scis enim in latinis quibusdam et graecis haec verba legi; satisfiet autem nostrae curiositati, si scripseris, ea in slav. cod. non reperiri.

Quae mittenda spoponderas cl. Ungar, vitam Joannis Fortii illustrantia, mitte; gratissima profecto ei erunt.

Inquire, quaeso, in Joannis Baptistae *Palatini* artem scribendi et exarandi omnis generis characteres. Is enim primus est, qui glagoliticum alphabetum*) in medium protulit. Compendium hujus artis italo idiomate est in bibliotheca Nostiziana, sed grande volumen, cujus meminit, nondum videre mihi licuit. Etiam in opere diplomaticae artis Mabillonii auctor iste citatur.

*) Dole po straně připsal Durich: NB. e Bindoniana typographia circa annum 1528 primum, ut equidem constat, prodiit Venetiis Alphab. glagoliticum, quod in 4ta forma excusum servat Bibl. Palat. Vindobon.

Dum Pragae morareris, ostendisti mihi locum in operibus Tertulliani, tolerantiam, ut ajunt, religionis concernentem. Hunc rogo mihi indices, citato libro et capite.

Commode mihi in mentem venit, r. p. Altero, quem salutatum cupio, servire posse *Griesbachii* Symbolas criticas ad supplendas et corrigendas variarum N. T. lectionum collectiones, quae Hallae 1785 in 8. prodiere, quarum jam meminit in editione sua N. Test. Hujus enim libri ope judicium ferre poterit de cod. graecorum recensione; utrum Alexandrinam, occidentalem, an vero Constantinopolitanam, quam slavici cod. sequuntur, exhibeant.

Societas nostra lit. decreverat nuper, ut classis historicae membra omnem inpendant diligentiam in colligendis, describendis et conferendis diplomatibus pro adornando juxta ordinem chronologicum *Diplomatario bohemico et moravico*, quod edendum censet, quam primum collecta monumenta tomum 4 alphabetorum in 4. complere possint. Hoc consilium etiam tu, pro benevolentia tua, adjuvabis. Facile enim fieri potest, ut tibi bibliothecas Viennenses lustranti copiarium literarum publicarum in manus veniat. Sufficiet autem hoc indicasse Societati, quae grato profecto animo officium tuum suscipiet et gratitudinem suam quavis occasione oblata tibi testatam faciet. Praecipue autem attendenda sunt antiquiora monumenta, quae Caroli IV. regimen antecedunt. In Bibl. Caesarea est volumen Tabularum publicarum Regni Boh., quod jam Balbinus citat; hoc fortassis operae pretium fuerit, diligentius lustrasse; non enim regum diplomata duntaxat quaerimus, sed cujusvis generis literas atque instrumenta publica ad historiam patriae augendam et illustrandam.

Tu, ut solebas, mihi fave meque ama. Vale.

XVIII.

1786 — 18. září. Odpověď na list předcházející, ve které mimo jiné podává zprávy o Vídeňských rukopisech a jich zvláštnostech, o vydání katalogu rukopisů knihovny Zaluské a ke konci o Fortiově spise, vydaném v Praze r. 1570.

Viennae, 18. Sept. 1786.

Dobrowskyo suo Fortunatus s. p. d.

Salvum te Pragam advenisse gaudeo, quod ex obtentis, pecunia videlicet et Promtuarii tui Bohemici et Moravici secunda parte intellexi. Gratias tibi ago tum pro munere literario, tum pro voluntate, qua mihi satisfacere cupis. Interim nihil magis a te peto, quam integrum titulum Breviarii Levacovichiani et necessaria quaedam excerpta rem bibliographicam et criticam sacram Slavorum illustrantia. Si tibi ad manum est editio Novi Testamenti Antonii Dalmatini et sociorum, literis glagoliticis Tubingae 1562 edita, compendium notitiae erit significasse, quod equidem ad rem typographicam attinet, laudati Breviarii characteres vel omnino differre vel convenire ab istis. Si quid huic glagoliticae rei literariae illustrandae mihi ignotum invenisti, quaeso, mecum communicare velis. Quidquid inter mea adversaria tibi necdum cognitum invenero, futuro mense Octobri, quo Bibliotheca Caesarea frequentationi

non patet, colligam et collectanea ad te dabo. Nunc ad tuas novissime ad me datas respondebo literas. Continuaturo tibi, ut scribis, Bibliothecam MS[torum] bohemicorum indicio quodam in augendis MSS[orum] istorum notitiis tibi esse possum, si »Specimen catalogi codicum manuscriptorum Bibliothecae Zaluscianae« a Joanne D. A. Janozki, ejusdem bibliothecae praefecto, exhibitum, necdum legisti, in quò rari quidem MSS[ti] codices recensentur; ut ille in 4[to] CCCLXXXI: »Oracula mulierum fatidicarum, in membrana nitida, literis majusculis rubeis descripta virgulisque aureis et alius generis figuris insignata.« In Bibliotheca Augusta spero me quoque nonnulla reperturum: jam enim cl. Denisius mentionem pridem fecit sibi quaedam observata fuisse et visa. Quidquid et a quocunque meorum dictorum vel scriptorum recte atque vere melius fit, tantum abest, ut aegre feram, ut etiam vehementer gaudeam me in viam ab errore reductum fuisse. Palaeographiae nostrae principia necdum talia incrementa acceperunt, ut quis nostrum arbitrari possit, in hoc studiorum genere veritatem occupatam esse; accedet autem ad hanc plurimum, si pro illa simplicius egerimus, illam solum, non vero primas a nobis conceptas opiniones propugnando. Quam ob rem satis mirari non possum optimi quidem et amicissimi senis Dobneri, quem humanissime salutatum cupio, propugnatam opinionem de literis cyrillicis. Sed occasionem dedit majori conatu et complurium eruditorum subsidiis ita inquirendi in literas cyrillicas, ut fidei historicae, quaestionibus slavonicis ab eruditis viris imperii rossici resolutis, plurimum accedat sententia Dobnerianae opinioni opposita. Multa heic dicenda forent; sed plura sunt, de quibus tu mavis aliquid ex me audire. Quae tu optares a me fieri, jam in quartum mensem omni conatu facio cl. cl. Matthaei et Hwidii incitamento atque exemplo inductus. Praeter criticam et exegesim etiam illa adnoto, quae ad philologiam et palaeographiam slavonicam pertinent: Criticam solam etiam cl. d. professor Alter impense curat, qui tibi humanissime gratias agit teque salutatum esse vult; sed libellum a te indigitatum non tantum novit, verum etiam possidet. Is meis studiis inductus nunc slavonicam versionem tam impense colit, ut quotidie aliquid inveniat praestantiam istius versionis manifestans; etiam palaeographiae curam habet; hunc ego a te dissitus tui loco habeo summeque delector et proficio illius societate. Exercitatissimus est in MSS. graecis legendis et judicandis; excussitque jam omnes codices sacrae Scripturae N. T. usque ad codicem 5 Auctarii Forlosiae et Kollarii MSS. et in nullo invenit illam lectionem I Corinth. X, 17: *et de uno calice*. Quod ad slavonicam, bohemicam et croaticam versionem attinet, in cod. MSS. hujus Augustae Bibliothecae Vindobonensis N. CI aeque ut in MSS. graecis non lego illa verba. Codex enim slavonicus, descriptis antecedentibus et consequentibus verbis, ut certior reddaris, ita habet: **ꙗ́ко ѐди́нь хлѣ́бь, ѐди́но тѣ́ло мно́зи ѐсмы̀. ꙗ́ко вьсѝ ѿ ѐди́ного хлѣ́ба причѐщаемсе. види́те і҆и҃ла.**

Biblia Philippi de Padeřowa alias Strakiana: z gednoho chleba. a z gedno kalicha včaſtenſtuie beřem. [in MSS non est aliter nisi *z gedno* scriptum, ne existimes me oscitanter descripsisse.] Editio Dalm*atini* glagoliticis aeque ac cyrillicis literis excusa: [illegible]. Cum heic de var. lect. agatur, inquire, quaeso, an MSS. codd.

bohemici I Corinth. VIII, 6. in similem modum legant, sicut codex laudatus slavonicus CI: и҆ є҆ди́нъ дх҃ъ ст҃ъ. и҆́мже въсѧческаѧ. и мы҆ въ немъ; est ꙁл҃ч. ра҃ѳ.

Cl. Matthaei observavit hanc lectionem Ostrogiensi et Mosquensi editioni inesse; sed nec Wetstenius, nec Griesbachius, Michaelis in sua Introductione in N. T. et quos adhuc consulere poteram, quidquam observarunt; etiam tomo VI Polyglott. Londinensium nihil invenio. S. Cyrillus Catechesi IV videtur ad hunc textum alludere, etsi illum non citet; necesse autem est ab illo lectum fuisse, cum eadem Catechesi dicat: »Oportet enim circa divina et sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divinis scripturis tradi« etc. Sine auctoritate codicum graecorum nunquam in slavonicum MSS. et laudatas editiones assumtus fuisset: Codex enim CI. adeo graecisat, ut etiam seriem vocabulorum inversam super scriptis literis notet, e. g. I. Cor. XI, 4. свою̇ главоу (with к and л written above).

Inquisivi in Joannis B. *Palatini* artem scribendi; compendium hujus artis solum exstat in Bibl. Caes. in triplici exemplo, sed falleris, si putas compendium istud summam esse grandis voluminis antea editi: lege illa, quae Palatinus Alli Lettori pag. A III. scripsit: Diede adonque à le stampe in quei tempi il mio breue Compendio, cauato dal gran volume, che per originale ampio et grande si serva appresso di me.

Alphabetum illyricum divi Hieronymi pag. E III mihi idem videtur cum illo Bandurii in notis ad Porph. et penitus ex Palatini Tabula desumtum; item aliud autore Cyrillo. Cl. Denisius arbitratur grande volumen editum non fuisse. Locus Tertulliani, tolerantiam, ut ajunt, religionis concernens est ad scapulam cap. 2. alius apologetici cap. 14. utrumque adduxit Thaddaeus Comes de Trautmansdorf, cap. XI de Tolerantia ecclesiastica et civili edit. Ticinensis 1783., de qua, nisi fallor, ad te scripsi; jam vides me non fuisse primum, qui hunc locum observaverim.

Quod attinet ad Societatis nostrae decretam voluntatem de *Diplomatario bohemico et moravico*, clariss. Schwandtnero retuli eumque humanissime pro subsidio interpellavi, qui respondit se habere integrum volumen, in quo sint monumenta etiam talia, quae Caroli IV regimen antecedant; agendum solummodo esse de descriptione. Habet quoque complura diplomata d. pr. Zlobiczky, is vero, ut ex pr. Altero intellexi, horum editionem vult adornare; sed agam cum ipso hac de re et responsum per literas proxime dabo. Volumen Tabularum publicarum regni Bohemiae in Bibl. Caes. forte illud intelligis, quod inter codd. MSS. juris civilis No. CCXX. ol. 406. Ambros. inscriptionem habet: Extractum ex Tabulario provinciali regni Boh., in quo passim Balbini manus in marginibus apparet; istius codicis auctoritatem debebis revereri, atque locum quendam tui Promtuarii emendare; de hoc alias plura.

Mallem pag. 34—35 tibi temperasses ab animadversione intra clatros posita, cum primis — nicht aber nach dem hebräischen Texte — sunt enim vel ipsa praeposita voce — hebr. lect. hebraicae designatae, quas hodie in libro Esdrae observavi, sed critice expendendas distuli in aliud tempus; slavonicis enim rebus colligendis magis intentus sum, ut futuro mense adversaria mea digerere possim. Hoc tamen non possum quasi in via tecum non communicare, biblia haec vulgo Strakiana [quae melius Žerotiniana, ab illius praestantis

voluminis erudito possessore et procul dubio usu etiam in celebri illa Fratrum editione prima] meo arbitratu ex tumultuaria tantum inspectione concepto, prae aliis codicibus MSS. bohemicis hucusque cognitis usui critico et philologico aptiora esse. Postquam augustum illud Musarum sacrarium exactis feriis autumnalibus iterum frequentare licuerit, ad leges criticae et hermeneuticae hunc sacrum codicem lustrabo et pro specimine integras quasdam partes seligam, ut familiam codicis investigare possim, an ad illam, cujus familiae est codex *Crumloviensis,* an vero ad illam, cujus est codex *Molitricis,* pertineat. Lectionem epistolae I. Petri II, 13. ex MSS.: Rzaad korunowanye krale Czefkeho, hodie descripsi, quam proxime tecum communicabo. Sed adhuc aliquid de codice Žerotiniano: hodie d. p. Zlobiczky post ultimum caput Exodi animadvertit a librario rubro colore adnotatum annum MCCCCXXXII et diem S. Valentini, quo is finivit descriptionem Exodi et Leviticum scribere inchoavit: praeclare! iterum aliquid subsidii ad impendium temporis tam eleganter describendo codici necessarium et designandum aut conjiciendum pretium. Hodie primum forte accidit, ut cl. Denisio, nescio cujus manuscripti causa, antiqua Missalia consulenti occurret mihi indicare, in Bibliotheca Augusta esse editiones slavonicas Missal. Romae 1631. 4°, Venet. 1712. (an non 1706?) f., Romae 1741. 4.; petii Rom. de anno 41. et gavisus sum vehementer hanc praeclaram editionem in 4to majori praesto esse. Vellem plura hodie scribere, sed coartor temporis angustia; necesse autem habeo adnectere aliquam petitionem. Optimus Schwandtnerus cupit habere libellum quendam ad rem chronologicam pertinentem a quodam R. P. Societ. Jesu hoc seculo editum Pragae in 8°, cujus mihi cognomen excidit et nunc otium non habeo, ut inquiram; mihi videtur primam literam esse H. Facies igitur rem gratissimam et illi bono amico et mihi, si hunc libellum comparaveris alioqui, non adeo difficilem obtentu, cum in disputatione distributus fuerit. Saluta omnes amicos cum primis cl. v. v. Dobnerum, Pelzl, Ungar, cui desideratam notitiam Hortensii opusculi adnecto. Commoneas istum iterum promissorum atque mearum schedularum Glossemata e N. T. boh. 1475 excerpta continentium. Lilienthalium tibi cum gratiarum actione remitto. Parce nimium properanti; vale et me amare perge.

Joh. Fortii Hortensii Philologica et Grammatica Lat. Hebr. Pragae apud Joh. Colubrum 1570. 4. XX. E. 3... [ita cl. Denisius in suo recentissimo Catal. Hebr. libr. Bibl. Aug. Vindob.]

Latinum opusculum incipit a dedicatione Maximiliano II inscripta, ex qua sequentia excerpsi: Quare ego, qui in haec postrema periculosa et scandalorum plena tempora incidi, volens in me ipso qualecunque exemplum fidelissimae subjectionis ostendere, libellum hunc meum hebraice et latine scriptum S. T. 1. M. tanquam d. meo clementissimo cum mea ad divinam Majestatem pro S. T. J. M. deprecatione offero et dedico. Deprecatio haec hebraicis literis exarata incipit: האלהים הבורא, sequitur benedictionis divinae ad verbum interpretatio facta.

Porro »M. Joanne Fortio Hortensio Authore.

I. De divina visitatione nostri, qua Deus, antequam poenas meritas irroget, clementer nos ad resipiscendum invitat.

II. Brevis admonitio de tribus vocibus, quibus plerique Christiani male utuntur, videlicet his, Alleluja, Osanna, et Noczri.

III. Explicatio intimationis hebraeae, in qua rationes quaedam ponuntur, ex quibus etiam nemine monente videre licet, quod translationes sacrorum bibliorum ex lingua hebraea in alias, ut nunc sunt, insufficientes et imperfectae sint, id est non per omnia ubique in omnibus rebus hebraicam veritatem referentes eique absolute correspondentes.

IIII. Mysteria quaedam sacrae Scripturae in vocibus etc. hebraicis sita aperiuntur.

V. De nomine Dei Tetragrammato, rectene id communiter Jehoua, Jova, vel Jovem nuncupent.

VI. De parte principali grammatices hebraeae lectionem veram et propriam ex ipsis hebraicis fontibus docente.«

Reliqua proxime, singulariter ea, quae pertinent ad historiam typographiae hebraicae Pragensis.

XIX.

1786 — 26. září. Odpověď na předcházející list, v kterém mimo jiné podává zprávu o breviři Levakovićově.

26. Sept. 1786.

Amico optimo s. p. Jos. Dobrowsky.

Libellum a cl. Schwandtnero petitum cl. Ungar proxime mittet; est, nisi fallor, P. Hayden Exercitatio Chronol. Glossemata tua hac eadem occasione ad te perferentur. Cl. de Rossi vol. II. nuper accepi; opusculorum adnexorum aliqua tibi remittam, cum ea jam possideam; liceatque opinari, ad te pertinere, ut Specimen Hexapl. vers. syriacae et Commentarium de typographia Ferrariensi. Magis te nunc delectabit, quod tamdiu distuli, titulus nempe Levacovichiani Breviarii, qui sic habet: »Illyrici typi a D. Ferdinando II., Rom. Imperatore, sacrae Congregation. de Propaganda fide, commemoranda liberalitate donati, *documentum maximum*, sub auspicatissimo nomine invictissimi et potentissimi Caesaris Ferdinandi III., Rom. Imperatoris, semper Augusti etc. ad longe lateque per Europam et Asiam diffusos et Augustissimae Domui Austriacae fideles aeque atque obsequentes illyricos populos transmissum. Labore fr. Raphaelis Levacovich, Croatae, Ordinis Minor. S. Francisci de Observ., archiepiscopi Achridae seu Primae Justinianae.« Form. 4ta.

Character est paulo minor, quam Truberianus, sed huic simillimus, medius inter majorem et minorem marginalem, cui tibi ex Truberi N. Test. notus est.

Sequitur Innocentii Papae X. Bulla de an. 1648, quo anno impressum vel potius editum Missale suspicor. In hac ait s. Pont.: »Venerabili fr. Raphaeli, archiepisc. Achridae, mandavimus, ut Breviarium illyricum ante annos centum impressum recognosceret et ad formam Breviarii Romani latini nuper a praedicto Urbano praedecessore reformati in praedictam linguam slavonicam redigeret.« Quod cum praestitum ab eo sit, approbat, confirmat typisque mandari jubet Pontifex.

Sequitur Bulla eadem et titulus lingua illyrica lit. glagoliticis: »*iliričeska tipa* od« etc.

Post monita quaedam de anni partibus et Calendario adest *Methodii Terlecki*, episcopi Chelmensis et Belcensis, testimonium de an. 1643, quo testatur a se cum Raph. Levacovichio institutum collationem autographi Levacovichiani et Vulgatae editionis, adhibitis vetustorum illyricae linguae Breviariorum manuscriptis et impressis exemplaribus, etiam antiquissimis, *quibus ab ipso suo exordio ruthena et cuncta slavonica usa est et utitur ecclesia, codicibus*, — qua collatione factum esse ait, ut tale redditum sit Psalterium, quale a s. Congregatione expeteretur, hoc est, *ad amussim Vulgatae editioni concordans.* »Nam, pergit ille, explosis nonnullis vulgaris sermonis dalmatici vocabulis, quae scriptorum licentia in vetusta illyrica Breviaria intrusa fuerant, quaeque R. P. Raphael suae translationi inseruerat, *pura*, quae in incorruptis apud me habebantur, slavonica eorum loco reposuimus.«

Sequitur Decretum s. Congregationis de an. 1643, de imprimendo Breviario illyrico mandatum s. Pont. referens. Deinde Levacovichii praefatiuncula illyrica, operae suae finem et rationem exponens, in qua et orthographiam veterem a se renovatam ait excusatque se, quod communi lingua non scripserit, his verbis: »Ego feci, quod mihi praeceptum fuit.«

Sequitur Calendarium et Rubricae, — haec omnia plagulas 10 replent. Psalterium ipsum seu Breviarium est plagularum *Uuuuu* et dimidiae, seu paginarum Ⱌ h. e. 900.

Commune Sanctorum plagul. a—t. seu pagin. CXLIX, 4 paginae sequentes Indicem Psalmorum exhibent.

Ego vero post collatos aliquot Psalmos deprehendi, nondum in *omnibus minutis* convenire Psalterium hoc cum Vulg., immo retinere lectiones vet. vers. slavonicae, quae manifesto ostendant Levacovichio antiquiora Psalteria glagolitica penitus concordasse cum vers. cyrillica, de qua quidem re tu dubitare non potes, cum cl. Dobneri opinionem non probes.

Ⱑ̇ puncto notatum valet *e* vel *ie*, ut ⰿⱀⱑ̇, mne, slav. mnja.

Ⱏ̄ linea notatum valet Jery, ut ⱂⱏⱄⰰⱀⱏ̂ⰺ, pisanych.

Ⱉ̄ linea notatum est ω, o magnum.

Consonantibus, post quas ь scribi solet in cyrillicis, superponitur ' lineola acuto accentui similis, ut ⱋ́, ⱇ́ etc., post quas tamen etiam Jer ı glagol. pleonastice scribitur.

Ⱛ̈ est ѷ, *v* psilon — scribendis nominibus propriis aptum.

Ⱖ̀, accentu gravi notatum quandoque reperio.

Ⱋ̈ valet sst seu scht — alias scz.

Verbo, omnis apparatus typographicus eo valet, ut apte scribi possit glagoliticis literis, quod solet cyrillicis distingui. Nam alphabetum hoc multo perfectius est, ut optime noris. Haec de Breviario Levacovichiano.

De *Fortii* opusculo plura ne scribas, nam mihi liber et notus et lectus est; extatque in Bibl. Prag. publica. De bibliis Strakianis, si qua monenda habes, suo tempore suppedita. A quo enim libentius me corrigi patiar?

Lect. var. I Cor. VIII. 6. in bohem. codd. non reperi, quamvis multos consuluerim; estque mera orthodoxologia in codd. slavonicis. Non satis recordor,

in quibus adhuc tibi satisfacere debeam. Literas tuas proximas cl. Ungar communicavi; vult enim in recensione Nov. Test. boh. impressorum aliqua ex his delibare, quod quidem te volente et non renitente fiet. Mone me saepius de officiis tibi impendendis, nihil enim jucundius mihi esse potest, quam amicitiam nostram mutuis officiis. Alterum, virum integerrimum, quod mei loco habeas, vehementer gaudeo; hac enim re fiet, ut mei nunquam obliviscaris. Perge jam, amice optime, et indolem slav. codd. scrutare. Vides enim hanc tibi provinciam a providentia divina demandatam, cum tam rari sint nantes in gurgite vasto.

Pragenses omnes te salutant plurimum.

Inquire, quaeso, in N. Test. bohemica, haec enim proxime recensenda sumam. Ea de re et dn. Zlobiczkyum monitum velim, quem studiis meis favere credo, saltem vehementer cupio.

Melet. Smotrisky Grammat. Slavenskaja v kratcje sobranaja etc. Venetiis 1755. 8., quam citat Schimekius p. 54. des Handbuchs für einen Lehrer der böhm. Literatur, — percuperem habere. Stude, quaeso, ut eam nancisci possim. Iuvare te forsan d. Zlob. poterit. Arbitror ego eam esse Compendium, quod *Sovik* paraverat. Venetiis certe adhuc venum prostabit.

Jam me alio vocant aliarum rerum loge minus gratarum studia. Tu igitur vale mihique fave tui observantissimo.

XX.

1786 — 8. října. Odpověď na list předcházející s rozličnými zprávami o vydáních a rukopisech slovanských a jich zvláštnostech.

Viennae 8. Octobris 1786.

Amico optimo s. p. d. Fortunatus Durich.

Non falleris, est etenim P. Hayden opusculum chronologicum, quod cl. Schwandtnerus desiderat et cl. Ungar proxime mittendum promisit. Glossemata praestolor, sed opuscula Rossiana ne miseris; interim apud te maneant. Lecto Levacovichiani Breviarii titulo facile conjicies, quantopere gavisus fuerim: nimirum ut gaudium nosti ex adquisitione rei diu et vehementer concupitae. Quod ad notitiam attinet characteris, si verba Carafae Commentar. de Germania sacra edition. Aversanae a. 1630. fol. pag. 122.: »cum non reperirentur illyricarum literarum typi, eos obtinui gratiosissime a Caesare dono dandos sacrae Congregat., quos Ferdinandus Primus posuerat Gretzii, ex qua civitate ad Castrum fluminis in Dalmatia, inde per mare Adriaticum ad Anconam transmittendos curavi; integri Romam pervenerunt« — [Edition. Viennensis a. 1748. in 8° pag. 231] conferam cum verbis continuatoris hist. ecclesiast. Fleurii ad annum 1622. Tom. LVII. pag. 535. Si formas characterum Truberianae editionis comparem cum modulis literarum Missalis Romani slavonico idiomate jussu Urbani octavi editi Romae a. 1631, cujus exemplar servatur in Bibliotheca Augusta cum aliis adhuc duobus exemplis, *Veneto a.* 1712. et Romano a. 1741, si denique expendam tuam descriptionem ad apparatum typographicum pertinentem, in qua ѧ̇ = ѣ; ȣ̄ = ы; ѕ̄ = ѡ etc., quamque

adaptationem punctorum et stigmatum in editione Rom. a. 1631 Congr. de Prop. aeque ut in Truberiana glag. lit. N. Test. adornata editione non invenio, sed in omnibus literarum formis, etiam in lineola subinde loco ı posita et ɔ accentu notato, maximam similitudinem intercedere specto: non posum satis eluctari ex hoc rerum involucro, cum primis ob hanc rem, quam tuetur cl. Zlobiczkyus mihique authenticis literis se demonstraturum promisit, Ferdinandum *Primum* [expende verba Carafae!] typos Truberianos aeque ac iisdem typis excusa exemplaria supremo jure intercipi jussisse, quod equidem de libris excusis certum est, et tu noveris ex Hermanni Fabronii Mosemanni Historia. Sed eluctabimur fortassis, postquam Zlobiczkyus ex Chartophylacio Cancellariae, nescio cujus, et Neapoli Austriae pleniorem notitiam adquisiverit; interim nihil aliud conjicere possum de typis, quibus Breviarium Levacovichianum excusum est, quam id, Truberianas formas non esse, cum Levacovichius in sua praefatiuncula illyrica (quam, utinam mecum communicares!) scribat, orthographiam veterem a se renovatam, quod equidem ita dictum arbitror, ut renovationis istius nomine adjectionem punctorum et stigmatum, quibus veteri cyrillicae, immo quod ad ы et ъ attinet, etiam ruthenicae simillima redderetur, ideo intelligam, quia nemo mihi cognitus hucusque est, qui tale alphabetum ex MSS. produxisset glagoliticis. In laterculo a te pag. tertia descripto necdum video omnem apparatum typographicum Levacovichianum eo valere, ut apte scribi possit glagoliticis literis, quod solet cyrillicis distingui: nam desidero Caramani ⰻ̇ = ї e. g. ⰁⰑⰆⰻ̇ⰻ̆ = божїй et ⰻ̆ = й in eadem voce; item accentum acutum et circumflexum, qui in Fragmento Busbequiano eandem figuram habet cum spiritu leni, sed in cyrillicis, ut nosti, ponitur in hunc modum: бл҃гъ et in eundem a Caramano ⰁⰎ҃ⰃⰟⰊ. Nunc propemodum totam reformationem a Caramano institutam ex collatione illius Missalis de anno 1741 cum Tetraevangeliario Mosquensi a. 1614. intellexi ad codices ruthenicos, exceptis var. lect. graec. factam esse, atque ita refictam, ut etiam *Itacismum*, imo vestigia graecanica et orthographiae, ut ⰕⰟⰎ̑ⰀⰂⰻ̇Ⰰ' pro ⰕⰓⰋⰅⰀⰂⰻⰅ Miss. Rom. 1631. et terminationis, ut ⰛⰻⰂⰏⰊⰂⰋ, pro ⰛⰂⰂⰏⰊⰂ, utique ex codd. ruth. reddiderit; cur in his Caramaniana adeo ruthenisent, vel iter Caramani russicum, vel Matthaei Sovik operam subodoro. Sed angustia chartae me commonet, ut me ab his eripiam, atque novarum observationum ad indolem codd. slavonicorum pertinentium rationem tibi reddam. Excussi nuper totum Catalogum MSS. Augustae Bibliothecae continentem edita exemplaria sive totius, sive partium Scripturae sacrae; excerpsi omnia, quae variis Slavorum dialectis in lucem prodierunt; peto *Psalterium illyricum* in 4to. Scrin. II. Lit. E. N. 6.; aperto libro visis primo intuitu literarum cyrillicarum formis iisdem, quas non ita pridem in Euchologio, de quo, nisi fallor, jam tibi aliquid significavi, critice observans cum MSS. Psalterio contuli, animadverto propter consensum typorum et locum editionis ad finem Psalterii, et ordinis recitandi divini officii expressum, etiam Euchologium Venetiis editum fuisse. Sed non tantum locus annusque editionis, verum etiam nobilissimus editor, atque archetypa editionis laudati Psalterii adnotata inveni. Accipe singula et primum quidem titulum seu initium primae paginae:

aes incisa. Procul dubio servatur haec in bibliotheca illius clarissimi et nobilissimi viri d. de Neuberg, cujus obitu res nostrae bohemicae damnum fecerunt! nullone modo istius opusculi, in forma octava majori editi, nisi fallor, atque paucarum plagularum, usum impetrare posses et praecipua ejus vitae momenta atque edita opera mecum communicare?

Hoc unum foret, quo mea collectanea multum illustrarentur, atque eo maturius in systema aliquod redigi possent. In Zaluscziana MSS^um Bibliotheca inveni, Meletium fuisse archiepiscopum Hieropolitanum, archimandritam Dermanensem ord. D. Basilii Magni. Dominus parochus hujatis ecclesiae slavograecae ad S. Barbaram possidet Grammaticae slavonicae in 8⁰ foll. р҃д҃. compendium absque titulo, deest enim primum fol. involucro tamen interiori inscriptum est: *Grammatica haec edita typis monasterii Cremenecensis O. S. B. M.* Orthographia, etymologia, syntaxis et prosodia rudibus typis cyrillicarum formarum in ea compendiose pertractantur, et subinde deficit num. dualis gen. f. Arbitror ob imperfectionem non esse compendium Grammaticae Smotriskianae, quod Novogrodii prodiit. Quae prodiit Oxonii a. 1696 in 8⁰ E. Theatro Scheldoniano, exstat in Biblioth. hujate Palatina, estque *Grammatica russica, quae continet non tantum praecipua fundamenta russicae linguae, verum etiam manuductionem quandam ad grammaticam slavonicam.*

Saluta amicos et cura, ut valeas diligasque te impense diligentem.

XXI.

1786 — 3. listopadu. Dobrovský odpovídá na list předcházející, zmiňuje se o svém poměru k Zlobickému, podává zprávu o Lyrově rukopise v kapitulní knihovně v Praze, o hlaholských typech, o různých čteních staroslovanských písma svatého a kromě několika drobnějších zpráv zmiňuje se ke konci o svých osobních poměrech.

Mieschicii 3. Novemb. 1786.

Amico integerrimo s. p. d. Jos. Dob.

Sero accepi literas tuas; serius etiam respondi. Putaveram enim nos Pragam ituros, ubi omnia ad manus sunt, quae tu scire aves. Nunc autem non nisi pauca attingam. Quod mones de Zlobiczkyi sententia, nihil me movet. Solet enim multa jactare, multa promittere, aliorum assertis, ut nuper in lit. ad cl. Ungar datis me vellicabat, derogare, quae non sunt viri boni. Equidem infensus ei non sum, non possum tamen contemtum mei aequo animo ferre. Jactabat ille nuper, me, quae de Žerotinianis bibliis adtuli, ab eo accepisse, cum ne locutus cum eo fuerim de his bibliis. Ego Bibliothecam accessi, codicem lustravi, formulam finalem exscripsi, lect. var. in margine vidi, sed non incidi in eas, quibus *hebr.* praefixum erat. Quae peccavi in recensione horum bibliorum, lubens emendabo. Jamque mihi videor detexisse, unde var. lect. secundum hebr. textum desumtae sint. Non enim puto quemquam Bohemorum hoc aevo hebraicam tam perfecte calluisse, ut ex originali textu translata credi possint. Dum nuper bibliothecam Capituli Prag. accessissem, in qua multa mss. sec. XIII deprehendi, incidi forte in Lyrae libellum de differentia nostrae translationis ab hebraica veritate, in quo ille per librorum

slavicae post lat. et syriac. omnium praestantissimae vix mentionem injici. Sed danda venia hominibus non Slavis; quid autem nos? Pulcherrimam hanc occasionem ipsa providentia numinis, ut credo, oblatam tu negliges? Non haec scribo, quo stimulos addam; tu enim ipse, ut scripsisti nuper, in hoc instituto jam diligenter versaris, sed quo dolorem meum leniam meque hac spe erigam, fore proxime, ut lect. slav. Sylloge emitti possit in lucem. Patere jam, ut ea tibi loca indicem, quae a te extra ordinem conferri cupio, maximi omnino momenti in critica sacra N. Test. Ea sunt, praeter I. Joh. V. 8, de quo me nuper edocuisti, quamvis scire cupiam, quid Ostrogoviensis editio habeat aut aliae, si tibi praesto sunt; Act. XX. 28. *ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ* aut *κυρίου* aut ut monet Griesb., in vers. slav. utrumque conjungi. Rom. XVI. 25—27, quae post 23 versum c. XIV. leguntur.

1. Cor. X. 9. *Χριστόν* ne an *θεόν* legat; quibus in locis *Griesb.* vers. slavon. e Millio et Wetstenio laudavit. Item I. Timoth. III. 16. legitne *ὅς*, *θεός* aut *ὅ* —; hic loci slavon. versio consulta non fuit. Porro Joh. VIII. 1 — pericopam de adultera, quae in impresso Vilnensi et ms. Dobn. legitur.

Editiones Prag. librorum hebraicorum desidero a te mihi perscribi omnes, sed paucissimis. Tu a me rerum slavic. notitiam cupis; quid autem ego tibi ignotum esse putem? Significabo saltem, si quid novi detexero, ut ipse definias, quid a me fieri velis, cujus voluntati lubens obsecundo. De quaestionibus ad eruditos Russiae datis nuper quaedam scripsit Pragam Zlobiczkyus, nulla tui facta mentione; est enim gloriolae adeo cupidus, ut omnia fecisse velit ipse, quaecumque alii, eo nec monente, aggrediuntur.

Etiam de sorte mea certior fieri cupis. Non obvenit mihi, quod mihi obtrudere passus sum. Nam cum praeter me etiam Kodeschius propositus fuerit, qui et sacerdos est et in cura animarum laboravit, hujus meritis motus Caesar magis, quam commendatione mei, ei officium subrectoratus deferre voluit. Quae res adeo me non affligit, ut potius gaudeam, mihi otium relinqui, quo studia mea summopere indigent. Adeo me honores parum movent, dum ea mihi suppetunt, quae ad vitam honeste traducendam necessaria sunt.

Smotriskii vitam exquiram. Velim tamen, me moneas frequentius officii mei, si forte aliquod neglexero. Biblia integra slavica prostant nunc Pestini in Ung. in nundinis; curavi mihi adferri Mosquensem editionem an. 1783 in 8. 6 tomorum in charta deteriori 25 f., in meliori 35 f. Post nundinas alio solet pergere bibliopola.

NB. Quae est illa recensio bibliorum slovacicorum, Slowakische Bibel, im 17 St. S. 140 der allgem. Wiener Anzeigen? Quis illius auctor boh. certe est, cujus dialect. veterem pro slovacica habuit idiota.

Estne nota tibi versio croatica Loc. Theologic. Melancht. opera Truberi lit. glagol. impressa, quam in bibl. privata Pragae inveni, 4. anni, si recte *memini*, 1562 vel 1564?

XXII.

1786 — 9. prosince. Durich podává zprávu o vydání hebrejském Pentateuchu v Praze a některé drobnější zprávy literární.

Viennae 9. Decembr. 1786.

Amico suo integerrimo s. p. d. Fortunatus Durich.

Accipies censum tuae patientiae, qua integro jam mense exacto meam exspectas epistolam. Patere adhuc modicum, ut hoc involucro *census* utar, ut desiderium ferre nequeas. Est Pentateuchus Pragensis elegantibus typis nitide in folio editus, talis, prout illum Lilienthalius paucis verbis descripsit, usque ad controversiam de anno editionis. Sine, ut tibi referam, in quem modum illius notitiam acceperim. Cl. Denisius revisione editionum hebraicarum Scripturae sacrae jam aliquot diebus occupatus, nuper hunc codicem, qui III. C. 13. Aug. Biblioth. servatur, diligenter inspiciens, vocat me interrogando: an mihi nota sint insignia urbis Pragensis? accedo spectoque in inferiore parte encarpi ligneis formis elegantibus expressi portam civitatis apertam, superne tribus turribus erectis; vertimus hoc ultimum codicis folium conspicimusque post סכום in medio folii majori forma eandem portam, atque supra turrim galeam corona ornatam, quam duo leones tenent. Singula latera ambit inscriptio benedictionis consuetae; infernam paginae partem occupant nomina:

גרשם בר שלמה הכהן מחקק
מרדכי בר גרשם הכהן מחקק
שלמה בר גרשם הכהן מחקק

Primi folii pagina prior est nuda; posterior est ornata usque ad mediam partem paginae, in qua duo genii vestiti et alati tenent scutum referens manus, quarum pollices sese mutuo in extremo articulo tangunt, digiti vero bini et bini angulo remoti sunt; infra scutum M, procul dubio artificis Christiani primam sui nominis literam significans, qui artis suae egregia dedit specimina sub principium singulorum Pentateuchi librorum atque in folio ultimo. Laudati primi folii pars inferior in medio encarpi haec verba excusa habet:

נחקק פה בקק פרגא
על ידי צעירי המחקקים
בסוף הספר כלם בשמם
נחקקים

In encarpo initium Deuteronomii continente iterum locus impressionis et typographorum exprimitur. Primum vocabulum unius cujusque libri Mosaici uncialibus literis varie et eleganter excusum est. Pagina primi folii continet tantum illa primi versiculi vocabula usque ad finem integra; sequentis vero folii pagina prior in duas columnas divisa in singulis viginti et unam lineam continet; initium primae columnae — והארץ, finis alterius אלהים. Etiam sub uncialibus literis vocales formatae sunt; sed lineolis, ad normam antiq. codd. e. g. ut cod. 3 Adleri Vindobon. Virgula quoque Raphe literis suis imposita est. Forma characterum ad Hispanicam accedit, immo illam refert. Nunc ad

annum controversum progrediar: pagina priore folii ultimi encarpis, ut supra relatum est, ornati, continentur primum quidem septem decim versiculi, qui ita rhythmo clauduntur, ut ultimae vocis duae ultimae literae a prioribus separatae sint. Porro relicto parvo spatio sequuntur alii octo versiculi, aeque ut priores literis rabbinicis excusi, quorum primum, secundum et quarti priorem partem heic quadratis literis perscribam:

נחקק פה בקק פרגא הבי רה
בחמשת אלפים רצא ליצי רה
— — — — — — — — —
ביום ב טו׳ כסליו — — — — —

In tribus literis post vocem אלפי contineri numerum centenarios, decades, et monades, comprehendentem non dubito, esseque computum *Creationis,* sequens vocabulum ליצירה manifeste indicat: heic autem dissentit a me cl. Denisius, qui licet primam et secundam literam ר et צ esse mecum existimet, tertiam tamen putat esse מ aequivalens τῷ 40; ducit propterea talem computum ex collectis literis. Ego vero tertiam literam, cujus forma plane congruit cum ultima in vocab. פרגא et prima in voc. אלפי, pro primo hebr. elemento habeo elicioque numerum 291; atque add. 240. aer. Chr. „531. Duo sunt, quae priori sententiae oppono: primum, quia duae literae decadum indices heic ponerentur, etsi sciam loco ה poni הה. Reponit cl. Denisius illud etiam fieri solitum; alterum, quod ei necdum opposui, est testimonium Fortii ad finem sui opusculi impressi Pragae 1570. נדפס בשנת של לפק: »Imo Judaei ipsi, qui in artificio componendi literarum et imprimendi libros hebraicos exercitati sint, hic deficiunt. Unicus enim tantum et is non admodum exercitatus invenitur.«

ר	200
צ	90
מ	40
	330
	240
	A. Ch. 570

Mihi itaque videtur res typographica Hebraeorum intra illud tempus, quod ab illa eleganti editione Pentateuchi usque ad Fortii aetatem exactum est, multum defecisse. Nunc te vix continere poteris ab interpellatione quaeresque ex me: In quem modum Pentateuchus iste est idem cum illo, quem Lilienthalius et porro Rossius produxit ad a. Ch. 1518?

Puto, id vel tibi ipsi jam videri ex historica codicis descriptione et controversis duabus literis, quarum media cum ע, tertia cum ח, et מ, ut cl. Denisio videtur, similitudinem habent: nam in laudato codice ita formatae sunt רע: nunc computa hac opinione. Utinam feriam secundam diemque 15 Casleu Lilienthalius adnotasset! summa enim probabilitate inducor, ut credam eundem esse codicem. Inquire igitur apud Pragenses Judaeos in hunc Pentateuchum a me interim historice obiter descriptum et inquire primum in nomina typographorum. Desiderat etiam cl. Denisius certioris chronologiae aliquid rescire, qui ad a. 1570 eum interim reduxit. Est elegantissimum typographiae Pragensis monumentum, quod critica etiam descriptione dignum est, quam in aliud tempus differo. Reliquas editiones librorum hebraicorum Pragensium ob angustiam chartae hodie perscribere nequeo; proxime autem accipies cum desideratis var. lect. slav. versionis slavonicae Evangeliorum descriptionem

ר	200
ע	70
ח	8
	278
	240
	A. C. II 518

praeviam, quam mittendam promisisti. Vehementer cupio legere et rescire, an aliquid de Smotriskii vita exquisiveris. Illam 17 partem der allgem. Wiener Anzeigen necdum potui obtinere et Zlobitzkyum interpellare non judico consultum esse; sed spero futurum, ut amicissimus professor Alterus mihi hujus partis procuret usum. Rogo, me certiorem reddas, quomodo tibi placeat Mosquensis editio 1783, quam tibi comparasti; volo enim mihi optimam editionem comparare. Qualia sunt argumenta cl. Dobneri ad vindicandam antiquiorem vers. bohemicam? Quid novi in rebus slavo-bohemicis detexisti? Ego quarundam rerum ad Scripturam sacram, ut de codice s. emendatius in lingua slavonica typis monasterii Nevensis edendo, nunc fors jam edito; de typographiis earumque initiis et incrementis in regno Poloniae et M. D. Lithuaniae, aliquid condidici. Estne tibi notus liber hebraeo-latinus F. Petri Metropagitae Cartusiani Pragae a. 1587. in 4 typ. Nigrini edit.?

Vale quam optime, saluta amicos omnes; mone cl. Ungar in causa libelli cl. Schwandtnero promissi et mei, si spes sit.

XXIII.

1787 — 15. ledna. Dobrovský oznamuje své vysvěcení na kněžství, odpovídá k některým dotazům, zmiňuje se o svém sporu s Dobnerem a kromě drobných zpráv literárních podává přepis Levakovićovy předmluvy k breviři.

Pragae 15. Januar. 1787.

Durichio suo Jos. Dobrowsky.

Literas tuas 9. Dec. datas accepi, dum essem Reginohradecii, cujus loci episcopus, vir ab elegantia morum et literarum summe commendatus, me in presbyterii ordinem admisit 17. Decembris. Novitatem rei multi mirati sunt; causam vix ullus assequi potuit.

Ibidem incidi in Psalterium antiquissimum slavicum Venetiis impressum, cujus descriptionem proxime dabo; non enim chartae meae ad manus sunt.

Quod tamdiu non responderim, facile a te veniam impetrabo. Quam felicem te reputem, qui quotidie ex thesauro illo profers nova et vetera! Calculo in reducendis literis hebr. ad valorem numericum tuo accedo, quamvis ego nihil hac in re definire possim, nisi mihi in manus venerit editio haec, in quam pro cl. de Rossi diligentius inquiram. Velim autem, ut literas, de quibus controversia est, conferas cum aliis saepius iterumque post tempus aliquod; item cum iis, quae sunt in Fortii opusculo. Petri Metropagitae opusculum mihi notum est. Ante annos enim aliquot illud in Bibliotheca Clementina mihi ostendit P. Kodesch. Cl. Ungar saepius monui tulique responsum, se facturum, quae facere differt.

Die Wiener Anzeigen apud d. Zlobiczkyum quaerendae tibi sunt. Puto eum jam aequiori in me esse animo. Saltem in rebus literariis se communicaturum omnia, nuper in lit. ad cl. Ungar datis promisit. Ego certe cum laude commemorabo ejus sive diligentiam sive humanitatem. Non tamen unquam hoc feram aequo animo, si quis mihi objiciat, quae honesti viri non sunt.

Biblia slavonica integra Mosquae edita cl. Ungar pro Bibliotheca 5 tomulis comprehensa pretio 20 florenorum comparavi. Pro me non nisi Novum Testamentum in 4. cum calendario, quod mihi ob typi elegantiam et commodam formarum magnitudinem praeplacet. Est anni 1763, constat 10 flor. compactum solide. Accepi etiam catalogum librorum aliorum tam slavicorum, quam russicorum, qui Pestini prostare solent venum. Hunc tibi mittam, quem tamen proxime remittes.

Dobneri argumenta sunt a mera possibilitate petita. Tenebat omnes summa expectatio, illum novi aliquid prolaturum. Immo vero Neostadiensem codicem, cujus ego formulam retuli ad seculum XIII., rejicit. Alia multa adfert, quae mihi quidem refutatu levia videntur. Primum slavonicis Bohemos bibliis usos, posito nimirum ritu slavico, ex his deinde confecta bohemica etc. etc. omnia sine testibus; meram in argumentando fallaciam ubique deprehendo. Poenitet me jam cum seniculo congredi, utpote armis jam destituto. Sola me reverentia meritorumque aestimatio cohibent, ut ne acrius in sentiendi praeter fas libidinem coarguam. Pertinaciam ejus nullis rationum momentis infringi posse tute noris. Sinamus illum; nosque magis veritatem quam sensa nostra defendamus. Ego certe refelli a quovis paratus sum; sed ita refelli, ut ipse convincar. Quid enim aliud volumus?

Smotriskii vitam nuper in Strahoviensi bibliotheca quaesivi; promisit P. Adamus, bibliothecae praefectus, mihi missurum, si quid repererit. Deinde Neubergianam bibliothecam accedam; non' enim tam facilis, ut olim, nunc accessus patet.

Observationes varias de indole vers. slav. nondum plene digessi, facturus, quam primum otium superfuerit. Hic enim Pragae magis distrahor, quam ruri. Ut tamen aliqua in re tibi satisfaciam, describam ex Breviario slav. Levacovichii praefatiunculam, quae est ante Calendarium.

»Az Raphail Leuacouicž, blagodatiju božieiu archiepiscop | ochridski, sirecž perwija Justiniani, i wsja Bulgarii, Ser wii, Albanii, i inich mest Perwstwowatel, zapowediju pre'stola apostolskago, swatojuže otcu Urbana VIII. i Innokentia X. weli czaissu swesczennonaczalniku powe'eniem czasoslow seĭ drew|nim slowinskim iazikom iz ninessnago latinskago prewedoch, i | ieliko možno byst, drewnija czafoslowja slowinskija s reczenim | latinskim wesma srawnach, i saobrazich; prawopisanie staro|wěčžno, ne wifsfse dwě stě lět iskriwleno, paki ponowich; i | prawilom drewnich slowinskich knigoczii ispravich; imniže | stichotwornoju měroju ispisach, iako da těmžde glasom pěti sja | wozmogut, imže pojutsja latinski. Wěm da mnogim trudno | choщet biti isprwa nowi seĭ naczin pisania drewnago i glagolenia | nij s wremenem osladczat choщet, kogda obiknut iemu. az | sotworich, iako powelěno mi bÿst: a udobněe běsse mně obщim iazi|kom nassim pisati. Knigopeczatnici mnogi omilki sotworili | sut, i w slaganii pismen, tichže isprawlěnii, i peczatesczii | tija wsjak ljubomudriem swoim raczi isprawiti, i boga ō mně | welegrěssnom moliti.

D. Matthaei, ut ex Orient. Bibl. cl. Michaelis intelligo, Apocalypsim slav. contulit, ex ea var. lect. subnectens. Sed monuit recte cl. Mich. non fuisse conferendam recentem editionem, sed mss. Ego enim jam Ostrogiensem edi-

tionem ad graecos cod. emendatam ex Kohlio didici. Vilnensis nostra non est immunis ab hac labe, si recte diligentiam nimis diligentem liceat sic appellare.

Quaeso, cures, ut III. volumen Rossiani operis ad me perferatur. In nundinis namque Lipsiensibus jam prostabat nuper. Mittam adhuc pro Appendice IV^{ti} vol. lectiones aliquas cl. viro, cujus laborem admiror.

Fac me ames, ut solebas semper tuum. Amici Pragenses te salutant.

NB. Philippum de Padeřow fuisse capitaneum castri, praesidio Taboritarum muniti, Ostromecz dicti, nuper detexi, adeoque vera biblia Taboritica esse certum est, quae inter eos conservata sunt usque ad Žerotinium.

XXIV.

1787 — 25. února. Dobrovský touží na to, že Durich mu nepíše, oznamuje mimo jiné, že Jiří Ribay nalezl staroslovanský rukopis Epištol a Skutků apoštolských, podává zprávu o Matthaeiových staroslovanských variantech, o svém sbírání staroslov. variantů a o vydáních staroslov. bible v Moskvě z l. 1663—1778 a Nového zákona z r. 1783.

25 Februar. 1787.

Fortunato suo Dobrowsky s.

Cum nihil responsi acceperim hactenus insolitumque silentium tuum me reddat dubium de valetudine tua, malui alteras ad te dare literas, quam diutius haerere anceps. Profecto te podagra male habet. Vellem, ut te hac peste liberes. Tuo enim suavissimo literarum commercio mihi carendum est nulla mea culpa. Vinum certe austriacum arthritidem auget. Nostra, crede mihi, bohemica cerevisia non habet haec incommoda. Nolim tamen te ad nos venire, quamvis tuus ad nos adventus mihi gratissimus foret; nam quid codices illi slavici in carceribus ad haec? Quis illos benigne tractaret, quis foveret, quis alloqueretur, quis consuleret te absente? Nuper amicus quidam, qui Czincotae prope Pestinum degit, Georgius Ribay nomine, ad me perscripsit, se nactum fuisse codicem slav. mss. Epistolarum et Act. apostol. seque spem habere, plures ejusmodi consequendi.

Qua de re summopere gaudeo, cum et mihi aliquando felicitas illa obtingere possit.

Cl. Matthaei var. lect. e vers. slav., quae sunt in 2da Appendice ad Apocalypsim, examinavi diligentius miratusque sum hominem tanto fastu vers. veteres omnes conculcantem suisque codicibus pauculis sane, Mosquensibus triumphantem. Illud mox comperi, eum slav. linguae non satis peritum sine cognitione grammaticae accuratiori rem fuisse aggressum.

Jamque omnia mihi ad manus arma sunt, quibus refutari possit. Quid enim magis ridiculum esse possit, quam slav. vers. ad Erasmi editiones exactam fuisse? Vulgatam plane aspernatur; nunc Misniae in Saxon. rectoris schol. officio fungitur.

De indole et usu critico vers. slav. dissertationem paro, nisi tu me praevertas quod cupio. In Evangeliis conferendis progredior, in reliquis N. T.

libris subsidiis destituor. Hoc tamen comperi, multas esse lect. var. etiam in recentissimis editionibus, quas colligere operae pretium sit. Tu Apocalypsim praeprimis tibi conferendam sume, deinde Acta apostol.; hoc enim inter alios vir illustr. Michaelis optat, cujus tu judicio multum tribuis.

Recentior editio N. T. anni 1783 Mosquae in 4°, quam possideo, habet lect. antiquiores in textu, quam integra biblia an. 1778 in 8. Typi quidem in his elegantiores sunt; sed nunc collatis multis locis praefero N. T., quod propter usum in ecclesiis non licuit tot in locis ad graeca exempl. emendare. In marginibus utraque editio easdem notas habet, quae sunt ex Mosquensi editione anni 1663 in fol. Biblia an. 1778 septima vice secundum Mosquensia prima edita sunt. Ergo omnes editiones inter annum 1663 et 1778 bibliorum integrorum nulla re differunt, nisi charta, characteribus, erroribus typographicis. Textus in omnibus idem. Estque in titulo postremae editionis, eam ad exemplar Mosquense anni 1663 esse expressam. Anni 1663 igitur prima Mosquensis est, 1751. 2da, 1756. 3^{tia}, 1757. 4ta, 1759. 5ta, 1766. 6ta, 1778. 7ma; 5ta et 7ma sunt in 8vo, reliquae omnes in fol. Verum N. T. major est numerus. Si quae consequi posses Kioviensia aut Suprasliensia, suaderem, haec potius tibi comparares, ut differentiam cognoscere possis. Mosquensia enim per me consulere poteris, cum ea nunc in bibliotheca univers. exstent. Certe Viennae praeter Ostrogiensem editionem delitescere puto et alias editiones. Ex cl. Matth. constat, Mosquae in foro venum prostare MS^{ta}, utinam unum saltem N. T. dominus Zlobiczky curaret Viennam transportari!

Omnes hae editiones in capita et versiculos, ut latinae seu graecae, divisae sunt; habent tamen et glavarum et zaczalorum notas in marginibus. Quae res magno commodo in conferendis MSS. tibi esse poterit; mox enim, uno quasi intuitu zaczalo ad caput nostrum et versum reduci potest. Pestini in nundinis ad festum S. Martini prostare solent, ut jam nuper scripsi. Cum tot Psalteria Venetiis impressa sint, inquirendum nobis erunt, annon ibidem N. T. prodierit. Hoc ad exemplaria servica expressum arbitror, si quod exstat.

Notam bibliopolae Haselmayeri remitto, ut eam tradere possis et redimere exemplar meum. Cl. Ungar judicat exemplaria Pragensia per dom. de Hermann, consil. gubernii, qui nunc negotia gerit apud vos, transmittenda. Tu autem facies, uti tibi visum fuerit. Pecuniam pro IV. volumine Rossiano P. Chrysostomo persolvam, quam primum III. recepero. Jam igitur vides me nihil magis desiderare, quam literas tuas, quibus ut de aliis multis, ita praeprimis de valetudine tua certior reddar sive per te, si articuli jam expediti sunt, sive per alium, cujus calamum et manum saltem ore movere poteris.

Me tui observantissimum amare non desine.

Alterum et Denisium, viros clarissimos, quos sincere colo, salutatos velim.

XXV.

1787 — 26. března. Durich odpovídá na předcházející listy, podává zprávu o svých studiích staroslovanských rukopisů, o opravách staroslovanského překladu písma svatého a zakončuje svými přáními.

Viennae 26. Martii 1787.

Dobrowskyo suo Fortunatus Durich s. p. d.

Insolitum silentium meum te dubium reddebat de valetudine mea? non alia de causa, quam tibi jam per P. Chrysostomum nota, respondere nequivi, utque tuo desiderio meaeque voluntati de rebus nostris slavonicis consueta, hoc est prolixa epistola satisfacerem, usque ad hoc tempus differre debui. Doleo vehementer, me diutius a slavonicis codd. separatum fuisse, quibus cras, ut spero, reconciliabor, resumturus operam indiculi, in quo series *začžalorum* ex latere correspondens caput et versiculum habet, adnotata etiam diversitate, quae in MSS. occurrit; e. g. Math. XXI, 11, začž. — manusc. { пд҃. edit. Mosq. { пг҃. 2do usque ad začž. ро҃. In conficiendo hoc indiculo utor MSSto chartaceo *quatuor Evang.* in fol., quod Johannes Petrus, dux Moldaviae, describi curavit et umbilicis ornatum dono dedit monasterio Xiropotamiensi ecclesiae ss. 40 martyrum — вл҃тѡ ꙁч҃г., de quo alias plura. Editio Mosquensis N. Test. in 4to jussu sacrae synodi est adornata a. 1725, quae, ut tu de tuis scribis, habet *glavarum et začžalorum* notas. Hunc indiculum inseram dissertationibus et observationibus singularibus, quibus MSS. et rariores editos codices slavonicos Aug. Biblioth. Vindobonensis pro specimine palaeographiae, philologiae, criticae et hermeneuticae sacrae Slavorum, recensere atque illustrare conor. Cupis, ut te praeveniam in dissertatione de indole et usu critico vers. slav. Lubens tibi parebo, sed habeo quaedam momenta, quae adhuc magna disquisitione egent. I. Quo exemplari ecclesia Constantinopolitana utriusque s. codicis usa fuerit secul. IX, ad cujus morem procul dubio se composuerint SS. Cyrillus et Methodius? Ad hanc rem nosti verba D. Hieronymi praef. in lib. Paral., nosti adnot. edit. S. Maur. ad eundem locum: »Alexandria et Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem; Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat«. Nuper hujus rei gratia Psalmos рли҃—рм҃ contuli cum edit. Rom. et var. lect. cod. Alex. in polygl. Walt., item cum Flaminii Nobilii notis tom. 6 Walt. polygl.; proxime videbo, utrum in locis, quae observavi, eaedem lectiones occurrant in MSS. Psalterio Bibl. Aug. Vind. et in editione Veneta; si eadem lectio sit in his, atque in exempl. Kurzbekiano, passim mihi videtur accedere versio slavonica ad cod. Alex., etsi et proprias lect. habeat, ut est illa cum aliis codd. graecis apud Flamin. Ps. CXXXVIII (66) *Dices.*

Nostine aliquem scriptorem, qui de rebus disciplinae circa codicem sacrum apud Graecos historice tractet? Vides, quantas difficultates superandas habeamus! Sed progrediamur ad secula nobis proximiora. Nonne tibi suboritur aliqua quaestio, cur Theophylacti praefationes in Evangelia in slavonicis editis aeque ac MSS. codd. habeantur? Nunc inquirendum, quo tempore, ubi, a quo hoc fieri coeptum? an ipse sacer codex alicujus hominis criticam diligentiam

et Eusebianam aut Hesychianam aemulationem subierit? II[i]. momenti disquisitio pendet ex conatibus Niconis, patriarchae Russorum, qui emendationem librorum ecclesiasticorum suscepit a. 1654 obtentis ad hoc negotium a patriarcha Constantinopolitano et ex monasteriis montis Atho 500 MSS.

Ab hac reformatione incipit alia epocha codd. slavon., quapropter vel in ipsa Russia sive MSS. sive editi codd. ante laudatam Niconis reformationem summopere exquiruntur. Igitur ex codd. post a. 1654 editis de indole antiquae vers. slavonicae caute judicandum est, nihilque sine collatione et critico judicio codd. graecorum, qui in catalogis codd. MSS. Mosquensium recensentur, et consensu praecedentium slavonicorum codd. tuto tenendum aut asseverandum. Ex vita Theophanis, qui Petro Magno in reformatione cleri tam regularis quam saecularis praecipuus auctor erat, sequentia ad III. momentum disquisitionis pertinentia excerpo:» S. codici bibliorum *emendatius* in lingua slavonica typis monasterii Nevensis cum tabulis aeneis edendo per multos annos cum aliis theologis ecclesiae ruthenae intentus fuit; sed morbis et negotiis impeditus, tandem morte praeventus, archiepiscopis, Tverensi, Vologdensi, secundae sive inferioris Novogrodiae, archimandritae Nevensi, Stephano Kalinowskio aliisque theologis eruditis lampadem hanc tradidit.« Igitur ad indolem ut usum criticum vers. slav. cum primis observandae veniunt epochae: I. a SS. Cyrillo et Methodio usque ad Theophylactum, II. a Theophylacto usque ad edit. Ostrogiensem, vel si mavis, usque ad originem typographiae apud Ruthenos; III. ab hac usque ad reformat. codd. ruth. per Niconem patriarcham; IV. a patriarcha Nicone usque ad Theophanem archiepiscopum; V. ab hoc usque ad nostra tempora. Habes specimen quoddam meum seu machinationem araneolae, quod orditus sum; quin tamen tanti operis filo uterus meus sufficiat. Moram concede, ut materiam colligam et moderato ungue convenientia stamina deducere valeam ad texturam.

Sed ad angustiam chartae, in qua de aliis rebus ad te scribam arctatus, brevissime quaedam attingo. De Rossiano III. vol. nihil hucdum scio. Psalterii antiquissimi, in quod Reginae Hradecii incidisti, mallem brevem notitiam a te accipere, quoad annum editionis etc., ut nosti. An aliquid de vita Meletii Smotriskii accepisti?

De natura MSS. Žerotiniani et Glossemm. cum edit. 1475 convenientium, atque cum MSS. Neostadiensi consensu, item de edition. slavon. Biblioth. Aug., quod ad N. T. attinet, futura hebdomada scribam. Salutant te, quos salutatos volebas; saluta meo nomine amicos Pragenses et me tui observantissimum amare perge!

XXVI.

1787 — 4. dubna. Durich podává zprávu o spisech Novikových, o tiskárně Supraslenské a o pokrajních připiscích Žerotinského rukopisu české bible.

Viennae 4. Aprilis 1787.

Dobrowskyo suo Fortun Durich s. p. d.

Alterius epistolae debitum solvo, tibi notum faciens tandem post diuturnam inquisitionem in opusculi: **сказанїе како состави стыи кирилъ философъ**

а҆ꙁъбоукоу по ѩ҆ꙁы́коу словѣ́ньскоу etc. historiam criticam me aliquid subsidii invenisse in recensione operis: »Повѣствователь Древностей Россійскихъ« etc. auctore Nicolao Nowikow, cujus I. parte sub N° IV. laudatum opusculum editum est. In Bibliotheca Caesarea Nowikowii *Bibliothecae veteris Rossicae* tantum Часть I de anno 1773 exstat, reliquae partes, ut et *Annuntiator antiquitatum rossicarum*, quod opus dicitur esse continuatio Bibliothecae veteris, desiderantur: igitur hoc unicum ex ipsa inscriptione: Древностей ad disquisitionem criticam habeo, supra memoratum opusculum ad Antiquitates rossicas pertinere. Utinam illius Nowikowiani *Annuntiatoris* exemplar Pragae invenire valeres! non dubito Nowikowium quaedam praemisisse ad historiam criticam pertinentium momentorum; fecerit saltem aliquam mentionem*) exempli, e quo suam editionem adornavit. Occasione inquisitionis in existentia in Bibliotheca Caesarea Nowikowii opera officiosissimus professor Alterus incidit in „Опытъ историческаго словаря о Россійскихъ писателяхъ“ ab eodem Nowikowio collectum et a. 1772. Petropoli editum in 8° min., ex quo in meum usum tuumque, si velis, excerpo notitias ad philologiam et hermeneuticam s. pertinentes. Sed de hoc alias plura.

Recte quidem mones de comparandis potius exemplis Kioviensibus aut Supraslienisbus; sed nostine Supraslienisem typographiam, ut Daniel Hoffmannus pag. 62 scripsit, *hoc seculo XVIII. efflorescere coepisse?* ex hac igitur nullam editionem ante a. 1656 reform. Niconianae (quam tamen prae omnibus recentioribus mallem) consequi valeo. Ad haec ex recensione cod. CCCLXXXVIII. in 4to codd. ruthen. MSS. biblioth. Zaluscianae disco, monasterium Supraliense esse archicoenobium ord. D. Basilii Magni, atque, ut vel ipse Hoffmannus notavit, ibidem monachos sub obedientia ecclesiae Romanae habitare; quibus de causis vellem quidem etiam aliqua editionum exempla nosse ad eligendum; cum primis ut rescire valeam, in quem modum nobis uniti Slavo-Graeci in editionibus ss. voll. adornandis se gesserint: nosti enim Slavo-Latinos, quomodo suas editiones lect. s. Scripturae in lib. liturg. interpolaverint. Kiovienses editiones celebrari memini me legisse; sed necdum ullam contuli: si tibi de his aliquid observatum est, mone.

Nunc ad notas marginales MSS. Žerotiniani bibliorum bohem. Aug. Bibliothecae Vindob. progrediar. Triplicis generis in hoc MSS. observavi notas marginales, quarum una eademque manu mihi videntur duplices scriptae esse, aliae, quibus scriptor praeposuit duas literas: *al.* nimirum, ut ego existimo compendium vocis *aliter,* e. g. cap. XI. lib. IV. Regum v. 14. ad illa verba: a zwola. Spřezenie. ſpřiezenie — in margine. "al zapržiſeženie; quae nota profecto non ad varr. lect. hebrr., de quibus mox dicam, sed ad diversitatem alicujus cod. boh. philologicam solum pertinere mihi videtur. Nam haec utraque vox bohemica *conjurationem,* vox autem קשר rebellionem, si scholiastem canonis hebraicae veritatis in edit. div. bibl. S. Hier Congr. S. M. sequi velis, significat; mihi autem idem cum Hier. est, proin distinctum genus notae a sequente, id est altero ab eadem manu producto, quod est varr. lectt.

*) Necdum simile exemplar bibliothecae Nostitzianae heic Viennae investigare potui; immo nullum, in quo sit alphabetum illud catechet.

hebrr., nimirum respectu Vulg. versionis et unius ex chald. paraphr. sumtae. Tertium genus notarum marginalium, eadem, ut apparet, manu scriptoris Joannis de Praga scriptum, pertinet ad exegesin estque circumductum linea rubra. Cum his tertii generis notis convenit MSS[um] Neostadiense et fragmentum cl d. Zlobiczkyi membr. heic in quodam cellario repertum; fuerit itaque exemplar alicujus auctoritatis istis apographis antiquius notisque exegeticis insignitum, e quo haec tria exempla sumta sunt. Manu scriptoris v. l. hebrr. subinde occurrunt notae marginales, quibus praeponitur — . ť. — e. g. I. Paralip. cap. XI.: a zabil lwa v proſtřed ciſterny — in margine: . ť. dwa muže ſylna ku podobenſtwy lwa Notis marginalibus var. l. hebrr. semper praeponitur compendium: hebre. v. hebr. v. heb[r]. v. heb[e]. Variae lect. ex chald. paraphr. praeposita sunt: "kaldeiſſtij magi.

Sed jam accipe specimina istarum varr. lectt.:

Deuter. XVI, 3: nebo w "ſtrachu vyſel ſi z egipta — in marg. heb. "chwatawie. Animadverte hanc variam lect. bohemice redditam convenire cum Exod. XII, 11, ubi Vulg. interp. melius transtulit: *festinanter.* Vide consensum utroque loco antiq. versionum. Josue II, 2: ženy "neuieſtky — in marg. hebr. hoſpodarżſke. VII, v. ultimo: vdole achor — in margine heb. achau. Hanc lectionem frustra quaesivi, nec ipse cl. Rossi quidquam heic var. lect. adnotavit; sed quia necdum satis in hanc inquisivi, nolim omnino asseverare mendosam lectionem esse et purum sphalma. VIII, 18: zdwihni "ſtit — in m. heb. kopie. XXII, 10.: oltař "neſmierne welikoſti — in marg. hebre "welikeho widienie; protože zde mohl widien byti.

Haec interim tibi sufficiant specimina lectt. hebraicarum a Vulgata diversarum, quas memineris non in omnibus libris, neque tali diligentia, quae criticum sacrum decet, scriptas esse; in lib. Job nulla est adnotata, identidem in libro Psalmorum, si recte commemini. Superest, ut illam ex paraphr. chaldaica unice observatam recenseam, nimirum [III. Reg. IV. 4. illustrans] I Paralip. XVIII, 17: Ale banaias ſyn ioyadow nad ſtřielcí a nad "ſamo(ſ)třielníky — in marg. inferno eadem manu, qua hebr. lect. scriptae sunt: "kaldeiſſtij magí nad praczníky.

De auctore harum adnotationum, ut et de aliis rebus ad historiam criticam laudati MS[ti] pertinentibus proxime plura perscribam. Urget hora, ut epistolam convolvam tibique et amicis felicissimas resurgentis Domini ferias optem. Vale et me amare perge, atque non negligas, velim, officium literarum, quibus meam sciendi aliquid de nostris rebus slavonicis cupidinem reficias.

Saluta amicos Pragenses.

XXVII.

1787 — 18. května. Dobrovský odpovídaje na list předcházející, sděluje Durichovi mimo jiné stručně obsah staroslovanského breviře, žádá, by mu Durich sdělil různá čtení z rukopisu vévody Moldavského, jakož i z Moskevského Nového Zákona, a podává některé drobnější zprávy literární.

Mieschicii prope Pragam 18. Maji 1787.

Fortunato suo p. s. Jos. Dob.

Dabis certe mihi occupatissimo veniam, quod literarum commercium abruperim, tanto tempore nihil scribens. Respiro nunc ruri, sed hic iterum de-

stituor iis subsidiis, quae ad manus esse oportet, si tibi satisfacere velim. In aliquibus saltem, quae collecta penes me sunt, tibi morem gerere potero. Laudo equidem vehementer operam tuam in recensendis codd. slav. Bibl. Aug. Vindob., verum nolim, nimis anxie inquiras in ea, quae vix ac ne vix quidem erui ac planissime explicari a quoquam poterunt. In Novo Testam. cod. slav. Constantinopolitanam, quam descripsit Griesbachius, recensionem sequitur. Immo codices graecos tibi nominabo, praestantes utique et antiquissimos, cum quibus vers. slav. consentire comperi. Codex gr. Wetstenii *A* seu Alexandrinus in Evangeliis Constantinopolitanam recensionem continet, teste Griesbachio, te observante etiam in psalmis ad eum accedere nunc didici. Quod Theophylacti praefat. praeponi soleant Evangelia in slav. cod., nihil me monet; nam et Theodori M. praefat. praejici solent more cod. graecorum, in quibus plures subinde praefat. diversorum congestae sunt. In hanc rem Millii Prolegomena in N. T. tibi legenda erunt. Non est hic eadem ratio talium praefationum, quae est in latinis cod. ab Hieronymo emendatis. Quae de Niconis conatibus disserturus es, me magis curiosum reddunt. Sub hoc Nicone I. Joh. V, 8 in slav. vers. illatum fuit, quamvis sine fide codicum; nimirum ille aliquid etiam editis cod. tribuendum esse censuit. Quae de epochis textus slav. observas, summopere probo, nisi quod 1^{mam} malim a Cyrillo extendi usque ad impressum textum. Ita nempe, ut disquirendum sit, utrum et in quo cod. manuscripti differant. Nam critica diligentia ab initio ad calcem usque noviter recensitum fuisse textum slav. manuscriptum vix credo; assumta autem in textum additamenta varia e scholiis graecis uno exemplo explicabo. I. Cor. 8, 6. assumentum illud: *i iedin duch* etc., non habent cod. slav. omnes. Nam ut me nuper amicus quidam, qui ad Pestinum degit, diligens rerum slavicarum collector et aestimator, in literis edocuit, codex chartac., quem possidet, non legit illud. Ergo caute etiam in iis lect. judicandum est de indole textus slav., quae codd. antiquorum fide non nituntur, sed e scholiis graecis hausta fuisse videri possint.

De III. vol. Rossiano nihil te scire scripsisti. Incuria cujusdam hominis, cui cl. de Rossi negotium commiserat, factum est, ut exemplaribus nomen Garampii inscriberetur, quae licet Viennam directa fuissent, dum Tergestum pervenirent, ad Garampium in Italiam missa sunt, quae a se remittenda Garampius nuper cl. de Rossi scripserat. De edit. Pragens. me cl. de Rossi edocuit, duas esse editiones: anni 1518 unam, alteram 1531, nullam anni 1570. Quod ipsum e Maschii edit. bibl. le Long. et Seligmanniano Catalogo biblioth. Openheimerianae didici. Pragae recentiores quasdam nuper detexi, sed his tu jam non caperis, dum tibi slav. codicum copia omne tempus eripit.

De editione Psalterii Venetiis impressi, non tam antiqui, ut initio putabam, nam an. 1638 (non ut initio errore calculi credebam 1538) in 4. editi haec habe: Est sine titulo Breviarium slavonicum lit. cyrill., p. 1. praefatio — ad cujus finem: *amin počesse se pisati* sic knigi v lieto ҂ахли — additurque: inveniri sacros libros (slavonicos utique) apud dominum Marcum Ginami in civit. Venetia in magno foro.

Fol. 2 et 3. Praecatio praevia.

Fol. 4. initium Psalterii — fol. 110 finis, adest psalmus extra numerum 150 psalmorum, contra Goliath: *mal biech* etc. In marg. inferiori: *w lieto* ҂ѮӼЛИ. *Bartol. Bartol* fuit filius *Marci,* uti e praefat. disco.

Fol. 121. *Tropare*, fol. 126 pag. versa — Praefatio alia typothetae: Jerolim zagurowik, wlastelin ot grada *Kotora*, — iže spisach w lieto ѦѮѮИ, excusat se deinde de erroribus typi.

Fol. 128—274. posledowanie totius anni a Septembr. usque ad Augustum. Charta vix mediocris.

Vocem *kondak, kondaci* peto mihi a te explicari, quam saepius deprehendi.

Optarem, si tibi otium fuerit, ut aliquas lect. v. e cod. chart. ducis Moldaviae mihi communicares, e. gr. additne c. III v. 20. Joh: ὅτι πονηρὰ ἐστίν, quae lectio est cod. *L*, 13, 33, quos frequentissime slav. v. sequitur, praecipue cod. *L*, qui est sec. VII. scriptus, Stephani II. Si tibi ad manus est edit. Mosquensis N. T. cum notis marginalibus, peto a te conferri ea loca, in quibus in margine aliquid adnotatum est. E. gr. ut e mea editione loca notem. Legitne cum textu Joh. I, 1, 2. *k bogu*, vel cum margine *u boga?*

Joh.	I.	v. 7.	*da wsi wieru imut iemu,* vel *da wsi uwierujut črez nego?*
--	II.	v. 17.	*kuplenago* vel *kupli.*
—	-	v. 18.	*žalost domu twoego sniest mňa vel* rewnosť dom twoego sniede mňa.
—	III.	v. 18.	ne budet *vel* niesť.
- -	—	v. 33.	wierowa *vel* utwerdi
-	V.	v. 35.	w cžas swietienïja iego *vel* do wremene swietienïi iego
- -	VI.	v. 25.	kogda zdie bysť vel kogda sjemo prissel iesi.
--	VII.	v 8.	ne wzydu vel ne ů wzydu.
--	VIII.	v. 7.	prežde vel perwyi.
—	IX.	v. 12.	kto toi iesť vel gdie toi iest
-	XV.	v. 22.	winy *vel* izwinenïja.
—	XVIII.	v. 29.	riecž *vel* winu.
--	XIX.	v. 41.	wert vel wertograd.

Has ego marginal. notas, si recte conjicio, Niconianae correctioni tribu rarius enim textum ipsum mutatum esse censeo. Hae sunt omnes not marginales editionis 1783 N. T. Mosquensis — primo loco scripta sunt textu, 2do loco e marginibus. Judico ego has notas varii generis esse; mag tamen textum convenire cum mss. codicibus, quam margines. Vide itaqu quid tuus ille codex hic definiat. Ad alterum jam epistolae exemplar pro gredior.

Nowikowii quaedam opuscula sunt in catalogo russico consignata, quer tibi, si cupis, mittam, sed per quem? Adferuntur libri hi Pestinum, inde, opus sit, per bibliopolam aliquem procurare poteris ea, quae ad rem tuam faciunt. In nullo Bukwar te alphabetum catecheticum reperisse, non miror cum auctorem harum sententiarum Cyrillum fuisse non sit verisimile. Pro lubitu suo editor, quicumque fuerit, has vocabulis seu literis alphabeti adap tavit sententias, quae ab aliis iterum neglectae fuerunt.

Ex iis, quae contuli, locis certus reddor, editionem Niconianam an. 1656 seu potius editiones recentiores non multum differre ab antiquioribus. Minutissima fere sunt, in quibus editio mea an. 1783 ab Nostitz. cod. an 1573 differt. Nuper iterum quatuor Evangel. impressum codicem Belgrado Pragam adlatum superiori seculo caro emi pretio. Est figuris ligno incisis ornatus, sine anni nota et loci. Recentior paulo est Wilnensi, sed ei simillimus in textu, literis et aliis. Lubens eum tuis commodarem usibus, si tam longe non distares. Viennae, postquam plures excusseris bibliothecas, cod. quales tu quaeris, certe invenies.

Tirnaviae editus est Catechismus slav. lit. cyrill., servatur is Pestini in bibl. Universit. Haec ideo refero, ut indicem locorum, in quibus imprimuntur slavica aut impressa olim sunt, augere possis.

Slavos, etiam unitos iisdem librorum editionibus uti, quibus non uniti utuntur, nihilque in s. sc. ab iis immutatum fuisse, mihi persuasum est, interim res disquisitionem tuam omnino meretur. Pro notis marginalibus ms. Žerotin., quarum examen tam diligenter instituisti, gratias ago quam maximas, quas utinam alio officii genere rependere possem. Doleo tamen eas serius ad me pervenisse, nam ea pars Promptuarii, cui eas inserere volui, jam sub praelo sudabat. Sed utique et ea tua sunt, quae d. Zlob. in literis d. Ungar miserat. Si auctorem detegere potueris, gratulabor tibi. Facile se mihi offeret occasio, qua hisce tuis observationibus loco suo uti potero. Vale jam et me amicitia tua fovere perge. Salutant te Prag. amici.

XXVIII.

1787 — 28. května. Durichova odpověď na předcházející list, v němž mimo jiné podává zprávu o některých staroslovanských tiscích, podává některá různá čtení z nich a zmiňuje se o uherském učenci Horanym a. o knihách z kláštera Farrenského.

Viennae, 28. Maji 1787.

Dobrowskyo suo Fortunatus s. p. d.

Quis occupatissimo amico veniam non dederit ob intermissum aliquo tempore commercium literarum? Satis subsidiorum tecum ruri habes, qui tantum roris mecum communicasti, ut hanc sitim rerum slavonicarum, quam semper sitio, abundanter reficeres. De quibus me monuisti, utar consilio tuo; sed velim credas, illud Plinii — nescio, quo modo hominem in studiis magis timor, quam fiducia decet — ingentes radices in animo meo egisse; cum primis accessione illarum notitiarum, quibus adquisitis videor mihi omnino rudis et ignarus, si collectaneorum meorum, de quorum sufficiente apparatu propemodum confidebam, defectus expendam; sed operam dabo, ne quid nimis anxie agam.

In editione Psalterii Veneta, illam chronologicam expressionem, w lieto ҂зхли, quod ad ҂з attinet, non intelligo; forsan ҂а scribere volebas, ut priore loco scripsisti? Etiam illam Zagurowikii ҂ахзи non assequor, nisi commutatione situs к҃з, ut in hunc modum istius editio sit de a. 1627 et illa Ginami de a. 1638. Quod ad Marcum Ginamum attinet, ex Fastis Literario-

Ragusinis auctore Sebastiano Dolci Venetiis 1762 in 4to editis, in art. *Joannes Francisci de Gundula*, didici: hujus poetae illyrici psalmos piaculares versu redditos illyrico prodiisse Venetiis per Marcum Ginamum a. 1620. Multum profecto distant nostri poetae a Ragusinis et numero, et, ut mihi videtur, elegantia etiam; quod igitur nostris deest, ne putaveris linguae slavonicae generatim spectatae deesse. Vis, ut vocem ***kondak***, ***kondaci*** tibi exponam. Quaere in *Dissertatione secunda de liturgiarum in rebus theologicis* usu, F. A. Zachariae pag. 410. Tom. I Thesauri theologici Josephi Gautier, inveniesque vocem: »*KONTÁKION*, sensu ecclesiastico brevis hymnus, a voce *κοντός*, sive *parvus* dictus, eo quod paucis laudes alicujus sancti vel festi complectetur. Et varia sunt *κοντάκια* pro variis sanctorum festis etc.« Non dubito, te legisse hanc vocem slavonice declinatam in Poslědowanie — **тропа́реже и̓ ко́н҆дакıӗ** &c., ut ego legi in editione Veneta 1561 [**҂афѯа**].

Contuli loca, ut ea ex tua editione Mosquensi adnotasti, cum editione Mosquensi N. T. anni **аѱке.** in 4to et MSS. chart. Bibl. Caes. 356 inter recentiores codd. MSS.

Joh. I, 1. **к҆ бг҃у**; nulla lectione marginali; v. 2. identidem **к҆ бг҃у.** cod. MS. in eundem modum utroque loco; v. 7. ed. **да вси̑ вѣ́ру и̓му́тъ е̓му́.** Cod. MS. **да въсѝ вѣ́рѫ и̓мѫть и̓мь.** Joh. II, 17. **ку́пленаго.** Cod. MS. **коу́планаго,** v. 18. **жалость.** C. MSS. **ӡакѝсть.** Joh. III, 18. **небудетъ.** C. MS. identidem **небѫдеть,** v. 33. C. edit. **вѣ́рова.** C. MSS. post vocem **свѣ́детельство** — legit — **ӡапеча́тлѣ ı̓ако бг҃ъ.** Joh. V, 35. **к҆ часъ свѣтѣ́нїа е̓гѡ̀.** MSS. wy že * chótěſte w' wrěmia wzradowati ſia **свѣтѣнїа е̓́го**; alia manus intra lineam superne supra e * ch minoribus literis et alio atramento: **невѣс.** Joh. VI, 25. **когдà ӡдѣ̀ бы́сть.** MSS. identidem legit. Joh. VII, 8. c. edit. et MSS. **не вӡы́ду.** Sed MSS. **ѫ** loco **у.** Joh. VIII, 7. **пре́жде** uterque cod. Joh. IX, 12. **ктò то́й е́ст҆.** *MSS. vero* **гдѐ е҆ѿ ѡ́нъ.** Joh. XV, 22 **вины̀.** MSS. legit quoque **вины̑.** Joh. XVIII, 29.: **рѣчь,** MSS. quoque Joh. XIX, 41. **ве́ртъ,** MSS. quoque **врѣ́ть.** Editio Mosq., quam semper primo loco posui, nullas habet notas marginales, varr. lect. Vides itaque, quid ille cod. MSS. heic definiat. Sed quod ad varias lectiones hujus vel 355 attinet, colliget illas cl. amantissimusque professor Alter, cujus opera in sua collectione v. lect. N. T. jam excusae sunt a pag. 969 — 1039. in f. 8va: »Variae lectiones collectae ex codice slavonico Augustissimae Bibliothecae Caesareae Vindobonensis, qui est inter codices manuscriptos linguarum orientalium Num. CI.« Sed necdum tota collectio typis excusa est; opus illud excuditur typis Trattnerianis. In hoc viro ob assiduitatem studendi Origenem, et Plinium juniorem ob benignitatem animi suspicio. Ale! ale! geho chwála gest nad mau míru! Da veniam interjectioni, quam pudor extorsit; lecta illius x) ad Num. CI.

Pro catalogo libr. slav. et russicorum interpellavi cl. Horany, qui aliquo tempore heic commoratus est, et in Bibl. Caes. in notitias inquisivit, quibus suas *Memorias* Hungarorum et Provincialium auget et jam omnino heic edit. Nuper Pestinum ad suam stationem discessit, rediturus mense Julio. Is te humanissime salutatum cupit et rogatum, si quid notitiarum habes de Hungaris vel Provincialibus in Bohemia commorantibus, quo laudatae Memoriae

augeri possint, velis benigne communicare et ad me dirigere. Gratias egit nacta per me tui notitia, qua [ex cl. Pelzelii nostri Script. S. J.] suum opus augebit; consigna alia tua opera recentiora.

Etiam in illam editionem Tirnaviensem Catechismi se inquisiturum promisit, atque in typographias slavonicis typis instructas in Hungaria.

Sub finem mensis praecedentis allati sunt libri quidam ex bibliotheca aboliti anno elapso monasterii Farrensis S. Joh. Bapt. dioecesis Fori Julii Ord. Praedic. congr. B. Jacobi Salomonii; [vid. Bibl. ejusd. Ord. Tom. II., pag. XV.] inter quos nonnulli slavonici sunt literis ruthenicis, glagoliticis, serbicis, atque etiam latinis editi, quorum tibi notitiam proxime dabo; nam hi adhuc omnes in interiori Musaeo sunt, necdum catalogo inserti, quorum usum optimus custos Denisius mihi immediate obtulit. Inter alia exempla τῶν **Бѹкварь** est unum formis in aes incisis in 12 foliis in 8⁰ excusum **ѿ Христофора Жефаровїча Ζωграфа.**

Sed jam coarctor angustia temporis; vale et me amare perge. Amicos saluta, lege praenuncium et recogita.

XXIX.

1787 — 24. září. Dobrovský zmiňuje se o svém příjezdě na Hradisko u Olomouce, přeje si některé zprávy, podává popis »Bukvara« v Kyjevě r. 1686 tištěného a »Azbuky« z r. 1768 a mimo jiné podává zprávu o Cyrillovi Quidenonském, spisovateli »Apologorum«.

Fortunato suo J. Dobrowsky s. p.

Die 23. Augusti incolumis perveni Hradistium. Situs loci satis amoenus, sed Olomucium non capit tales incolas, cum quibus multum conversari summopere expetam, unum cl. de Monse si excipias. Literae humaniores omniaque alia studia fere projecta jacent. Curis domesticis continuo distineor; jamque voluptati mihi est, quod oneri esse solet. Principia grammaticae bohemicae una hora tradere soleo linguae suae amantibus; hac absoluta ad slavica progrediar. Possunt enim Moravi Cyrillo suo gloriari magis, quam nos Bohemi.

Literas tuas, quibus respondendum fuit, non teneo manibus; nondum enim omnia Praga ad me pervenerunt. Literas tamen 28. Maji ad me datas habeo, quibus explicari volebas a me, quid ꙁ sibi velit in notatione anni ꙁхли. 7000 utique denotat, additis 6000 annis a creatione mundi. Alteram ахꙁи (и non 15, ita non kappa) neque ego assequor, nisi legendum sit a. 1607 vel 8. A te iterum peto, ut mihi contractiones ex Officio slavico (seculi IX, ut habet titulus in dorso) collectas exponas. ка҃ⷩ utique kanon, ерⷭмо; hoc contextu каⷩ кѣ скрⷭѣ глⷭа а҃. пⷭѣ а҃. ерⷭмо. Glas et pjesň quid sit, utique scio. Scribitur autem et ірⷭмо. Mihi namque neque libri, neque otium suppetunt, tibi certe haec jam explorata sint. MS^tum codicem hunc, quo antiquior vix forte in Russia extat, proxime describam. Continet multas Evangeliorum et Epistolarum partes, quas cum editione Mosquensi conferam. Jamque deprehendi antiquiora vocabula in eo contineri, nec contemnendas v. lectiones.

Impatiens morae expecto opus praeclarum nostri Alteri, quod, ut audio, Zlobickyus detinet. Velim, ut mihi brevi, una cum dissertatione de l. slavica, quam alumni Posoniensis seminarii ediderunt, transmittat. Monitus fortasse faciet, quod alias differret. Cl. Horany opus, quam primum prodierit, mihi vel per te vel per dn. Zlob. mitti flagito. Pretium lubens solvam. Russicorum librorum catalogum, quam primum volueris, mittere possum.

Ne tamen te vacuum dimittam gratificerque tibi, quamvis non satis pro animi mei desiderio, aliqua in re, accipe alphabetarii libelli, quem in biblioth. lycei Olomucensis detexi, descriptionem. Titulus: *Bukwar jazyka slawenskago* etc. Kioviae in Laura Peczeriensi an. 1686 in 8. 5 plagularum, cum paucis figuris ligneis.

Contenta sunt haec: 1) Bukwa seu literae alphabeti 45 minusculae, 44 majusculae.

2) Slozy seu syllabae.

3) Slozy pod titlami seu abbreviaturae.

4) Sententiae morales ordine alphabeti per 32 literas pertextae. Cuilibet literae 3 subjiciuntur sententiae, e. gr. sub *A:* **аще** czto ljubo tvorissi etc.

Sub B: Boga boy sja.

Sub W: Wieżd samago sebe. etc. etc.

Ex quibus sententia tua, p. 13 Dissert. de slavo-boh. vers. minus probabilis redditur. Nam pro lubitu editorum sententiae hae subnexae sunt, non auctori Cyrillo tribuendae.

5) Preces matutinae, ante et post mensam, vespertinae.

6) Symbolum Athanasii, Decalogus, Praecepta charitatis, 7 perfectiones, septem peccata capitalia, bona opera his contraria, septem opera misericordiae tam spiritualia, quam temporalia, *novem* NB. beatitudines, praecepta ecclesiae septem, notae numericae.

In alio libello, quem possideo, cujus titulus: *Azbuka cerkownaja i graždanskaja etc.* Mosquae 1768. 8. Sententiae morales e s. Scriptura desumtae 8 paginas implent, non tamen servato alphabeti ordine. Vides igitur, quibus mutationibus ordo in pertexendis sententiis obnoxius fuerit. Primum placuit sententias exquirere, quae etiam nomen literae exhiberent, deinde quae sonum literae, denique tales, quae neutrum.

Salutabis meo nomine humanissime cl. viros Denisium et Alterum. Primum monebis, me jam in *Corrigendis* in Boh. docta Balbini p. 15, ex manuscripto Bibl. Clementinae an. 1462 exarato ostendisse Cyrillum illum, qui Apologos conscripserat, *Quidenon* alias fuisse vocatum ac poetam laureatum fuisse. Quid de hoc auctore, quem multi cum Cyrillis sanctis confuderunt, Jöcherus habeat, ipsi cognitum puto. Basiliensem episcopum eum fuisse vix credo, cum inspecto fonte, quem Jöcherus laudavit, nil repererim, ita ut hic, uti alibi saepius, compilatorem hunc, alias sat diligentem, hallucinatum esse credam. Quid Denisius de eo sentiat, velim mihi perscribas. Optaremque, ut ille, post inanem conatum Meisneri, qui Holzmanni fabulas aliquot stilo elegantiori nuper reddidit, in obscurum auctorem hunc inquirat, ac pro felicitate sua nobis nodum tandem solvat hactenus inextricabilem.

Si qua exciderint mihi, quae scire ex me cupis, rogo, fac me de iis certiorem. Nam multum distrahor nunc in omnem partem, ut facile etiam illud obliviscar, quod meminisse gratum mihi est. Mihi certe nihil unquam jucundius esse possit, quam te mihi omni officiorum genere devincire.

Vale mihique favere perge.

Hradistii, 24. Septembris 1787.

Characteres e manuscripto antiquo slavico, cujus supra mentionem injeci, tibi proxime delineatos mittam. Disces ex iis, de quo quidem tu non dubitas, quam facile ex cyrillicis orti sint glagolitici, nam omnes majusculae duplici ductu exaratae sunt, uti: ꙍ pro ѡ etc. etc. Vale iterum.

XXX.

1787 — 16. října. Durich odpovídá na list předešlý, podává zprávu o mluvnici B. Maximova z roku 1723, objasňuje dvě staroslovanské skráceniny, zmiňuje se o evangelistářích a lekcionářích, jakož i o nově nalezeném českém evangelistáři, o rukopisném latinském missálu z r. 1409 a připojuje ještě některé drobnější zprávy.

Viennae, 16. Octobris 1787.

J. Dobrowskyo suo Fortunatus Durich s. p. d.

Quod oneri esse solebat, jam voluptati tibi esse, loci situm amoenum esse, linguae slavonicae amantes in tua societate esse, industria tua erudiri, gaudeo vehementer; utinam projecta Ol. literarum humaniorum studia erigere posses! De conversatione unica cum cl. v. de Monse tibi gratulor; velim hunc meo nomine humanissime salutes. Prius, quam tibi ad designatarum *contractionum* ex *Officio slavico* collectarum lectiones, quas desideras, respondeam, puto tibi non ingratam rem futuram, si ex Compendio grammaticae slavonicae Theodori Maximowii in Alexandronewskiano monasterio a. 1723. in 8. edito, pag. **р҃ѹѳ.** tibi notum faciam, laudato loco de **Тíтлѧ** (҃) Theodorum quaedam adnotasse, quae in Meletio aliisque necdum legi; nimirum: „**Ꙁнаменáтелно є҆́сть, ѧ҃, ꙗ҆́ко тíтла и҆мѣ́етъ и҆ногдà рáвнꙋю си́лꙋ грéческомꙋ ἄрѳрꙋ.” и҆ прѡ́чаѧ.**

Nosti ex Hesychio: *Ἄρθρα, μέλη ἄκρα;* vocabulum itaque laudatum a grammaticis graecis sensum scripturae pensi habentibus, et differentiam e. g. in usu vocis literis extremis scriptae in hunc modum: **Б҃ъ**, quando Deum verum in substantia significat, et sine *arthro et titla,* **бóꙁи**, dum hominibus vel angelis tribuitur, indigitare volentibus, etiam Slavi in suum usum assumserunt, quod adhucdum observant, ut colligo ex recentioribus editionibus. Sed tu jam mavis nosse lectionem *τῶν* **къ скрѣ** — **Є҆рмо** vel **І҆рмо.** Quod ad primam vocem attinet, in Octoicho slavonico membranaceo MSS. in forma quarta sub principium *mutilo,* Bibl. Palatinae Vindobon. eadem compendii ratione cum *titla* saepius occurrit; sed plerumque sine **ъ**, e. g. **вскрѣ**, minus contracte folii 4ti aversa pag. **вскрнѧ**; nihil ergo aliud **кѧ къскрѣ** significant, nisi *canonem anastasimum.* »Singuli (inquit Leo Allatius Disser. I. de libro, qui dicitur *ΟΚΤΩΗΧΟΣ,* seu Octotonus, a Joanne Damasceno compositus) toni tres

habent canones. Primum ἀναστάσιμον, qui in resurrectionis dominicae, secundum σταυροαναστάσιμον, qui in crucis et resurrectionis, tertium, qui in Mariae virginis laudibus celebrandis, versantur. Et haec in Octoechis antiquis habebantur, in recentioribus modo additur pro singulis tonis canon« &c. Vocabulo Ерм҇о, vel Ірм҇о denotatur ΕΙΡΜΟΛΟΓΙΟΝ, liber ecclesiasticus, quo omnes Octoichi εἱρμοί sive, cantus initiales Christi et Deiparae festivitatum totiusque anni continentur. Ермословъ apud Assemanum etiam servata voce graeca postrema dicitur Jermoloi. Quod ad supra laudatam vocem вскр҇ѣ attinet, Caramanus contractionem ⰲⱄⰽ҃ⱃⱄⰵⱀⰻⰵ plene scribit: ⰲⱏⱄⰽⱃⰵⱄⰵⱀⰻⰵ; itaque si tui et Palatini codicis scribendi modum considerem, bohem. Wzkříſſení vel potius Wſkříſſení antiquam Slavorum dialectum cum heic, tum in consimilibus vocibus, excluso ъ magis redolet, et Caramano assentiri non possum etiam recentiorem enunciationem cum antiquis vocibus in slavo-latinos codices inferenti. Sed de hoc plura opportuno tempore.

Utinam antiquos codices slavo-latinos invenire tibi obtingeret! MS. codicis, quo tu antiquiorem vix forte in Russia exstare putas, brevis no(ti)tia me ingenti gaudio replevit; illius descriptionem avidissime exspecto, et summe desidero ex te rescire aliqua antiquiora vocabula et scribendi modum. Multae Evangeliorum et Epistolarum partes, quas MSS. in se continet, inducunt me ad opinandum, codicem hunc non ex ritu ecclesiae graecae, quae evangelica pensa seu τμήματα ex peculiari libro Evangl. et *lectionem* ex libro, qui Ἀποστολικὸν βιβλίον vocatur, legit; quam ob rem in ordinatione lectoris pontifex tradit ei τὸν ἀπόστολον, quamvis in Euchologio slav. Venetiis edito subinde et lectionem Evang. praemissa lectione ex Apostolo inveniam. Fuit equidem in more etiam apud Latinos separatim *Evangeliarium* et Lectionarium habere; sed nonnunquam etiam *Lectionarium* non Epistolas solum, sed et Evangelia continebat, ut videri potest apud Schannatum in *Vindemiis literariis* pag. 8.

Quia huc deductus sum tui MSS. argumento, etiam ego tecum communicabo inter varia MSS[a] ex aboliti Collegii Canon. Reg. ad S. Dorotheam bibliotheca in Palatin. Vindobon. inlatum fuisse chartaceum codicem, quem cl. Schwandtnerus existimabat homilias bohemicas continere, et ob hanc rem Bibliotheca Augusta indignum prope decrevit; opportune tamen contigit, ut illum mihi inspiciendum traderet. Sed gavisus sum *Evangeliarium* bohemicum *) esse, sub initium quidem mutilum, cujus primum folium ita incipit: W onom czaſſy, kdyz budyſſye Gezyſſ na dwanadczte let, pogydechu .... kdyz ſye wratychu ... hledachom. ... Pericopis evangelicis praeponitur initium latinum; v. g.: In illo tempore nuptie facte sūt ī chana galy .... Tehdy byeſſye tu ſſyeſt ſrzyezuow kamennych ... Naplnte ſrzyezy ... ſtary ſwat. Haec glossemata interim tibi sufficiant. Evangeliario integro subjungitur Expositio sine dubio ecclesiae Pragensis, ut apparet ex SS. Patronis, Procopio, Ludmilla &c. Singula vocabula latina bohemice ad verbum redduntur ita, ut vocem latinam bohemica sequatur. Subinde aliquid de vita adducitur; e. g. de S. Ludmilla: Haec sunt sacra solemnia Ludmille ... que fuit uxor Borzywoy

*) Tento evangelistář vydal r. 1893 p. Ferd. Menčík (Dva evangelistáře str. 42—136.).

ducis pagani ī bohemia, quamque fwatopluk rex morauie ad fidem conuertit ... mater uero bti wencellay dragmir. ... Nihil de SS. Cyrillo et Methodio.

Non ingrata quoque tibi erit notitia cod. MSS. membranacei inter theologicos Bibl. Aug. N. CCCXCVI, continentis Missale secundum ordinem ecclesiae Pragensis, ad cujus finem eadem eleganti manu minio scriptum est: Anno domini M°CCCC° nono. finitus et scriptus ꝑ manum Laurini de Clatowia. In Kalendario memoria suo loco ponitur: »Cyrilli et methudii«. Sed non possum plura ejusmodi hodie tecum communicare ob angustiam chartae, quae vix sufficiens erit, primum gratiarum actioni pro notitiis mecum communicatis, tum excusationi, ob infirmitatem, quae a prima die feriarum autumnalium aliquot diebus me prohibuit a scribendo; sed nunc Dei gratia iterum bene valeo. Cl. cl. viri Denisius et Alterus te humanissime salutant; horum prior curam sumsit inquirendi in auctorem Apologorum et in hanc rem interpellavit Basileensem bibliothecarium; Alteri vero mei opus procul dubio accepisti et jam legisti ea, quae ego; quod ad me attinet, dum legi, erubui, quia me doctiorem facit, ac ego me nosse sciam. In commutanda opusculi inscriptione tua consilia sequar. Mitte Symbolam, quam promisisti et catalogum russicorum librorum. Dissertationem satago, ut Posonio accipiam. De Horany opere adhuc nihil prodiit. Proxime plura scribam, junctis var. lect. ab Altero ex cod. slav. 355 collectis, ut volebas. Vale et memineris characterum e MS. antiquo slav., promissorum. Iterum vale et me, te amantem, redama. Cito scripsi, neque epistolam relegi; da veniam.

XXXI.

1787 — 21. listopadu. Dobrovský mimo jiné podává zprávu o staroslovanském rukopise XIII. století a některé menší zprávy.

21. Nov. 1787.

Fortunato suo s. pl. Jos. Dobrowsky.

Tandem nactus librum, quem beneficio p. Alteri debeo, cujus diligentiam mirabitur orbis, non jam te diutius expectantem fallam. Cape codicis slav. membranacei in 4. descriptionem.

Ex asseribus et corio, quibus involutus est, saltem ad seculum XIII. referre mallem. Characterum formas ex folio adjuncto cognosces, quorum alterum d. Zlobickyo misi, ut tibi exhibeat delineandumque cures. In marginibus sunt paulum minores; pluraque scribendi compendia. Constat foliis 290, duo recentioris membranae et calami, initio libri praefixa, non computando. Incipit:

Fol. 1. кꙵа въ скрⷪѣ глⷪѧ | а҃. пⷪѣ. а҃. ерⷪмо. Твогѧ покⷣѣ | prima linea majusculis, secunda linea minusc. exarata, subducta sunt minio scripta.

Sequuntur nunc odae pluribus tropariis constantes. Primae initium est:

роукама прѹсⷮтыма 1. linea
ѿперсти. бⷪолѣнь . 2da »
но . . . . 3tia »

NB. Non continentur ipsi εἱρμοι hoc libro, sed solum initia indicantur, secundum quos sequentia troparia cani debent.

Canon 2[dus] fol. 14 pag. versa, refert auctoris nomen: *Cusmi mnicha:*

Fol. 107 finitur canon 8[vus], qui dominicis diebus canitur. Dominicis enim octo absolvi canones anastasimos tibi notum puto.

Sequuntur usque ad folium 154 alii sex canones, qui diebus feriatis, uti Lunae in honorem angelorum, — Sabbati die de mortuis — cani solent

A fol. 155 vero lectiones ex epistolis et evangeliis sequuntur.

Prima: Apostol k Jewrjeem, angelom, ponedjeli, cui subjungitur lectio ex evangelio Matthaei.

NB. ot Matthaea scribitur матфѣа Russorum more. Codicem hunc in templis versatum produnt cereae guttae quam plurimae.

Finiuntur lectiones fol. 238, post quas pauca kontakia sequuntur.

Fol. 241 alii canones incipiunt, ut de *Prophetis* communis, de *Patribus,* de *Sanctis* (prepodobnym), de *Martyribus,* qui est ultimus. Hujus oda 8[va] kontakia habet sequentia: 1. prepojasawssi sja wieroju etc.
2. w licje predstoifsi nebesnych syl etc.
те
1[ma] linea 3. кто ищьть къ мирѣ.
2[da] » страдания ти прѣ-
3[tia] » славила. ниже, post quae verba folium excisum est, ita ut ultimus ternio non nisi tribus foliis constet.

Initium et finem codicis ea de causa notavi, ut ex descriptione mox possit agnosci, si quando in alias manus pervenerit.

In marginibus continentur varia, quae maximam partem minio scripta sunt. Inter quae a fol. 154 usque ad fol. 186 continetur Synaxarium, синксарь, ita inscribitur, seu potius calendarium, nostro directorio simillimum, quamvis de vita S. subinde pauca referantur. A mense Septembri incipit.

Si scire volueris, quae in reliquis marginibus latis contineantur, fac me certiorem; quamdiu enim mihi copia codicis fuerit, lubens tibi gratificabo. De textu, ut judicare possis, adscribam ex Act. Apost. c. XIX v. 8., qui maxime ab impresso deflectit:

W-ſſed-ſſe w-s-boriщe prostranjaſſe ſiã po tri mjesjacje. s-tjazaia siã i prjepiraja iaže o carstwii božii ·⁚· ~ Est e lectione feriae secundae.

Similes vocum mutationes, quas hic advertes, jam in cod. Prag. aliis in locis deprehendi, ita, ut tota versio slavica, nisi e codicibus eruatur, a monachis depravata sit, et non possit pro genuino partu Cyrilli agnosci. De mutata syntaxi slavica idem valet. Sed haec tu et melius et copiosius recensebis.

Cl. Altero, cui grates refunderem, si possem pares, pro benevolentia, qua munus literarium donavit, me summopere ei obstrictum esse, significabis. Gratus et cum voluptate recordabor diligentissimi viri, quoties in manus codicem sumsero. Quae ego desiderem in hoc opere, indicabo alias.

De walachico charactere, quonam tempore a Slavis sumptus fuerit, docebis, ut spero, in opere tuo, quo perfecto aliquando et ego te statorem linguae slav. reverebor.

Dissert. philologica a seminarii Poson. alumnis scripta, quam nuper transmisit Zlobickyus, est juvenilis ac immaturus partus. Refutationem non meretur.

Libellum slav. russica dialecto, lit. cyrill. impressum Tirnaviae, possidet d. prof. *Polaschek* hoc titulo: *Kratkoje pripadkow moralnych ili mrawnych sobranie* w Trnawie, typom akademie leta 1727 (ѧѱкꙁ) in 8vo.

NB. Cum seminarii Poson. alumni dissertationem tuam multum laudent, eaque, quae tu e Dobnero de commutatis sub Georgio rege characteribus precario sumsisti, repetant; spero, te expositurum in opere tuo, nullam mutationem unquam factam fuisse. Qua enim re differunt characteres bohemici etiam post Georgium a latinis? Quod de Rudolpho Caesare monet Dobnerus, non de literis, quamvis ille hoc sensu rem acceperit, sed *linguae* germanicae usu intelligendum est.

Pro iis, quae ad augendum manuscriptorum bohemicorum catalogum mihi proficua erunt, gratias tibi ago quam maximas; referam etiam, quam primum mihi tam felici esse contigerit, ut etiam tua augere possim. Vale meque amare perge, ut cepisti. Vale, slavophile, meque vel hac re tibi devinctum crede.

Jam iterum avocor; parce festinanti.

(K tomuto listu přidány jsou výpisy od Dobrovského na dvou lístcích, a sice počínají:)

a) 1. Pro Cl. Durichio. Luc. 24.

в҃ъ. въ юдинъ соуботъ ꙁѣло рано . . . .

b) I. Cor. XII. 27—XIII. 8.

Братья. вы юсте тѣло . . . . (a končí se:)
Für Hrn. P. Fort. Durich aus dem Slawischen Codex, dessen Besitzer jetzt Hr. Bibliothekar Hanke ist. Graf Canonikus Vetter hat ihm selben überlassen, d. i. geschenkt.

XXXII.

1787 — 27. prosince. Durich odpovídá na list předcházející, podává mimo jiné zprávu o některých zvláštnostech staroslovanských rukopisů a tisků, o životopise Meletia Smotriského a o spisku tištěném r. 1690 od nejmenovaného člena řádu Jesuitského, který r. 1686 podnikl cestu do Moskvy.

Viennae, 27. Decembris 1787.

Dobrowskyo suo Fortunatus s. p. d.

Dabis veniam tantisper serius respondenti et gratias agenti amico, qui aliquot diebus iterum male valebat. Sed tu bene nosti meum illud tugurium imbecille! Vehementer gaudebam obtenta codicis slav. membranacei descriptione et characterum formis in duobus foliis ex laudato codice delineatis. Haec sunt, quae mihi summopere placent:

1o. Ѥ, nunquam Є solum pro *je*, quod cum romanis exemplis codicum ab Assemano laudatorum, item cum quibusdam in Bibl. Caes. existentium convenit.

2o Indiculus contractarum literarum, sed complures harum contractionum formas non tantum in hujatibus Caes. MSS., verum etiam in editis, cum primis in Psalterio Venetiis edito, cujus tibi jam pridem notitiam dedi, iisdem plane

ductibus factas invenio: vel hisce diebus in codice MSS. Theophylacti, qui est inter theologicos XIX Caesareos nimirum codices, amicissimus Alterus hocce monogramma invenit προφήτης ; Ҭ vero in codd. graecis frequentissime occurrit, ut jam dubitare nemo audeat, illam literas slavonicas sive cyrillicas sive glagoliticas contrahendi methodum ex codd. graecis primum repetendam esse. Vel ipse jam meam heic commuto sententiam, quod ad glagol. contractiones attinet, quas ob similitudinem latinarum ex Latio magis, quam ex Graecia originem trahere arbitrabar. Sed de hac re plura alia vice.

Porro tertium orthographiae momentum praestantissimum est ꙑ, nunquam ы: omnino melius, quam nunc. Heic vero dubium mihi oritur de antiquitate codicis: cum enim antiqua MSS^a, e. g. Romanum sec. XIII, etiam ы careant, et illius loco ponant и veteres scriptores, in quem modum illud MSS. tuum poterit reponi in epocham laudatam? Quaero, nec invenire possum pluribus et antiquioribus MSS. slavonicis destitutus, an Cyrillus invenerit ꙑ vel ы? an paulo post inventum fuerit? an forte neglectum fuerit? ut illi minus periti auctores Posonienses facere conantur. Non tantum in tuo codice servatum fuisse, verum etiam in aliis exemplis, indicio mihi est Euchologium (**Моли́тьвникь**) Venetiis typis editum, ut puto, propter similitudinem typorum cum formis Psalterii congruentium; in primo folio illius ita habetur:

Чи́нъ бы́ваемꙑ̀и — vides consensum tui ꙑ cum ЪI sed non constanter; alias enim ь et ы loco ъ et tui ꙑ. Mox laudatam editionem Venetam Euchologii serbicam esse, colligo ex variis exemplis, v. g. **йсповѣда́ти се — вькóдить**.

Offers mihi tua officia ad me certiorem reddendum in his, de quibus plura scire vellem, nimirum de reliquis notis marginalibus: ego mallem aliquot pericopas majores, e. g. duas ex praxapostolicis lectionibus, et duas ex evangelicis, quae judicio critico-philologico sufficere possint, mihi describi curares iisdem characteribus cyrillicis; et brevem notitiam dares illarum lectionum, quae a folio 155 ad 238 continentur.

Quod scribis, ut delineandum curem utrumque folium, non assequor tuam mentem: si enim mei causa hoc fieri vis, faciam ipse; si tui causa, scribe, in quem modum; propterea interim duo illa folia servo apud me. Literarum duplicium formae, non tantum uno, ut in tuo specimine delineatae sunt, verum triplici modo, juxta modulos literarum in MSS. Caesar. membr. *Octoichum* continente habentur.

Nuper in cod. graeco philologico MSS. chartaceo in fol. inter Caesar. LVI. majusc. lit. *Ni* saepius isthac forma: Ᵽ vel Ᵽ, quae apud Montefalconium et recentiores rei dipl. editores Gallos, si recte commemini, non invenitur, exaratam detexit cl. prof. Alter, Homeri MSS. cum edit. conferens, existimatis esse codicem sec. XIII., cujus folio primo inscriptum est Busbequii manu, laudatum codicem comparatum esse Constantinopoli. Habes nunc meam opinionem testimonio fulcitam: Glagoliticum Ᵽ ex aperto Ᵽ originem trahere. Non sunt constanter exaratae formae in laudato cod. MSS. descripta figura Ᵽ; verum Ⱂ atque frequentius initium dat versui. Versionem slavonicam similia fata subiisse, quibus versio vetus latina male habita est ab imperitis hominibus, recte scribis in subsidium meorum conatuum; sed fac, ut tu mecum Nobilii Flam. Blanchini aliorumque sectando vestigia, id slavonicae

nostrae antiquae versioni conferre possis, quod illi latinae versioni contulerunt. Specialem locum in meo opere, cui per hoc tempus a feriis autumnalibus elapsum non contemnenda subsidia accesserunt, jam assignavi. Vis scire illa literaria monumenta? Primum est vita Meletii Smotriscii auctore Jacobo Susza, episcopo Chelmensi &c. edita Romae typis Varesii a. 1666. in 4to pagg. 145.

Hanc totam, paucis exceptis, in meum usum descripsi ea potissimum de causa, ut illam in compendium redigam, et operum Smotriscii meliorem recensionem, dispersa enim heic omnia sunt, inquisitis in locum, annum, et naturam &c. criticis rebus, quantum possibile fuerit, faciam. Cap. II de Meletii hierographicis conatibus ita scripsit episc. Susza: »Psalterium et Novum Testamentum slavonicum, ad graecum idioma concinnans ut laboriose, sic toti genti proficue reformavit. Ipsius cura et industria typis editum cum variis officiis divinis et precationibus ejusdem linguae breviarium. Adjunxit hisce lucubrationibus lexicon et grammaticam itidem slavonica. Quin imo ipse eam juventuti praelegit, uti quoque latinas artes humaniores.« Effigies Meletii praefixa est pag. 13^ae^. Notatu dignissima sunt ea, quae pertinent ad historiam ecclesiasticam Slavorum in causa Unionis tentatae circa annum 1628, cujus ille auctor fuit. Obiit Smotriscius ecclesiae nostrae unitus in monasterio Dermanensi, cujus archimandrita erat, anno 1633 die 27. Decembris. Dermanense monasterium sylvas et montes inter petrosos situm o. S. Basilii distat tribus leucis Ostrogio. Incredibili gaudio me affecit hoc exemplar vitae Meletii in Bibl. Caes. Scrin. XLIII. J. 15. repertum.

Alia hujusmodi slavonica feliciter inventa, ut Anon. cujusdam, ut opinor ex praef., Bohemi et Soc. Jesu viri docti, qui anno 1686 ex Caes. Maj. resolutione et volunta(te) superior. Mosquam profectus est. Exemplar characteris moscovitico-ruthenici duplicis, biblici et usualis, Nissae, typis Christophori Lertz, civitatis typographi, M.DC.XC. in 4to fol. 15, (q)orum novem tabulae in aes incisae.

Sed jam angustia chartae me urget, ut et exitum felicem anni supremos dies tradentis et felix auspicium novi ex animo tibi precer. Vale et te impense diligentem redama. Saluta cl. virum de Monse. Salutat te cl. Denisius et praesens apographum epist. mea manu descriptae tibi mittit. Salutat te Alter meus, etiam Zlobiczkyi.

XXXIII.

1788 — 25. ledna. Dobrovský mimo jiné zmiňuje se o Cyrillu Quidenonském a Brněnském rukopise jeho »Apologorum« z r. 1396, popírá, že by kdy býval sv. Method na Moravě, pojednává o některých hláskových zvláštnostech slovanských nářečí, podává různá čtení ze staroslovanského rukopisu ze XIII. století, a zmiňuje se o knize Pachomia Ohileviče z roku 1671.

Hradisstii, 25. Januarii 1788.

Fortunato s. Dobrowskyus s. p.

Gratias referes meo nomine cl. Denisio maximas pro benevola literarum per te transscriptarum communicatione. Nuper antiquius Apologetici hujus Cyrillo inscripti exemplar in bibliotheca ecclesiae S. Jacobi, multis codicibus

abundanti, Brunae detexi, anni nempe 1396. Cyrillus nondum, uti nec in aliis recentioribus paulum manuscriptis, sanctus appellatur, quod in manuscriptis Basileensibus miror. Laureatus poeta cum fuerit, vix aetatem Petrarchae superare potest. Hoc jam evictum est, eum non esse Cyrillum nostrum slavicum, uti male opinatus est Balbinus, patriae amore abreptus nimio. Quis enim suis non faveat? sua dilaudare non cupiat?

Nec aliter se res habet cum ritu slavico in hodierna Moravia aut episcopatu Velehradensi, quem gesserit Cyrillus aut Methodius. Nuper chartam sigillo affixo (non pendenti) munitam Henrici Zdik, episc. Olom., vidi; VII. ille se episcopum nominat. Subducto calculo et Cyrillus et Methodius e catalogo episcop. Moraviae expungendi sunt. Non nego archiepiscopi Pannoniensis dioecesim pertigisse etiam ultra Danubium in aliquam partem antiquae Moraviae, sed hoc nego, in hodierna Moravia Methodium unquam fuisse aut sedem fixisse.

Miror tibi dubium oriri (ob ы) de antiquitate codicis slavici, cum ego ob hanc rem eum valde antiquum esse censeam. Nec obest, romana exemplaria carere ы (quamvis non omnino careant). Nam in eo, quod signatum est num. 5., cujus partem aliquam mihi quondam transumtam misisti, слышать legitur, alia exempla tu reperies. Atqui romana exempl. ruthenica dicta, sunt dalmatica, h. e. in iis regionibus scripta, in quibus jam sec. XIII usus ъ et ь, seu distinctio inter eas desiit. Quid enim opus sit, ь ubique scribi, si ъ nullum unquam fuerit? Desiit pariter ѧ, quod in e et apud nos saepius mutatum est. In Moravia nunc multa audio ad slavonicam l. antiquam magis accedentia, quam in Bohemia, uti deň, genit. dně et dňa, hneď, snáď, aliaque multa. Plura adhuc vigent apud inter Slovacos Hungariae, uti ex Idiotico mihi a d. Ribay misso edoceor. *n* et *ň*, *t* et *ť* aliaque multa negliguntur a Dalmatis aliisque; inde discrimen illud, ъ et ь inter, certe ad moderandum literarum slavicarum sonum perquam necessarium, neglectum, ab iis est; non item ab aliis.

Croatae, uti me docuit libellus: Kratka azbukwiça i kratak kerstianski katoliczanski nauk — inscriptus, Tyrnaviae typis academicis an. ѧҳчѕ (1696 uti ego quidem censeo) editus in 8. pagg. 42. — non carent omnibus liquidis; habent enim etiam in fine vocum et syllabarum *l* et *ň* liquidum; non tamen alias. Istas ita exprimunt ʌн, contracto л et н in unam figuram et ɴн, h. e., *ň* nostrum. Caeterum omni ъ et ь caret alphabetum; alias cyrillicum. Jambressichii Lexicon eas figuras omnes exhibet, quam in laudato libello reperio, quarum tu ortum facile divinare poteris. Ѣ certe est Іи, id est і et и contractum, quo quidem rarius utuntur.

Quid ergo inferam? Croatas literas cyrillicas accomodasse pronunciationi suae. Sic quoque Dalmatae. Quo magis Austrum versus habitant populi slavici, eo magis a proprietate pronunciationis septémtrionalis recesserunt. Immo nec aetate Cyrilli Servii, quorum dialectum callebat, omnes aliorum Slavorum sonos expresserant. Nam polonicum ś, ć, ź, non expressit, cujus quidem ratio aliqua dari potest; nam ś polonicum aequivalet сь cyrillico, ć pol. et nostrum et aliorum *ť*, ть, illi enim dentales amant, uti noveris; ź vero est cyrill. зь vix occurreris; sic a *noc*, *dnes* apud nos noční et dnešni derivantur; utique

z in ć pol. et s in ś transire deberet. Croatae discrimen inter ch et cs h. e. pol. ć et cž observant, uti ab illustriss. episcopo Mandich edoctus fui Posonii; retinuerunt igitur saltem aliquid pronunciationis septemtrionalis. Aevo Cyrilli certe l ab ł etiam a Serviis, uti nunc a Polonis, Slovacis et partim a Moravis distinguuntur, distincta fuisse non dubito. Nec hoc discrimen ab eo penitus neglectum fuit; nam in cod. Olomucensi e. g. сильнъ scribitur, quam ob causam, nisi ut л hic tenuius efferatur, quam si ъ sequeretur. Nos Bohemos scis saltem post Fratrum editionem bibliorum l distinxisse ab ł. Hic in Moravia capio hoc discrimen. Alumni enim e districtu Preroviensi et e Silesia Slezáci, slavice loquentes, accuratissime haec duo elementa distinguunt. Immo est hic codex manuscriptus bibliorum in membrana, cujus orthographia in hac re differt ab omnibus aliis, quos unquam vidi, quod ł crassum seu clausum puncto notatum sit: ľuha, ľyffel, daľ etc. His ego minutiis delector, non tamen sine fructu. Video enim, quam multi vere slavici soni, quos antiqui sonabant, desierint esse in usu. Igitur, ut redeam ad cod. nostrum, ita existimo. Literas ъ et ь a Cyrillo inventas ob discrimen durarum et mollium, ut nostri grammatici loqui solent, quas et post labiales, immo dentales locum habere posse, non tantum Russorum, sed et Soraborum pronunciatio in Lusatia nos docet. Neglecto deinde hoc discrimine solum ь apud Dalmatas aliosque mansit, ex quo glagol. ı sine socio aut altero Jery. Hoc posito et discrimine inter i et y, ut Poloni, Russi, Moravi, ex parte et Bohemi olim saltem, constituto, necessarium fuit и destinguere ab alio i; nec aptius signum inveniri potuisse video, quam ъı. Cur autem nunc fere ы scribatur, facilis ratio, quia minus impedita scriptio ductu superiori omisso. Cum enim praeter ъı aliud ы distinctum ab eo non extiterit, scriptoribus praeplacuit ы; nec ullum inde incommodum, quamvis origo τοῦ ы minus clara, cum ь aliud natura sua, solum nempe, exprimat, quam ъ. Eadem est ratio mutationis ѥ in є, eadem оү in ү, quod nunc Russi omisso о frequenter scribunt.

Characteres, quos tui causa misi, nunc remittere poteris, non enim alia delineatione opus est. Caput ultimum Lucae exscripsi et in literis ad d. Zlob. directis misi. Plura accipies, quam primum otium mihi fuerit. Si forte velis paginam integram delineatam e codice, facies me certiorem. Pulcherrimae et antiquissimae lectiones quotidie occurrunt in codice, quas noto omnes. Sed ultra medium nondum processit labor. Socium enim non habeo, qui adsit lateri. Caput Lucae elegi, quia cum Romano, apud cl. Alterum tom. 1. p. 1008, facilior collatio et utilis magis. Errores ab Altero commissos tu ipse deprehendes, e. gr. p. 1010: »i raspeschei omisso *αὐτόν*«; atqui *i* est *αὐτόν*, quod a raspesche sejungendum fuit. Est enim *i* frequens in codd. pro *jego*, aequivaletque nostro jej. Sic vers. 12: »nide omisso i«. Certe hic ниде et инде non ниде scriptum est in manuscripto. Sic vers. 18: emuže, non *ὧδε*, ut vult Alterus, exponendum est, sed *ᾧ* sine *δε*; nam že in *jemuže* pertinet ad pronominis relativi naturam; ut nos Bohemi: jehožto, jemužto, ejus, cui. Vide grammat. slav. verum hos tu naevos facile detexeris.

Lectiones in codice hoc ordine se excipiunt: Hebr. II. 2—10. Matth. II. 24. — Act. XIX, 1—8. Matth. XI, 2—16. Ad Philip. II, 5—11. Luc. X. 38 — fin. et XI, 27—28. 1. Cor. IV, 9—16. Marc. III, 13—19. Matth. X,

5—9. 1 Cor. I, 18—24. Marc. VIII, 34 — et IX, 1. 1 Thess. IV, 13—18. Joh. V, 24—30. 1 Cor. XV, 1—11. Matth. XXVIII. Marc. XVI, 1—8. 9 — fin. Luc. XXIV. 1—12 et 13—35 et 36 — fin. Joh. XX, 1—10, 11—18 et 19 — fin. XXI, 1—14 et 15 — fin. II. Cor. VI, 16—VII, 1. Matth. XI, 27. II Tim. II, 1—10.*) Joh. XV, 17—XVI, 2. Hebr. VII, 26—VIII, 2. Joan. X, 9—16. Gal. III, 23—IV, 5. Marc. V, 24—34. Jac. V, 10—20. Luc. IV, 22—30. 1. Cor. XIV, 20—25. Matth. XXIII—1. Cor. XII, 27—XIII, 8. Matth. X. Ephes. VI, 10—18. Luc. X. Gal. IV, 4—7. Matth. II. Tit. II, 11—III, 7. Matth. III, 13. — fin. (falso inscripta Joanni). Hebr. VIII, 7—17. Luc. II, 22, 40. Act. I, 1—8. Joh. I, 1—17. Act. XIV, 6—18. Joan. VII, 14—30. Act. I, 9—12. Act. II. 1—11. Joh. VII. 37—52, cui mox omissis c. VIII primis versibus seu pericopa de adultera, ut in graecis lectionibus fieri solet, 12 versus subjungitur. Matth. VI, 13 — fin.

De Smotriskii vita tandem reperta tibi gratulor, mihi vero gaudeo. Ut saltem aliquid pro notitia tam praestantium monumentorum rependam tibi, habe libelli titulum et ejus contenta, quem ante paucos dies d. prof. Polaschek ad me adtulit: »Ekphonemata liturgiey greckiey, to iest: To co przy liturgiey kapłan, dyakon y chor w głos tylko spiewaią: ze Mszey S. Bazylego Wielkiego y S. Jana Chryzostoma wyięte: y ięzykiem slawieńskim, a charakterem polskim, z nowym wykładem na ięzyk polski na przeciwnych painach położonym: do tego z sumą rubryk teyże liturgiey, sporządzone, y do druku podane: Tudziesz, *Harmonia* albo krotkie pogodzenie rožnic w obrzędach między Mszą s. rzymską a liturgią grecką: z obiasnieniem obrzędow, y dołożeniem sposobu nabožnego a pożytecznego słuchania Mssy s. tak rzymskiey iako y greckiey: napisane y do druku także podane. Przez W. X. Pachomiusa Ohilewicza s. theol. doktora, zakonu s. Bazylego W. Wikarego generalnego. W Wilnie, leta 1671. 4. usque ad x. Harmonia et expositio incipit a lit. G., missa slavonica graeci ritus ab A usque G. Initium transcribam, ut scias, quomodo Vilnae legantur slavonica.

Błagosłowi Władyko.

Błahosłowenno Cárstwo otca, y syna y swiataho ducha nyni y prisno y wo wiki wikom. Amin.

Mirom Hospodu pomolim sia.

Hospodi pomiluy. E regione est polonica versio. In fine libelli sunt approbationes et facultas. Facultas a Gabriele Kolenda, archiepisc. metropolitano totius Russiae, ord. S. Basilii protoarchimandrita.

Hujus vicarius auctor fuerat. Approbationes vero a 4. S. Jesu theologis, una cum literis p. provincialis S. Jesu ad auctorem.

Nox somnusque me gravant. Parce itaque festinanti. Vale mihique favere perge *Quid de Rossiano opere audis?*

Saluta Viennenses viros, clarissimos, de literis optime meritos, Denisium, Schwandtnerum, Alterum, Zlobitzkyum.

*) Hucusque perveni in conferendo codice, in quo libri, e quibus lectiones desumtae sunt, nominantur quidem, sed sine capitis indicio.

XXXIV.

1788 — v březnu. Durich sděluje své domnění o sv. Methodu a o Moravě, podává zprávu o některých rukopisech, o spisech P. Posileviće a K. Pejkiće, jakož i o staročeském zbytku »o apoštolech« ve dvorní knihovně ve Vídni.

Viennae, Martii 1788.

Dobrowskyo s. Fortunatus s. p. d.

Negas in hodierna Moravia Methodium unquam fuisse aut sedem fixisse, et hujus tuae negationis videris mihi argumentum praetexere Henrici Zdik, epis. Olomucensis, chartam authenticam. Ego (ut nosti me ad asserendum vel negandum morosum esse absque argumentis cl. Ernesti probatis) in hanc opinionis partem jam pronior sum, ut dicam: Methodium, Cyrilli fratrem, in hodierna Moravia sedem episcopalem nunquam fixisse. Tota hujus persuasionis popularis ratio de hodierna Moravia ex eodem nomine orta mihi videtur, cujus et provincia est, nimirum hodierna Moravia, et quo identidem civitas insignita est, in qua S. Sabas, I. archiepiscopus Pechiensis, ex duodecim per omnes paternarum ditionum districtus constitutis episcopis, duodecimum instituit. MSS., cujus copiam mihi fecit cl. Denisius, hac inscriptione insignitum: »Colloquia XIII de statu regni et religionis Serviae ab exordio ad finem, sive a seculo VII. ad XV. Auctore Francisco Xav. e L. B. de Pejacsevich a Verocza, abbate infulato SS. Trinitatis de Petri Varadino, SS. Th. doctore in A. ac CC. univ. Vienn. et Graecensi, ejusdemque olim cancellario et directore caes. regio. Opus posthumum [quod proxime edetur a possessore defuncti auctoris amico, praeposito nescio ubi in Hungaria. Auctor et modernus possessor Soc. J. fuerunt addicti.] Colloquio V$^{o.}$ ex MSS. servico ita habet: Primus Pechiae archiepiscopus Sabas per omnes paternarum ditionum districtus ecclesiis praefecit episcopos, viros lectissimos, numero 12. Primum in Chulmia &c., 12um instituit in Moraviza in aede S. Archillii.« Le Quieno haec 12^{a} sedes est Moraviae in aede S. Achillei. Habes locum hodiernae provinciae synonymum. Non alibi locorum Methodium sedem epis. fixisse inducor annalibus Russorum; exemplar Niconis intellige edit. Petrop. 1767: Руская лѣтопись по Никонову списку, parte I^{a} pag. 28.: »**Кратажъ его святаго Мефодия князь Коцелъ постави Епископа в Испании во граде Моравс, еже есть Илирикъ**; idem mox ex alio exemplo annal. identidem pag. 26, hoc solo discrimine: **еже есть Илирїцѣ**. Dicitur quoque in iisdem annal. Russ. de Methodio: **настолнику Андроникову**. Sed haec omnia adhuc discussione egent; interim accipe pilum, quem duxi. Quod ad situm loci civitatis Moravae ...u Moraviae attinet, certum est, seculo XIII fuisse in archiepiscopatu Pechi...si, qui sub Joanichio etiam jure patriarchali provehebatur. Patriarchatus ...tem Pechiensis fines ex Azbukwidario, aeneis formis jussu Arsenii IV^{i} (qui 1740 egressus Pechia in ditiones Austriacas Carloviczensi aut verius Cruse...ensi in Syrmio metropolitae sede proventuque donatus est] excuso, hosce ...es mihi adnotavi: **Архиепископа Пекскагѡ, всеаже Сербїи, и Болгарїи, Далмацїи, ...сны, západнагѡ Поморїа ѡбои поль Дунаа и цѣлагѡ Іллѵрїка Патрїархи.** Sed jam de hoc patriarchatu ex Asseman. plura non ignoras.

Forsan adhuc memoria tenes illa verba sub finem libelli Bibl. Nostitzianae: **сказание** &c de S. Cyrillo auctore alphab. slavonici, tempore — **кра́тїца кназа мора́вска. и҆ костела кнѕа балтиньска**. Mihi **Костел**ʿ idem cum **Ковел**ʿ est, nosti enim illam in nominibus propriis occurrentem diversitatem. Non est necesse, ut te moneam, quid in illa argumenti pericopa lateat.

Quod ad dubium mihi subortum ex figura *τοῦ* **ы** attinet, nolim ita accipias, ut de antiquitate codicis omnino dubitem ob hanc constantem scribendi formam a scriptore observatam; sed dubito philosophice ad assequendam veritatem: recte enim commemini istius exempli in cod. 5. Romano, nimirum **слышать**; etiam recordor me tibi scripsisse, eandem figuram in edito Psalterio Venetiis a me repertam fuisse; sed haec sunt duo tantum singularia exempla, tuus codex primus et adhuc unicus in hoc scribendi genere, ad cujus antiquitatem asseverandam, si alia argumenta fidei historico-criticae accedant, non dubitabo id omnino propugnare, in quod ex variis causis jam in alterum annum propensior sum, antiquitatem *τοῦ* **ы** ex Cyrilli tempore repetendam. Eadem ratione fieri potuit, ut a Dalmatis sec. jam XIII usus **ъ** et **ь** seu distinctio inter illa signa desineret, qua videmus a Bosnensibus et Bulgaris illa penitus negligi; ut equidem ego in duobus opusculis editis observavi, quorum prior est: **Цвиет ѿ крипости духовни и тилесние** &c. **по фра Павлу Посиловиħу из Гламоча, Бискупу Скрадинскому, Реда С҃тога ѡ҃ца франческа. у Бнецие на. ҂ахмз. По Николи Пеццану** &c. in forma min.

In epist. nuncup. Ferdinando IV., Boh. et Hung. regi, latine inscripta auctor ita subscripsit: Datum Venetiis, die 25. Januarii 1647. Fr. Paulus Posilovich de Bosna Argentina, episcopus Scardonensis. Alterum opusculum hanc inscriptionem habet: **Ȥарцало истине мед царкве источне и ȥападње, од дон Карсту Пеикиħа од ħипровац, каноника пеħуиског. у Бнецие на ҂аѱѕ** (1716) **по Николи Пеццану** &c. in 8° minori.

Habes itaque duos testes: priorem de Bosna Arg., alterum Christophorum Peichich, Bulgarum, utriusque opus in Caes. Bibl. servatur anno superiore ex monasterio Farrensi allatum. Minutiae, quas tu vocas, mihi gratissimae fuerunt: facis enim in literis slavonicis id, quod Quintilianus in latinis fieri praecepit l. I. 5.; pro his aeque ac pro apographo tua manu exarato summas habeo gratias: contuli illud cum editione Ostrogiensi mirorque vehementer, quod in tam paucis differant. Sed ut ad methodum scribendi Bulgarorum Bosnensiumque redeam, non omnia assequor, quae apud varios scriptores alphabeti invenio de **ѫ, ꙗ, ѧ̑, ѩ, ѫ, ѧ**. apud Divkovichium in vita S^ae^ Catharinae et libello precatorio: **створителъ, опкупителъ** &c. Aliquid ex Italorum orthographia ad rem slavonicam translata mihi olent; item videntur mihi saepius confundi **ѫ** cum **ѧ**. Tu mihi clariora produc! Habesne ex nostris bohemicis MSS^tis^ quoddam exemplum excerptum, ubi pro cyrillico **ч** sit chz, pro **ж**. s?

zzlyssal zzem senu plachziucze
Dyetyetem uzzlauyucze

Quid censes de hac pericopa fragmenti membr. in 4°, quod interne tegit folium primum chartacei codicis MSS. theol. Bibl. Caes. CCCCLXV.

estque in duas columnas ex utraque parte eleganter scriptas divisum. Sed jam coarctor ad claudendam epistolam. Parce serius respondenti, male valenti ex destillatione diuturna catarrhi amico. Recipe tuos characteres; ama te sincere amantem et vale melius. De Rossiano exemplo necdum quidquam accepit bibliopola.

XXXV.

1788 — 1. května. Dobrovský objasňuje své stanovisko o Moravě a o době sv. Methoda, podává mimo jiné zprávu o některých hláskách jihoslovanských a o knihovně Mikulovské.

Die 1. Maji 1788.

Fortunato s. Dobrowsky s. p.

Pro transmisso opere Rossiano ago gratias petoque, ut interim pecuniam pro IV. volum. bibliopolae solvas, ne opus sit, tam longo tempore expectare IV. volumen, cujus me praecipue ob appendicem, in qua lectiones Pragensium codicum locum habebunt, desiderium tenet. Absolutis slavicis poteris tu aliquando redire ad hebraica et supplere ex codd. Vindob., quae operi Rossiano deerunt. Deerunt autem certe plurima, nam ille codicum collationes integras, a capite ad calcem, non exhibet, sed obiter, quandoque deligentius, saepe non nisi in locis selectis inspectos. Neque enim unius hominis labori tanto sufficere posset. Sed jam nostra tractemus.

Etsi concedam aliquot seculis post Methodium in Moraviza sedisse episcopos, tamen auctoritate annalium a te prolatorum non moveor, ut credam ibi sedem fixam tenuisse Methodium. Regionarium enim episcopum, sine sede fixa, eum fuisse longe certius existimo. *Civitatem Moravae* non habet *Nestor,* sed tantum in *Moravia*, regionem puto, constitutum episcopum a Kozelo; praeerat autem Kozel Slavis in hodierna Slavonia et parte Croatiae, et quidem in sede seu loco S. Andronici, quem e 70 discipulis fuisse autumat. *Moravia* enim sumitur hic late pro tota Pannonia, pro slavicis regionibus omnibus ad Danubium; immo pro ipsa etiam Bulgaria. Constantinus Porphyrogeneta hodiernam Slavoniam jam Moraviae regno comprehensam dixit. Sed haec non evincunt, illos de hodierna Moravia locutos fuisse. Defectu fixorum limitum, nominum generalium distinctione a specialibus neglecta, chartarum geographicarum penuria factum fuit, ut tot regiones confunderentur, maxime ab iis, qui remotiores erant. Germanici annales in his figendis certe accuratiores fuerunt. Partem antiquae Moraviae, cui Swatoplucus praeerat, respexisse Methodium ut metropolitam, nimirum episcopatum Neutriensem, recens erectum in neophita gente, non abnuo. Solum hoc urgeo, hodiernam Moraviam et partem Ungariae *semper* etiam vivente Methodio paruisse Passaviensibus seu Laureacensibus archiepiscopis, ab eo jam tempore, quo primum Moravi occidentaliores ad Christiana sacra accesserunt, baptizante eos Richario.

Annales, quos citas, mendosos esse vel inde patet, quod Hispaniam cum Pannonia confuderint. Pro **в испанїи** enim certe legendum est **в панонї**. Tanta est ignorantia hominum remotius scribentium. Vides jam a nostris

omnia tracta fuisse ad nos, ab aliis alio. Nempe Moravia late sumta confusa fuit cum Moravia nostra ab istis, et Moravia, regionis appellatio, non fuit distincta a civitate Morave seu Moravitza ab his. Ceterum mihi grata sunt, quaecumque tu mecum, sive ut assumam ut vera, sive ut discutiam ut dubia, communicas.

De Rastislao certum est, nihil ei negotii fuisse cum Methodio; Swatoplucus nominandus fuit. De Kostelo, Kozelo, Koczelo, quem Anonymus de Convers. Carant. *Hezilonem* vocat, recte sensisti.

Antiquitatem cod. slav. nostri historicis argumentis assertam cupis. Praestarem id, si indicia suppeterent. Ex involucro, asseribus, compactura eum ad seculum XIII refero. Habe et illud indicium: in calendario ad 21. Septembris legitur martyr *Feodorus*, de quo inspice, quae ad manum tibi sunt, monumenta alia. Saltem colliges, aetatem codicis esse infra tempus hujus martyris. Ex sanctorum festis, si nobis tempora satis constarent, argumentum duci posset. Sed in historia sanctorum critica vix reperies quidquam apud Russos, unde certi quid haurias. His interim contentus esto. De **ꙑ** antiquiori quam **ы** mihi nullum dubium est. De **ы** seu **ꙑ**, opposito τῷ **и** multo minus, cum usque hodie discrimen pronunciationis horum elementorum tam manifestum sit apud Russos, Polonos, Moravos quosdam et olim et forte adhuc apud Bohemos. Ab hac pronunciatione meridionales nunc jam deflexisse, nihil miror. Aetate Cyrilli certe adhuc viguit vigetque fortasse in pagis, montanis adhuc, quamvis a scriptoribus neglectum fuerit. Ita et sentio de **ѧ**, pro quo nunc fere amant *e* etc. Nosti Slovacos *ta* pro tě nostro efferre, a quibusdam Bohemis jasen dici pro jesen, a Moravis *a* in omnibus femininis pro nostro tenuiori *e*, ut nauza pro nauze etc. Nosti in manuscriptis legi jastřáb pro jestřáb etc.

Cl. Monse te salutat tibique, me monitore, mittet 2dam partem hist. polit. Moraviae, cui praefixa est dissert. primus in Moravia partus, quem enixus sum, de antiquis Slavorum sedibus, de Chroatis e Moravia egressis, cujus tu assertiones discuties meque aut refelles aut sequeris. Praestitissem, si vacasset otium, plura. Miratus es parum differre cod. nostrum ab ed. Ostrogiensi. Ego vero mihi gratulor de eo. Nam Ostrogiensis editio ad fidem cod. antiqui expressa est. Sed quae misi per cl. Zlobickyum, certe plures differentias continebunt. De singularibus lectionibus alias.

De ћ haec habe ex libello catechetico Tyrnaviae impresso in gratiam Croatarum.

1. sumitur pro *ch* seu ч seu potius polonico ć, ex nostro ť orto, uti **чистоћа**, latinis apud Jambressich literis scribitur: chisztocha. Discrimen autem inter ch et cs observatum fuit in vita S. Rosaliae carmine illyrico eleganti conscripta, quae Viennae prodiit; me edocuit episcopus *Mandich* ad consilium regium assessor, dum an. 1784 Posonii fuissem. Alias non servatur discrimen hoc. Estque

2do ђ — č blaesius, tenuius, mollius, uti ita dicam, italico g simillimum, inde figuram hanc *Gyerw* appellavit Jambressich. **туђи**, alienus, lat. lit. *tugyi* scribitur, **анђел** pro angel, odsutenie pro odszuђenye, est hic pro pol. dź—d

nempe transit in sibilantem. Maxime autem pro sibilo literae *t* accipitur. Praeter primum exemplum habe et alia: obraћenie, lat. obratenye, quod alii obrachenye scribunt; poszveћenie, poszvethenye apud *Jambressich*. In his fere locum habet, in quibus slav. щ et nos Bohemi c amamus: pomoћ pro pomoщ seu pomoc, alias pomoch, plaчћи, lat. plachuchi — vides autem ћ necessario differre a ч, nempe pro щ seu c nostro poni et efferri ut pol. ć. Alias ut g sibilans — in poroђenie pro: porogyenye — inde factum est, ut ante л scribatur ђ pro italico g; nam vim italici gn, gl nosti. Reliquae figurae mihi minus notae. Attendam tamen, si occurrerint. Angelus Rocca in alphab. serviano figuram ћ exhibet ultimo loco: ћа—cchia, cch. In alphab. armeno est ջ tsa. Maurus Orbinus, il regno de gli slavi 1601. fol. p. 47. inter cyrillicas post ч ciaru (lege čarw) habet ћ *chieu*, neglecta nimirum subtiliori distinctione. Melius isti, qui *gyerw* appellant.

Estne tibi nota Psalterii paraphrasis illyrica versibus *exarata* Ignatii Gjorgi, abbatis Melitensis, Venetiis 1729. 4° pagg. DX. Habet literaria quaedam in praefat. et ad finem indiculum vocum vulgo non usitatarum, sed in carminibus illyricis occurrentium. Excellunt enim, ut nosti, Dalmatae alios Slavos carminum elegantia et copia.

Sunt mihi alph. varia e typogr. Congre. de propag. fide circa an. 1635 edita, inter quae coptum sine anno. In hoc ϣ, scei, Hebraeorum שׁ, me inducit, ut credam Cyrillo notum fuisse alphabetum coptum. Hanc enim figuram assumens duas efformavit: ш et щ, quod postremum Russi etiam щ scribunt. Nec opus est ad hebraicas literas refugere. Ex ϫ pariter, interjecta lineola ж slavicum formatum mihi probabile est. Giangia, sono gi, vocatur. Monetur enim *Giangia* proferri ut j, jota hispan. ut hijo. Puto j. hisp. gallico simile, non enim mihi ad manus est grammatica hispan. Veneror ego nostrum philosophum magis ac magis, quo certius mihi persuadeo, eum ob literaturae omnis generis praestantiam nomen hoc meruisse. Reliquas coptas literas e graeco sumtas, tibi notum est; quare has potius Cyrillo inspectas, quam hebraicas censeo. Neque enim hebraicum צ ץ in slavonicum alph. translatum est, sed armenum. Neque ullum aliud elementum.

Misi tibi catalogum librorum russicorum, quem servabis, donec eum repetiero. Cl. Zlobitzky interroga.

In Nicolsburgensi bibl. illustrissimi princ. de Lichtenstein extant cod. MS. hebraici, graeci, boh., germ., lat., aliquot *ignoti idiomatis*, quos ego lubens investigabo; graecos fortasse posset, praeter Patres etiam biblia gr. ibi servantur, cl. d. Alterus, cui me commendabis, petere. Usum forte concederet illustr. princeps. Si in feriis eo venero, sumam aliquot, si concessi fuerint, mecum, ut habeam per hyemem, quae excutiam. Codices graeci, bone Deus, quanta raritas apud nos, et quam pauci, qui cimelia haec aestimare sciant. Tanto tempore ibi sepulta jacent pulcherrima monumenta, quae si vini sapore delectarent palatum, jam produxisset Voigtius, qui tam longo tempore Nicolsburgi moratus est. Patres Piarum Scholarum, bone Deus, et codices in pulveribus putrescentes; quam grande peccatum. Sed jam stomachus refici vult et tempus me avocat. Neque jam habeo, quae te moneam, nisi hoc unum

et semper idem, ne amantis te obliviscaris, meque redames pergasque, ut cepisti.

Tuus.

Cl. Schwandtnero vix notum fuerit Breitkopfii opus de initiis typograph., multa enim habet de antiquitate chartae lineae. Ego ipse chartam an. 1309 in Bibl. Capit. Prag. vidi. Sed quam ille produxit, antiquior est.

XXXVI.

1788 — 7. září. Dobrovský zmiňuje se o své cestě do Čech, jakož i o zbytku staročeském »o apoštolech«, podává zprávu o Truberově žaltáři z roku 1566, o slovinských vydáních evangelií a epištol z l. 1612 a 1715, o Novém zákoně z r. 1771 a některých jiných spisech.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. plurimam.

Nescio, quid causae sit, me tamdiu expectantem nullum a te responsum accipere. Nollem, te morbo excusares. Minus aegre ferrem, si laboribus nimiis occupato otium tibi deesset. Sperare enim liceret, me propediem multa lecturum a te, in lucem protrusa publicam. Sed ea res me anxium tenet, cum nesciam, utrum reciperis literas meas posteriores, utrum etiam Pericopam slavicam, catalogum russicum, quem per dom Zlob. miseram. Jam igitur compensabis ista diligentia tua.

Bohemiam ingressus male habui a nimio calore itinerisque molestiis; domum redii aeger vixque per tot hebdomades convalui. Bilis et hepar me cruciabant stomachumque adhuc debilitant. Sed mittamus ista, nostra, quae animum alant oblectentque, tractemus. Versus illos boh., quos detexisti, tuto ad sec. XIII. referre poteris. Procopii vita ad hanc aetatem proxime accedit. Participium in ucy post č, pro ſcy istam aetatem sapit, uti alia. Si *plures* versiculos communicaveris, ex Bohemario ab an. 1309 et Clenii Rozcochani Vocabulario sec. XIV. Ernesti aevo scripto, loca conferre potero indeque aetatem certius eruere.

In bibliotheca lycei Olomuc. extat *Psalterium* carniolicum a *Trubero* versum, Tibingae M. D. LXVI. impressum, hoc titulo: Ta celi Psalter Dauidou . . . Sdai peruizh vta Slovenski jesik istolmazhen, . . . skusi *Primosha Truberja Crainza.* Der gantz Psalter, in die Windische Sprach zum erstenmal verdolmetschet vnd mit kurzen verstendigen Argumenten vnd Scholien erklärt. V TIBINGI M. D. LXVI. in 8 minori 264 foliorum. Praefatio germanica inscripta est dominis, comitibus, baronibus, civibus in Carniolia, inferiori Stiria et Carinthia, comitatu Görtz, Marchia Vinidorum (Windisch March), Metlinga, Karsto (am Karst) et in Histria — confessioni Augustanae addictis — labores suos pro fide christiana exponens aliaque — praefatio slavonica seu carniolica est inscripta: *vernim Crainzom inu Slovenom* — 11 annos se impendisse ait huic versioni — se non e germanicis, (Lutheri versione) sed maxime e latinis interpretibus versionem hanc adornasse. Sequitur dein fol. 1 usque ad 14 praefatio in Psalterium lingua carniolica, de utilitate hujus libri et simil. Nimis presse, ultra quam oportuisset, sequitur

in hac versione *idioma vulgare* carniolicum, ut *du* pro *gdu* (kto), mui, tui, sui pro moj, tvoj, svoj, ut in aliis carniol. libris lego. Articulos ta, ta, tu (ť, ta, to) et en, ein, substantivis ubique Germanorum more praeponit, quod etiam Lusatae faciunt. In Evangeliis carniolicis ad slavonicum idioma genuinum propius acceditur, ut mox dicam.

Cumque auctor sit Truberus orthographiae carniolicae, monendum est, adhuc in illius libris imperfectam esse — 1mo, quia accentibus non signavit vocales, 2do quod *S* a *s* (ſ a z) et *Sh* a *sh* (ſſ a ž) nondum distinxerit, quod tamen serius a Bohorizhio factum et in bibliis Wittebergensibus anni 1584, quae nunc cl. *Ungar* comparavit, et hic Olomucii in bibl. lycei et Cremsirii, licet posteriora haec manca, in biblioth. archiepiscopali asservantur, aliisque libris carniolicis observatum fuit. Post acatholicorum labores et conatus sequuntur jam studia, quamvis exigua, Catholicorum.

Jussu Thomae Crönii, episcopi Labacensis, qui 30 et amplius annis in Lutheri haeresi exstirpanda laboravit, prodiit 1ma Evangeliorum et Epistolarum per decursum anni legi solitarum editio, in quam nuper in bibl. lycei incidi: Evangelia inu lystvvi na vſe nedéle, inu jmenite prasnike etc. — s' novizh is *Bukovskiga* na slovénſki jesik sveſtu prelosheni. (Bukovski est latinus) M. DC. XII. 8. 136 fol. et 43 festivalium. Ultima pag. exhibentur insignia Carnioliae et infra carniolice legitur: impressum Grätzii Germanorum per Georgium Widmansteter, impensis principis et domini Thomae, Labacensis episcopi, anno Domini M. DC. XIII. Erat is 9^{nus} episcopus cognomento Crönius.

Est haec editio satis elegans, vocales accentibus notatae, literae S et s, Sh et sh distinctae, — articuli definiti, ta, tu omissi, excepto *en*, ein Mensch, en zhlovik, — ut solent in hac re imitari Germanos.

2da prodiit sub episcopo *Josepho*, uti e praefatione 3^{tiae} editionis disco; hanc tertiam possidet dn. *Polaschek*, prof. l. graecae et proxime futurus vicerector semin. Olom. ac socius meus, eodem fere titulo, quo 1ma: Evangelia inu lystuvi na vſe nedéle etc. — is latinskiga na slovénski jesik svejſtu prelosheni, *inu s'nóvizh poprávleni.* Cum licentia principis et domini episcopi Francisci Caroli, 15^{ti} episcopi Labacensis (erat is e Comitibus de Kaunitz): haec habentur carniolice. Quae sequuntur latine: Labaci, formis Joan. Georgii Mayr, inclytae provinciae Carnioliae typogr. et bibliopolae, anno M. DCC. XV. 8. 416 pagg. Typographus hic, a quo habemus grammaticam carniolicam, excudit namque Bohorizhianam non nominato auctore, circa annum 1712, nisi fallor, — vidi eam in biblioth. Pragensi — librum inscripsit episcopo Francisco *Carolo* et canonicis eccles. Labacensis. Ex praemonitione ad lectorem observa: advertere — te volo vix ullum in slavonica lingua evangelium hucusque in lucem prodiisse, quod pari diligentia a plurimis, quibus scatebat, tum *idiomatis* tum orthographiae mendis, imo plurium textuum mutilatione et omissione expurgatum fuisset, quam hoc praesens; — notat dein paucula de accentu acuto et gravi, quo e insigniri solet ut tergam: délamo, — de sede accentus, de distinctione ſ et s, ſh et sh — reliqua e grammatica haurienda esse monet, nuper typis evulgata. A pag. 363 adjectae sunt cantiones catecheticae et catechismus.

P. *Marci*, Augustiniani, opera noveris, uti et Gutsmanni, qui has regiones qua(m) missionarius peragravit, grammaticam. Anno 1783 vel 84 prodiit Novum Testamentum integrum jussu Herbersteinii, quod Pragae inspexi; — usi sunt duo illi viri, quibus negotium demandatum fuerat, etiam versione cyrillica — originali textu etc.

Versionem slavonicam, quae Hallae prodiit, velim, ut examines; de qua nuper ad me amicus in literis suis scripserat. Titulus ei est: Nouvi zákon zdai oprvics z gr. — na ſztari ſzlovenſzki jezik obrnjeni po Stevan Küzmicſi Surdánſzkom v Halli Saxonskoi 1771. 8. Certe a Protestantibus adornata est h. versio, sed pro Russisne, an pro Illyris?

Libellus, qui nuper prodiit, usui esse poterit, ea de causa titulum tibi adscribam: Beiträge zur Lebensgeschichte des Patriarchen Nikon aus russischen Nachrichten von J. B. Riga bei Hartknoch 1788. 8. In appendice aliqua habentur de librorum liturgicorum corruptionibus. Proxime ad te scribet amicus quidam meus ex Hungaria, quem tibi jam commendavi, petetque a te lexidion sacrum, quod Pragae collegisti. Sua, quae habet, slavica, est enim istarum rerum curiosus amator, lubens tecum communicabit.

Nolim obliviscaris, ut bibliopola Haselmayer mihi IV[tum] volumen Rossianum procuret. Pecuniam mittam, quando et per quem volueris. Mitterem nunc, si scirem, te certo recepturum literas istas.

Dissertatiuncula mea arridetne tibi, quam tomulo II. cl. de Monse praemisit? Exemplar utique nactus es per dom. Zlob. Putasne sklo, stklo *glessum* seu succinum denotasse? Latet in latino succino — nam *s k n* et *s k l* literae radicales sunt — pervenit ad Aegyptios *Sakal,* quod idem est.

Nummos Olomucii ante annos aliquot, dum in suburbio domus dn. Corvini, medici, dirueretur, repertos quatuor nuper accepi; argentei sunt imperatorum Tiberii, duorum Trajanorum et Domitiani. In Bohemia haec monumenta non habemus.

Ex Ungaria nuper dn. Cerroni, solertissimus rerum bohemicarum scrutator, attulit codicem membranaceum elegantissimum, qui praeter Caroli IV. Jura boh., Herbarium, Pulkawam et Dalemilum continet.

Dn. Zlobiczkyo nominabis libellum: Versuch über die ältere Geschichte des fränkischen Kreises von Joh. Gottl. Hentze. Erstes Stück, Beyreuth 1788. 8. Slavica mera continet, praecipue pag. 45 tibi notanda erit, ob notam subjectam.

Si plura specimina var. lect. e MS. slavico desideras, scribe, utrum his jam indigeas. Nam ego, nisi urgeas, multa differre soleo, sum enim obrutus quandoque negotiis domesticis.

In Joh. Hevmanni opusculis, quae Norimbergae 1747. in 4. prodiere, specimen bibliothecae glotticae (sub. X, pag. 480.) extat. Praeter indicem generalem habentur etiam speciales et quidem pag. 601—609: *Index slavicus et hungaricus.* Conjunxit hung. cum slavicis ex ignorantia. Sed notatu dignissima in hoc indice glottico reperies. Immo optandum esset, ut hic augeretur, corrigeretur et iterum, tuis opusculis forte, insereretur. Multa certe habet tibi notissima, verum nonnulla tamen, quae mihi saltem incognita fuere. *Consultatio*

de conscribenda bibliotheca slavonica me valde curiosum reddidit, sed Parerga Goettingensia mihi non sunt praesto. Commenda me Viennensibus: cl. Denisio, Schwandtnero, Altero. Tu fac, ut valeas et vigeas meque ames.

Hradisstii ad Olomucium die 7. Septemb. an. 1788.

XXXVII.

1788 — 4. listopadu. Dobrovský zmiňuje se o abecedě české z počátku XV. stol., o bibli Olomoucké a o některých pravopisných zvláštnostech jejích, o knížce Klatovského z r. 1576, podává některé jiné literární zprávy a připojuje ukázky z rukopisu Olomouckého, rukopisu Cerroniho a z biblí Kutnohorské.

Die 4. Novembris 1788.

Fortunato suo salutem plurimam Dobrowsky.

Quamvis tibi gratuler de messe copiosa, quae tibi obtigit in Bibl. Pal., magis tamen gaudeo de valitudine tua, quam stabilem et diuturnam fore spero ac cupio.

Alphabeto, cujus formam transscribere non gravatus es, mire delectatus sum. Miror sane non nisi literarum *lidi, nás, on, pokoj* nomina e cyrillicis assumta, cum mihi verisimillimum sit, alphabeti hujus auctores fuisse monachos Slavos in Emaus aut aliquem, qui cum iis familiarius conversatus sit. Ab iis enim bohemica fuisse tractata, cum initio sec. XV. pauci e Croatis jam superessent, nosti. Extat enim monumentum bibliorum bohem. ab iis literis glagoliticis descriptorum an. 1416. Conjecturam hanc meam confirmat nomen literae i *ili*. Hoc enim croaticum est, quod ideo assumtum fuit, quia lingua bohemica caret voce, quae ab *i* puro (sine j praejecto) inchoaretur. Slavus Ungariae aut Moravus, si auctor fuisset, facile reperisset vocabula ab i incipientia, uti *istý, iný* pro jistý, jiný. Hoc ergo vocabulo *ili* auctores se prodidere. Nec sane sumere licet, *ili* Bohemis antiquis notum fuisse, cum hujus aevi et paulo superioris monumenta non pauca supersint, in quibus certe *ili* desideres.

Hoc etiam monendum est, codices optimos non esse, etiam post hanc aetatem, exaratos ad regulas hujus alphabeti. Quisque enim scriba orthographiae suae auctor fuit, non facile alterius imitator. Unum tamen codicem MS. membranaceum bibliorum bibl. lycei Olomuc., qui olim ad Lippaeos barones in Moravia pertinebat, detexi, in quo saltem discrimen inter l et l̇ (appicto superne puncto fere quadrato) per omnes libros observatum est. Jam enim alias monui, Moravos quosdam pronunciatione sola l et *ł* discernere, uti Polonos. Hinc factum est, ut Fratres Bohemi primi discrimen literarum l et *ł* inveherent, quod a Bohemis omnibus ante Fratrum bibliorum editionem Kralicensem neglectum fuit. s, ſ et ṡ, ẛ, in multis codd. MS. distingui omnino nosti. In hoc, de quo nunc ago, cod. etiam d, t, n punctis notantur ante i, quod et in aliis Pragensibus jam observavi. Inter v et ƀ discrimen nullum uspiam reperi; estque mera subtilitas grammaticuli istius; nam in Codd. v jam u, jam w, sine discrimine, valet. Quod ch ad finem rejecerit, non puto in hoc auctorem imitari voluisse Graecos, sed factum

id censeo, quod ei commodior locus, utpote literae compositae, assigna[illegible] vix potuerit. Fecit hoc etiam *Andreas Klatowský,* civis Veteropragensis, [illegible] libello Pragae apud Melantrichum in 8. an 1578, seu ut habet pagina ulti[illegible] 1577 impresso: Knijžka w Cžeſkém a Německém Jazyku ſložená, kterak [illegible] Cžech německy a Němec cžeſky čijſti, pſáti y mluwiti, včiti ſe měl. Ei[illegible] Büchlein in Behemischer und deutscher Sprach, wie etc. Nam hic post [illegible] ž fol. VIII. habet ch, post hanc alias compositas: ſk, ſl, ſſk, ſſl. Et pa[illegible] versa hujus folii alphabetum integrum iterum exhibet hoc ordine, qui a[illegible] antiquioris alph. ordinem proxime accedit: A á a be ce ċe cže de die dě e [illegible] ef ge ha i ij ka el eł em en eň o pe qu er eř erž ſ es eſſ eš te tě v u vw i[illegible] ix y zet žeť zieť cha. Folii VIII pagina prima penes d exhibet ď, penes m—[illegible] —m̃ (quod frequens est in bibliis Kuttenberg. anni 1489. uti m̃el), penes n—[illegible] —ň, penes t—ť, reliqua uti solent alias.

Vides igitur hunc morem diu in scholis retentum fuisse; utrum Kla-[illegible] towský hoc ordine didicerit literas, an suopte ingenio alium elegerit, qui[illegible] divinet? Natura certe id postulare videtur, quin opus sit, ad imitatione[illegible] Graecorum, quorum elementa fortassis vix cognita ejus aetatis hominibu[illegible] fuerunt. Tu tamen senties, quod libuerit — sunt enim judicia libera. Inte[illegible] exempla pronunciationis, quorum plura adfert Klatowský, non nisi *celo, diedi*[illegible], *niekdy, tielo* occurrunt, quae ad nomina alphab. antiqui sive accedunt, sive pror-[illegible] sus cum iis conveniunt. Fol. XII pag. versa iterum literarum discrime[illegible] ordine alphabetico exhibetur, iterumque *cha* finem facit.

Discrimen inter l et ł nemo unquam clarius docuit, quam Andreas hi[illegible], ut adeo dubium non sit, et a Bohemis in pronunciando observatum fuisse[illegible], quamvis in scribendo neglectum fuerit, uti fere ď, ť, ň in fine in libris im-[illegible] pressis antiquioribus neglecta fuere nonnunquam.

Melius in altero exemplari kſſil pro *xil*, nam *kſſil* est idem, quod *ex*-[illegible] *spiravit.* Polonorum kſzyk, sibilus, aspiratio literae apud grammaticos, kſzykam [illegible], fut. kſzyknę, ziſschen, gallice siffler, sibilare. Onomatopoëticum esse sonu[illegible] ipse manifestat, uti ſyčeti, apud Croatas *sibilo* est *pſzikam, pſzichim,* (leg[illegible] pſykam, pſyčím). Non tamen reperio vocem kſſíti in supplementis meis lexico-[illegible] graphicis, neque kſýti.

Idiotismum *to vies* saepius me legisse memini, non occurrit tamen ex-[illegible] emplum, quod possim adducere. Usurpari autem pro *nempe, nimirum*, h. e[illegible] certum omnino est.

Hexametri versus mihi multum placent, quod primi sint, quos detegere[illegible] hactenus licuit. Nihilominus versiculis illis, quos nuper indicasti, magis trahor[illegible] et delector, quia id genus scriptionis antiquissimum esse censeo, uti apud [illegible] omnes gentes versus antiquitate prosam superant. Judica, quaeso, quid his [illegible] versiculis describatur, nam et mihi collectio sat ampla suppetit, ut videam, [illegible] num argumentum simile aut idem plane non tractetur in meis, quae collegi, [illegible] fragmentis.

Quod de Cyrillo adfers, nil aliud probat, quam sec. XIV — ad finem — a nostris fuisse cultos hos Patronos, quod e lectionibus sec. XIV Breviarii Olomuc. jam mihi constabat. Innotuere nimirum nobis per Slavos, quos Ca-

olus IV. ad Bohemiam adduxerat in monast. Slovanorum, uti nosti. Sunt iutem, ut obiter moneam, lect. Olomuc. de verbo desumtae e Christanni uppostitii vita S. Wenceslai, quae erroribus tota quanta scatet. Nunc alia labo pro iis, quae tam laute apposuisti, quamvis minus exquisita.

In MS. Cerroniano membranaceo — inter alia — post jura antiqua Boh. :ap. XIII. Danielis, ut sit documento judicibus, exaratum est. Contuli id cum :dit. Kuttenb. 1489, quia ad manus erat, et adverti, quae alias semper ob- ervare licuit:

Imperfecta tempora (formas nempe in achu, ffe) in praeterita perfecta nutata, vocabula saepe alia (synonyma) substituta, duales numeros in plurales aepissime (non tamen ubique) conversos. Confer, quaeso, versiculos 36, 37, 38, 39, quos hic e Cerroniano et manuscripto lycei descripsi, cum bibliis Strakianis, ut tandem de recensionibus bohem. varii aevi certi quid definire ossimus; mihique, si otium fuerit, aliquando transmitte. Vix enim caput llum est, in quo tot plurales numeri occurrant, et quidem mascul. et femin. generis, tam in nominibus, quam verbis.

Dn. Ribay, qui rebus slavicis summopere delectatur, ad te scripserat, iec tamen responsum tulit. Excusavi te ob infirmam valetudinem. Nuper lle cod. slavicum 4. Evangeliorum in biblioth. Pestinensi detexerat, de quo roxime.

Novum Testam. slavonicum Hallae impressum, si volueris, ad te mittet; st autem dialecto carniolica scriptum. In comitatu Simigiensi (Schömeger) st Carniolorum colonia lutheranae sectae addicta. In horum usum Novum stud Testamentum confectum est. Nollem silentio haec transires in literatura ua slavica. Cl. Michaelis nuper scripsi Alterumque defendi; injuriam certe ecit diligenti viro huic in aliquibus. Vide p. V^am^ Bibl. Oriental. novae. Num catalogum russicum acceperis, iterum te quaero, quem tot ante menses cl. Zlob. transmisi. Salutatos velim viros doctissimos ac praestantissimos omnes, quorum alloquio in Bibl. Caesar. tibi frui licet. Tu mihi fave te impense amanti et vale, quam optime. Ego nunc valeo.

Pecuniam, quam debeo, mittam proxime.

(Na zvláštním listě přidáno:)

Danielis c. XIII. sive ut est in manuscripto lycei XIIII.

V. 36. MS. lycei Olomuc.:	MS. Cerronianum:	Bibl. Kuttenb.:
I vecefta fudci. Kdiž fwie chodila pofadu fama. vefla geft tato fedwiema dieuecžkama. y zawřiela geft dweřie fadoue. y puftila precž dieuečžka. [37] I přifel kniey mladecz. gefto fie byl fkryl y ležal	Tehdy weczyeffta ftarczye. kdyz gfme fye protulowaly w ffcziepnyczy fama dwa, weffla geft y tato fe dwyema dyewkama a zawrziela geft dwerzye wypuftywffy dyewczye. Tehdy przyffel geft knyey mladecz kteryz fye byl fkryl w ffcziepnyczy a hrzyeffyl geft fny. a	Y rzekli fu ftarczy. když fme fe tulali w ffciepnicy fami. weffla geft tato fedwiema famyma dieweczkoma a zawrzela dwerze ffciepnice a wypuftila diewečky. Y přiffel k nie mladenecz. genž byeffef kryty a ležal fni.

ſni. [38] A kdiž ſwa byla w kutie ſadu. viduce ano ſie neprawie ďiege. bieżala ſwa kňim. y viďiela ſwa gie ſpolu ležiece. [39] a geho ſwa nemohla popaſti. neb geſt byl ſilniegi než wá	wa kdyz gſwa byla w zakuty ſſczyepnycznem wyducze neſſlechetnoſt przybyehla gſwa ſpolu a wydyela gſwa gye ſpolu hrzyeſſyecze, a toho mladczye nemohla gſwa chopyty nebo ſylnyeyſſy byeſſe nezly my	Ale my když ſme byli w kutie ſſciepnice widuce neprawoſt bieżali ſme k nī a widieli ſme ge ſpolu leżiecze. A geho zagiſte nemohli ſme popadnuti neb ſylneyſſi nas bieſſe.

Versio MS. Cerroniani, utpote libera magis, vix forte e bibliis desumta est, sed adornata ab eo, vel saltim immutata, qui judicibus exemplum malorum judicum ante oculos ponere voluit.

Scriba Ms. I^mi^ seu lycei — femininorum dualem *ſwie* confundit cum masculinorum exitu *ſwa* — v. 36. ita etiam versu 40: kdiz ſwie iala a tazala ſwie pro *ſwa*, de viris enim sermo est. Erravit etiam scribendo dieueczka pro dieweczcie dual. fem.

Kuttenbergensis pariter mascul. dualem dieweczkoma (*oma* namque masculinorum est) non discernit a fem. in *ama*.

Magis autem et certius e vocabulis synonymis recensiones varias dignosci posse, quam e terminationibus, quas facile mutare potuit scriba, quin latinum textum inspiceret, arbitror. Sic cap. cit. videndum, quommodo reddita sint — e. gr.:

v. 2. pulchram *nimis* — pieknu *welmi*, ut MS. Cerron, přieliſs, uti *Kutt.*, přieliš MS. lycei.

v. 4. pomarium, ſad iablkowy MS. lyc., alii ſſtiepnice.

v. 8. ſenes, ſtaroſti MS. lyc., alii ſtarcy — eod. et exarserunt — y zažeſta ſie MS. lyc., zazzhly gſu ſye MS. Cerron., zapalili ſe Kuttenb.

9. et euerterunt: i otwratila ſta MS. lyc.
a przewratili . . . Kutt.
a mynuli gſu ſie s ſmyſlem MS. Cerron.

eod. declinauerunt — oči vhnula MS. lyc., otwratyly gſu oczy ſwogy MS. Cerr., ſchylili oczy ſwe Kutt.

15. aliquando — nicku dobu MS. lyc. et. Kutt., tehda MS. Cerron.

— aeſtus, vedro — MS. lyc. et Kutt., horko MS. Cerron.

17. ſmigmata, vmyuadla. MS. lyc., alii mydla.

v. 31. delicata nimis — přieliš wytečna a krasne twarzi MS. lyc., rozkoſſna pržieliš a piekne twarzi Kutt.

v. 54 sub ſchino — pod trnku MS. lyc. — dubem Kutt.

Nota rem ridiculam: In MS. lycei Olom. epistola ad Galatas inscripta est bohemice: K Walachom. Recentior manus in margine: »*Gal, quos hic Bohemus nominat Walachy.*«

XXXVIII.

1788 — 7. pros. Dobrovský mimo jiné zmiňuje se o slovníku latinsko-českém Rozkochaného, z něhož podává několik ukázek, jakož i o slovech kolesa a koleda a připojuje některé drobnější zprávy literární.

Fortunato suo sal. pl. Dobrowsky.

Non ego te arguam, etsi non responderis singulis literis meis. Nam facile hanc veniam do debilitati virium tuarum. Reddes certo, ut promisisti, cum fenore; quamvis ego tibi plura debeam. Quid enim e musaeolo meo tam angusto scribere possim, quod comparari mereatur iis, quae tu e penu literaria Vindobonensi depromere soles. Nunc debitum exsolvere volui, quod ex 2 schedulis inclusis perspicies. Quod superest, dabis dn. Gelinek aut Faulhaber in usus certos. Rossianum volumen velim, ut dom. bibliopolae Hörling tradatur. Is namque libris providet domui nostrae.

Nunc describendo *Rozcochanii* lexico latino-bohemico, quod Rayhradio accepi, occupor. Habet multa vocabula ficta, satis inepte formata; multa tamen, quae origines vocum boh. derivatarum illustrent. Exempla cape aliqua:

litera — cztena	geometria — zemomerna
grammatica — ſlowocztena	theologia — bohomluwna
logica — rzeczyna	metaphysica — naprzyerzecz
dialectica — mluwokraſſa (za *dworzeczyna*)	physiognomia — przyroznama
	physiologia — mudrona
armonia — zwuczba	mathematica — wtypownera
musica — wodohlaſſ	magica — vcznyna
zophistica — chytrna	nigromantia — czrnoknyha
arithmetica — poczeterna	ethica — prawona.

Citat auctor: Arnestum, Johannem Olomucensem. Vixit certe ad finem seculi XIVti et ipsum manuscriptum Rayhradense hanc aetatem prae se fert. Constat 12 foliis in fol. Paginae singulae tres columnas continent. Initium ab aliquot distichis:

Accedant pueri cupientes mente beari,

Ad cognoscenda propria vocabula pauca etc. etc.

Prima vox:

Deus — buoh	sol — ſluncze
deitas — bozſtwye	luna — myeſſyecz

Diana — luna. NB. slavicum *luna* in Cyrilli versione obvium.

lucifer — dennyczye	Jupiter — kralemocz
vesperus — zwyerzyedlnyczye	Mars — ſmrtonoſſ etc.

Octo constat partibus, — artifices ultima continet, quae non videtur integra esse, cum folia 2 sequentia excisa sint. Finit autem folio 12 hisce vocabulis:

Carnifex — maſarz	emtor — vtrzycz
lanista — rzyeznyk	pupparius — lutecznyk
salista — ſlanarz	pannicida — krayacz
linista — platennyk	fenile — paluk

Facile 4 millia vocabul. continet. Inutilia plurima, utpote imitationes latinorum.

Jam tu inquire, in quibus editionibus Ovidii versus notabiles duo in libris Tristium inveniantur, quos editores recentiores omiserunt. Nota, quaeso, librum et versus praecedentes, quibus adnexi sunt.

Gens inculta nimis vehitur crepitante *Kolossa*.
Hoc verbo currum Scythe vocare soles.

Vide Adelungii Lexicon voce *Kalesche*. *Kolesa* in Rozcochanio est carpentum, et in aliis dialectis satis nota vox. Praecipue Slovaci Ungariae simillimos currus eis rhedis, quas germanice kalef vocamus, habent, uti vidi, dum 1784 Posonii fuissem.

Ad Societatem nostram nuper misi dissertatiunculam de Picardis veteribus seu Adamitis, quam hic conscripsi, satis aegre, ob defectum eorum monumentorum, ex quibus excerpta habui. Si otium suppeteret majus, jam tu plura a me accepisses.

Jambressich sub voce *koledo* addit *ceres*. Largus vesper similis certe est Cerealibus, quamvis putem *koledam* nostram (alias Colendam) dictam a *Kalendis*, uti du Fresne vocem hanc Kalendae explicavit. Interim, nescio quidem, utrum de diis Slavorum acturus sis, opto, ut in russicis monumentis *koledam* deprehendens mihi significes, quid tu de hac voce sentias.

A dn. Zlobiczkyo literas accepi, ad quas responsum dabo quam proxime. De nummis hic inventis quaesivit, quales nam essent. Sunt argentei romani. Alii ad Wysternicium [Bystřice] inventi sunt bohemici Wenceslai 2di, quorum copia extat.

In libro, qui Regiomontii prodiit.: *Preussische Zehende*, extat recensio bibliorum Ostrogiensium an. 1581. et alia ad literaturam slavicam spectantia. Hunc tibi pervolvendum judico.

De vers. germ. Confessionis eccles. orientalis, quam Berolini edidit *Leonhardus Frisch*, scribam proxime, si notitiam hujus vers. desideras. Ex praef. cognovi, quomodo studium linguae slavicae vir hic adamaverit primum.

Valetudinem opto prosperrimam, quam velim, ut cures quam diligentissime. Me ama et me tibi vere deditum scito.

Olomucii, 7. Decemb. 1788.

XXXIX.

1788 - 18. prosince. Durich odpovídá na listy předcházející, podává zprávu o zbytku stanovském ve dvanácti apoštolech a ukázky z něho, jakož i o slovníku latinsko-německo-českém, tištěném ve Vídni r. 1518, o slově »Kalesche«, a připojuje drobnější zprávy.

Vindobonae 18. Decemb. 1788.

Dobrowskyo suo Fortunatus s. p

Non tantum humanitas tua, verum etiam veterana amicitia mihi veniam dabit ad singulas tuas epistolas non respondenti; necdum enim satis confirmata valetudine amore literarum Bibliothecam Caes. adeundo conscivi mihi adversam valetudinem, sed Dei gratia jam hodie tertia dies est, ex quo

e illum solatii et eruditionis locum iterum accedere valeo. Tibi ergo iterarum officio satisfacturus primum gratias habeo pro obtentis duabus is 10 f., ex quorum summa 6 f. subductis reliquos r. d. Faulhaber m: nam bibliopolae tomum IV adferenti debui adhuc numerare 45 k. vecturae pro singulis exemplaribus, quem tomum IV^{um} miror nec- l te perlatum fuisse per eundem virum, qui ad te tomum III^{ium} Ros- pertulit: huic enim illum d. Zlobiczky jam sub medium praeteriti pro transmissione interpellatus extradidit. Imposterum, si quid ad te idum habuero, d. bibliopolae Hörlingio tradam.

) Rozcochanii notitia Lexici latino-bohemici gratiis tibi actis commu- cum vocabula, quorum sensum assequi non possum in illo fragmento cod. CCCCLXV. inter theol. MSS. Caesarianos, cum antecedentibus equentibus vocabulis perscripta:

O toho czíezzarsíc zlobíc
Iemus nc zzteklo pokobíc
Neb czos wzzwítye lune*) zwíersí *) (Dob. liute.)
Tcy zzíe ta zlob neprsímícrsí
Ius iezzt on gmíel suclíutowal*) *) (Dob. ž nel...)
Chtye wzwíedyety kak zzíe wzzchowal 1^{a} col. 1^{ae} pag.

llaba коб, quae in nominibus bestiarum, v. g. кобель canis; кобыла equa, s est, po kobie idem mihi videtur, ac *juxta feritatem* ut ita dicam.

l. altera 1^{ae} pag.

Lekarsí dozzty mluwiwffe
Proty tomu. wffaks nezbowffe*) *) (Za *nezbywffe*.)
Muzzichuy gmu napoy daty
[Finis col. 2 et pag. 1.]
Rskucz. ruffilzz tyem ieho crazzu
S zzi nc dosdal zzweho chzazzu
[1ª col. pag. secundae.]

cic incipit col. 2. pag. secundae, quam integram describo, ut conjec- le argumento fragmenti formare valeas.]

Nedawffe gi gmak zzteczi
Kazachu hi zznym useczí
Pronyes to miezzto zlatrana
Zzlowe hi dnezz. latens rana
Hi zzlowe tuse prsichzínu
Tayna saba. polatynu
Takese hí míftr seneca
Wyklada zzie. zzam zzíe zzieca
U wíechzffi zzwathy iacub zzlowe
Chzinem trogie chzcty hotowe
Yus iemu pízzmo wydawa
Podle tyechto trsí chzcty prawa
Gíms zgínych iezzt wíeczi mnohem
Pyrwe sdrsewe pozwan bohem

Mezi wſſiemí uchzennyky
Proneſto zzlowe weliky
Druhe smu boh byl domowſt
Hi by tyem wſſdy wíecze mowít.

Finis totius columnae seu paginae, ut equidem mihi videtur dimidiae a reliqua folii parte praecisae.

Grato animo interim accipe unam integram columnam antiquissimi linguae nostrae fragmenti, quam ob cohaesionem arbitrabar praecipuam; alias tres opportuno tempore perscribam: tu interim inquire in antiquitates philologicas, quas ego jam ad hanc rem collegi, proxime tibi notas faciam. Illa slavonica syntaxis *poznan bohem*, quae apud nos jam pridem exolevisse videtur, mihi cum primis placet.

Accipe regulam Theodori Maximow pag. **рѳі: ѡ творительномъ — г. в[illegible] ѩже страдательнѣ ѯналисиютъ, ѣкѡ: сотворй са мнόю. сі есть, ѿ мене.**

Sed jam simile quid pro Rozcochanii Lexico latino-bohemico accip[illegible] liberalitate cl. Denisii communicatum, Leopoli ad eundem perlatum: in [illegible] decem folia absque custodibus et signatura in sex columnis literis gothic[illegible] excusa hac inscriptione: »Dictionarius trium linguarum, latine, teutonice, bo[illegible] mice potiora vocabula continens: peregrinantibus apprime utilis.« In prin[illegible] pag. fol. 10ª ad finem: »Vienne Pannonie in edibus Hieronymi Vietor et Joannis Singrenij Anno Dm. M. D. XIII.« Pag. 2. fol. 1: *de celo* — Lun[illegible] mieſytk mensis miesytz - - forma zpuſoba — qualitas zpuſobnoſt — quantit[illegible] kterakoſt ... *De ecclesia et pertinentibus ejusdem*: horologium worlog ... *[illegible] statu spirituali:* clericus žák ſwiceny ... *De imperatoribus:* Regina kralow[illegible] [Articulus »de judicialibus« mihi admodum placet: Citatio puohon. Executi[illegible] skutkem wyplnieny. Contestatio wyſwiedczenij. Citator pohoňyk ſudu. Arbite[illegible] Vbrman.] *De armis:* Cuspis ſudlitze. Lancea woſſtip. Missile ſſypiſſtie. Tr[illegible] cuspis krondle. Balista kuſſe. Cataburta kluk. Capulus z mecže hruſſka. Pugi[illegible] dyka. Bombarda hauſſnitze. Machina prak. — *De rusticis et pertinentibus*[illegible] Vehiculum ſaanky. Mediolus pijſt. Axis wos. Opex ſluk & &. *De vermibu*[illegible] [illegible] finis. [NB. de ferculis et pertinet.: Discus wokrzyn. Picanum cžiže[illegible] [illegible] taykanets.]

Quod ad versus Ovidii duos ex libris Tristium ab Adelungio laudato[illegible] ad vocem [illegible] attinet, statim inquisitionis in eos curam suscepit cl. pro[illegible] Alter, sed frustra: non inveniuntur hi versus in editione Jacobi Rubei ele[illegible] ganti et antiqua cum hac subscriptione: Nicolao Marcello duce inclyto Vene[illegible] tiarum MCCCCLXXIIII. in folio. Non inveniuntur in MSS. membr. inte[illegible] cod. philol. Nº XCIV. olim S. N. Plura exempla necdum conferre potuimus [illegible] [illegible]. [illegible] vers. [illegible] in MS cod. Cl. Caes. Act. VIII. 28 [illegible] it. [illegible] scriptum invenimus [illegible].

[illegible] adamaverit Leon[illegible] [illegible] Scire vellem, an aliqua col[illegible] [illegible] Bohemos: et qua[illegible] [illegible] pertinentia. *Zr*[illegible] [illegible] plus quam XX dialectorum[illegible]

Venetiis per Ginamos 1639 editas frustra quaero; sed *Slatarichii* Dominici, rect. univers. Patav., Carmina Chrobatica Venetiis per Aldum 1598 in 4[to] eleganter edita et elegantius scripta habet Bibl. Caes. Nunc angustia chartae me monet, ut tibi felicem exitum labentis atque novi anni felix auspicium precari non omittam cum consueta formula: cura, ut valeas, et me amare porro velis. Salutat te prof. Alter. Proxime de his plura.

Vincentii Priboevii Oratio latina de origine et successibus Slavorum Venetiis 1532 in 4 edita exstat in Bibl. Caes.

XL.

1789 — 6. ledna. Dobrovský odpovídá na list předcházející, vysvětluje některá slova zbytku staročeského o dvanácti apoštolech, zmiňuje se o slovníku Vídeňském z roku 1513, o slově »kolesa«, o Frischově překladě katechismu ruského, o lnářství u Slovanů, podává ukázky z kapitulního Bohemaria a jiné drobnější zprávy.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Dicere non possum, quantopere mihi placuerit fragmentum illud Bibl. Caes. antiquissimum. Simillima huic est vita Alexandri boh. versibus descripta in bibl. Capituli Prag., quam describi curavi integram. Orthographia autem praeprimis me attentum reddidit. In zz duplici Germanos imitatus est; illi enim hac aetate muzz, muzzen scribebant. chz prorsus singulare est. Alias, ut nosti, circa annum 1417, uti in bibliis boh., quae hic in bibl. lycei extant, zz duplex nostro ž aequivalet. Utinam et reliquas paginas, dum libuerit, describeres, mecum communicaturus eas. Multa vocabula nondum intelligo. Aliqua tamen, quae tu punctis notasti, explicabo.

po kobie: koba est avis species, secundum tria vocabularia antiqua, lat. *vago, vaco,* apud Pol. nunc kobiec, kobus, falconis species. Boh. *kobik* legit Weleslavina in Indice boh. (pag. autem 198 legitur *kubik*)

nezbowſſe videtur male scriptum, nam nullum praeteritum apud nos exit in *ol,* adeoque et nullum participium in ow, nisi slavacorum *bol* pro byl huc trahere velis.

O zzi mihi videtur legendum: o gſy, ita ut gſy ad doždal referatur.

dosdal est *doždal*, dočkal, nam apud Dalemilum et Cyrillum *ždati* est expectare.

zzteczi est infinitivus a zteku, ztecy, praet. zteklo superius.

useczi est *vžecy*, infinitivus a žhu incendere, ardere, praet. žehl, partic. žha, inde žhář; nunc fut. žhnu, rozžhnu, rozžžal, — et zažehl, zažžen partic. paſs. passim; inde žžawy, žežawý (nunc řeřawý,) žihadlo, žahadlo etc. etc.

Syntaxis haec: *poswan bohem* adhuc seculo XV viguit, nam lego in Chron. boh., quod in II[do] tomo scriptorum Pragae 1784 editorum: klaffter založen *kralem Janem* pro od krale Jana.

Placuit Dictionarii notitia, pro qua gratias refer auctori. Nescio, utrum cl. Denisius viderit Missale Olomucense Viennae impressum an. 1501 vel 1505. Si gratam rem ei praestitero, mittam ei pro Bibl. Caesarea exemplar.

In vocabul. Viennensi 1513 errores manifesti sunt, ut pohonyk pro pohonič, citator, saepius enim c nostrum ab ignaris in k mutatur, ut in Glossario omnium linguarum, quod compilari (satis mendose) jussit Imp. Russorum; nam nostrum *otec* scriptum est russicis literis *otek*. Cl. Pelzelius 60 errores se reperisse in bohemicis mihi nuper significavit. D. Ungar habet jam exemplar e Russia allatum. Doleo de hac tanta negligentia domini Pallas. *Bombarda* e vocab. Vienn. est *hauffnicze*, ut Tu scribis, esse debet *hauffnice*.

Versus Ovidio suppositi non sunt quaerendi in editionibus antiquioribus, sed in aliqua circa anno 1540—1590 aut 1660. A poeta Polono videntur fuisse compositi et cuidam editioni inserti contra codicum fidem. Nam cum Ovidius exulasset apud Getas, nihil auditum fuit de Slavis in iis regionibus. Interim placet cl. Alteri diligentia invincibilis. *Kolesam* nostris notam jam olim fuisse ex Rozkochanii Vocab. patet, nam *carpentum koleſſa* habet. A Slavis et formam et nomen mutuatos Germanos, Gallos ac alios certum est; consultissimusque dn. *Windisch* Posonii consularis vir ea de re disseruit, ni fallor, im ungarischen Magazin. Priboevii opinionem de origine Slavorum cupio ex te cognoscere. Certe ille Illyrios veteres cum Slavis a Septemtrione venientibus confudit, ut solent ejus aetatis scriptores.

De L. Frischio haec accipe: Vertit is librum symbolicum Russorum oder den grössern Catechismum der Russen aus der Sclavonischen Sprache, wie sie in Russland gebräuchlich ins Teutsche übersetzt von Johann Leonhard Frisch. Frankfurt und Leipzig 1727. 4. Dedicavit librum *Alexandro Golowkin*, Caes. Russ. plenipotentiario ministro ad aulam Borussicam. In dedicatione haec habet: »Da ich erstlich das grosse Glück gehabt, Ew. Hochgräfl. Excell. in Ihrer Jugend, wie auch Dero ältern Herrn Bruder, Herrn Grafen Joannes Excellenz, aufzuwarten und mit einiger Anweissung in Wissenschaften an die Hand zu gehen, hab ich bei solcher Gelegenheit den Vorzug der Sclavonischen Sprache besser erkannt, grössere Lust bekommen dieselbe zu lernen und von den geschicktesten Russen von Dero damahligen Gefehrten und Gefolge schönen Unterricht erlangt, dass ich dieses Buch bald in solcher Sprache verstehen, ja auch die Erklärung einiger Religionspunkten und Ceremonien von tüchtigen Personen der Russischen Priesterschaft selbst vernehmen können. — Hernach als ich diese Uebersetzung noch einmahl durchsehen müssen, hätte ich nicht viel darin thun können, wenn ich nicht das von dem gelehrten Herrn Theodoro Polykarpow zum Druck beförderte sclavonisch-griechisch- und lateinisches Wörterbuch zu Hülfe genommen hätte, womit Ew. Hochgräfl. Excell. mich ehemahl gnädig beschenkt.«

In praefat. ait, se omnes editiones slavicas habuisse, 1^{mam} in 4to, 2^{dam} in folio, 3^{tiam} in 8vo. Titulum sumsit ex editione Petersburgensi an. 1722 jussu Petri Magni adornata: »Sonst hat mich zu dieser Uebersetzung eine erwünschte Gelegenheit gebracht, indem ich eine geraume Zeit mit einigen der Edelsten und Gelehrtesten von der Russischer Nation fast täglich umgehen und von den schwersten Redensarten und unbekannten Gebräuchen sattsame Erläuterung haben können.«

Sermones Joan. Damasceni de cultu imaginum, quae in edit. slavicis habentur, omisit *Frischius*. In dedicat. ait se jam ante annos 20 hanc versionem perfecisse; inde opus fuit revisione. 1727 minus 20 = 1707.

ıd lini culturam pertinentia fere neglecta a me sunt. Praeter ea, quae textores et filorum ductrices seu netrices usitata sunt, nil unquam . Linum fuisse cultum antiquissimis temporibus, in usum telarum, voca- ı *pafmo* indicio est, quod et Poloni habent. Croat. *rubje*, Leinwand, ex lintea, *rubni tkalecz*, Leinweber, linteo-collatum cum nostris na ruby, rs, qua tangitur indusium, *rubáš*, Todtenhemd; satis prodit, texturam ɔstris Slavis jam ante annum Christi 610 notam fuisse. *Obrus* hic in ·ia linteum tegendis mulierum scapulis et reliqua parte corporis signi- uti croaticum *obrifzach*. *Plahta* etiam Croatis nota est, inde *plaſſt*; ›, platnen itidem nota sunt. Uti adjectivum *lanen*, nostrum *lněný*. *Lnář* h. circulo Clatoviensi loci nomen est, a lini cultura celebris. Oleum semine pressum tibi satis notum est. Colligam jam omnia eo spectantia, ne tamen e Cyrilli versione vellem habere vocabula, uti conferri pos- Dn. *Anton*, alias sat diligens, valde inops est in referendis vocabulis ı, opificiorum culturae agrorum etc. De *vestibus* e vocabulario antiquo scripto haec adscribo, quae mihi domestica videntur, nam ab aliis sumta, non pertinent. Inter haec sunt: *krzno*, trabea, *karnacz*, camisiale, de golica, dubius sum, num et *kolczawa* inde dicta fuerit.

E nominibus omnis generis vestium colligi posse videtur, quod genus e lino ctum fuerit. Adscribam tibi versus aliquot e *Bohemario* an. 1309 descripto:

»Vestis sit *rucho*, *ruby* vestimenta vocantur,
Zafczyerka velamen, indumenta sit *odyewka*.
Pannus sit *fukno*, tela *platno*, *nafyecz* estrum,
Panniculus *rufka*, spolium tibi *oblupenye* sit.
Praetexta *tkanycze*, sed purpurea dicito *zlatohlaw*,
Trabea *plafcz kralowy*, tunica *fuknye* sit.
Tunicale axamitum *axamyt* tibi sit.
Camisia *koſſule*, subicura dicito *kytle*.
Palium *czapriny*, *onucze* tega, pellis *blany*,
Sudarium *czyechel*, dic cilicium fore *zynye*,
Joppa *kabat*, sit pellicium quoque *kozuch*,
Caliga *nohawycze*, *kolcz* adromate sit.
Clamis est *krzno*, sed *rukawycze*que ciroteca,
Sit vanım(?) *fyrknycy*, sed *carnacz* supara vocatur. (N. *c* pro *k*)
Braccas dic *hacze*, post soccus *plfczennycze* sit,
Braccale *hacznyk*, femorale dic *byele rucho*,
Fiet orificium *ozyedle*, manica *rukaw*,
Fimbria *podolek*, relipipium quoque *cyp*,
Nodulus sit *knofflyk*.
Liga sit *wazek*, dic *podwazek* esse ligamen,
Instita sit *pokrow*, sindo *czakun*, mitra *czepicze*, *czepecz*
Scarra, daren est *zatka*, laden *naramky* vocatur,
Suppara *carnacz*, sit armilla *opleczye* dicta,
Fascia *loktuſſye*, dic peplum *flogyerz*, kuna *plenka*,
Vitta sit *zawoy*, sed *drmlyk* sit redimiculum,
Rigillum *rufiecze*, post mardrix *popelicze* sit.«

Pleraque quidem ex istis e corio confecta sunt, quaedam tamen certe e lino. E textrina haec habe:

Versu 767: Textor sit *tkadlecz*, *fwknokray* pannicida erit,
Colus *prseſſlicze* sit, *platennyk*que linista,
Tornus sit *kuzel*, sed sagia fiet *obwazek*,
770: Ast colofolium *obaſlo*, girtaque *prseſſlen*,
Est *wrzeteno* fusum, filum *nyt*, *kudel* stupa,
Motaxa *przadeno*, turnum *ſkanye nyczy*, (*cz pro t*)
Trama dic *vtek*, filatorium *nytedlnyczye*,
Ansa sit *ſtaczywa*, sed dola *rozpynadlo* fiet,
Frixorium *trlicze*, liciatoriumque *kolowrat*,
Radius est *czlunek*, stamen *ſtaw*, *czyewka* pennale,
Glomus sit *klbko*, dicas alabrum *motowydlo*,
Textorium *brdo*, sed dragma *potacz*, *hochle* pecten,
Amseria *semnye* sint, fusariumque *powyſſnye*,
Pannus sit *ſukno*, licium *trzapacz*, tela *platno*,
Postawe substamen, sutum *ſſew*, est spola *czepy*, 780
Contus dic *bydlo*, sed ilia *pyſſkowa duſſe*.
Sartor sit *kraycy*, sutor *sſwecz*, *nozc* forfex.

Ego quidem censeo, linum tractasse Slavos ab antiquissimis temporibus, nam *len*, *λίνον*, linum, lein conveniunt. *klbko*, *klubko*, croat. *klupko*, glom-us, glm et glb *m* in *b*, vel vice versa literae ejusdem organi; *nit* collatum cum latino *neo*, netum, germ. *nat*, *Nath* sutura. Certe praeter pelles nil aliud habebant ad tegenda corpora, si linum non tractarunt. Alii serico, *goſsypio* usi; quamvis lana suppetebat, sed fabricandorum pannorum ars serius iis innotuisse videtur. Mentitusque est Cosmas noster, qui cum in Justino legisset, lini lanaeque usum ignotum Scythis, de Bohemis haec dicta putarit. Radix *predu*, *pradu* in omnibus dialectis superest, ergo certe antiquissima; *predivo* apud Croatas *linum* est. Nostrum *přadeno*, *přadynko*, tute nosti.

Vol. IV. de Rossianum nondum accepi. Sed scripserat d. Zlob. se proxime missurum. Pro Appendice, cujus forte mentio fit in vol. IV., numerabis meo nomine pecuniam, si opus sit. Volebat enim cl. de Rossi in Appendice Var. lect. in prioribus tomis praetermissas recensere. Utrum mutavit consilium, nescio.

Nuper ex bibliotheca Brucensi, Klosterbruck, attulit dn. Hanke Evangeliarum latinum elegantissime scriptum in membrana sec. XII, ut existimo. Praeter hoc libellum aethiopicum manuscriptum, quem putaverat esse slavicum. Inspecto eo subrisi et reddidi eum. Forte mihi tam felici esse licebit adhuc, ut aliqua slavica hic detegem, quae sepulta jacent; jacerentque fortasse seculis. Sed his ego studiis duntaxat horis subcisivis vaco, aliis continuo distentus, uti facile tibi persuadebis.

Warsaviae prodiit p. I. Bibliothecae Polonicae. Hanc tibi inspiciendam puto, polonica recensentur. Dn. Zlobicky eam sibi certo, monitus, comparabit: ego nondum vidi. In catalogo Lipsiensi titulum legi: Polnische Bibliothek. Warschau 1787. 8. 9 puto grossis constat.

Cl. Denis et Alterum humanissime salutabis. Nemo profecto magis hanc s fortunam, quae Bibl. Caes. visitantibus obtigit, invidet quam ego; nemo n hanc vobis sortem obtigisse gaudet magis.

Mihi tu fave, uti solebas semper, meque tui amantissimum scito. Vale ɔque fruere hoc novo prosperrime.

Pifeň kratochwilná o Jurowi báči, valachica cantilena impressa typis:

Hopfa Anka srdce moga,
keď ga vmrem wffecko twoga,
Nohawica, župica y beraní čepica.
Tobě kudelná koffula etc.

ıvenit dialectus Slovacis.

Die 6. Januarii 1789.

XLI.

1789 — 3. února. Dobrovský zmiňuje se o staročeském zbytku »o apoštolech«, vy-á slovo »koba«, vybízí Duricha ku sbírání slov méně obvyklých, podává zprávu o slo-ských názvech měsíců, o českých překladech biblí, o lnářství u Slovanů a jiné drobnější ámí zprávy.

Olomucii 3. Februarii 1789.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s.

Recte tu quidem, meo judicio, sentis, esse operae pretium, si edatur grum fragmentum Bibl. Caes. utpote antiquissimum. *chz* nihil croaticae ıographiae mihi redolere videtur, nam orthogr. croatica est longe recen- qua *ch* nostro *cž* aequivalet. *chz* nihil aliud est, quam czz, uti e. gr. in manusc. bibl. lycei Olomuc., de quibus postea, vocabulum czzas (čas) ɔitur. Seculo XIII *z* ita *ħ* scribebatur, ut sit excepto unco superiori ı latino simillimum. Inspice, si lubet, cod. Caes. Bibl., quem e Bohemia um obtulit Imperatrici noster Eques Wokaunius. Est in eo Cosmae ɔnicon cum interpolatione et Continuatione monachi Sazaviensis exaratum. ·eperies *ħ* illud et possem citare loca plura e diplomatibus a Dobnero s, ubi ille pro z — h legit, quod nesciret aut saltem librarius ignoraret, :imen illud inter inter h et *ħ*. Hac ratione puto ex *cħz* seu c*ħ*z ortum aequivalereque antiquo czz seu cž; antequam enim punctis notarentur ř — duplicabantur, quod ipsum puncta denotare debebant. Koba tu ers cum *kow* slav.; ego non assentior, quia b et w non tam facile permu- ɹr; exemplum, quod adfers, peregrinum est (nam *koberec* gallicum est, t *kower*) non domesticum. *ne zzteklo po kobie* videtur hunc sensum fun- :: es lief ihm nicht nach Wunsch ab; igitur koba est votum, desiderium, ɛ autem hic significatus et haec forma. Dicam, quod sentio. *doba.* est ṿ, confer composita *k-dy*, quo tempore, *něk-dy*, aliquo tempore, *wž-dy weff* et *dy*, omni tempore, ex *dy* factum *doba*; noscis enim *chud-oba iud, žaloba* a *žal*, *žel* etc., ergo pari ratione ex *ky*, *kyž*, utinam, quo ɹm exprimimus, est *koba*, h. e., votum, desiderium, seu germanicum Wunsch. :etne hoc? sin, videndum erit de alia expositione. Passionale boh., quod s, certe antiquiora inter monumenta referendum est. Citatum fuisse in

Disputat. Rokyczanae et Hilarii fortasse noveris, et quidem legendam festi S. Andreae, si bene memini. Gratissimam rem praestabis mihi, si vocabula obsoleta collegeris et praecipue simplicia, aut formas minus usitatas. Sed hac in re opus esset aliqua regula, qua dirigi possemus, ne unus anxie colligat ea in usum alterius, quae alter jam ante collegerat. Sed nimius labor hac in re vix unquam nimius est.

De Nerone, qui scripserit, nullum novi. In Bibl. Prag. aut Metropol. non dubito similis argumenti manuscripta extare, saltem latina. Hic ego fere nudus sum, ut tecum tot armis instructo vix unquam e animo vincendi congredi liceat. Patiar autem libenter me omni officiorum genere vinci a te; at amicitiae sinceritate non patiar. Rursus ad nostra: Junium *cžerwenec* vocari mones in Passionali. Et hoc antiquitatem probat. Nam olim nondum Junius a Julio hac ratione, uti nunc, distinctus fuit, sed alio prorsus nomine. Sic in vocabul. Rozcochanii sec. XIV. Junius est *cžrwen* et Julius *wrzyeſen*, reliqua nomina cum hodiernis congruunt. Interim tamen male confusos menses Junium et Julium in Passionali puto, cum et Bohemarius ab an. 1309 canat: *May* Majus, Junius *czrwen, czrwnecz* Julius erit. Ita etiam Vocabul. antiquum aliud Bibl. Clem. Y. I. 1. n. 14., cujus copiam habeo, — Junius *czirwen* (pro czr-), Julius *czrwenecz*. Ceterum noveris bohemica nomina mensium occurrere etiam in Pulkawa, h. e. in boh. versione Chronici latini — Pulkawa — dicti, quem ego non auctorem, sed interpretem multis rationibus probare possum.; ita ut Pulkawae opus, versio nimirum e latino exemplari auctoris ab interprete diversi, omnino bohemicum sit, non latinum. Mensis Decembris *proſynecz*, non ut nunc *praſynecz*, quamvis idem omnino sit, nam nos prase et Poloni prose porcum vocant, in Continuatore Cosmae sec. XIII. reperi, sed locum citare nequeo, cum diu quaerens illum invenire non possim. Sed vix me fallit memoria. Slavica mensium nomina, quae certe antiquissima sunt, quamvis sec. X. aut XI. vix superent, plurima conveniunt cum bohemicis, quae Voigtius non optime explicavit. Ex manuscripto slavico Olomuc., de quo jam alias plura scripsi, ea tibi recito: September *rjujen*, October ***listopad***, November *gruden*, December *studenii*, Januarius *proſinecz*, Februarius *ſječžen*, Martius *ſuchii*, Aprilis *bereszczol*, Maius *trawen*, Junius *izok*, Julius *cžerwen*, Augustus *zarjew̃*, est enim nota super ĸ.

Hruden est etiam Bohemis notus; sed pro Februario intercalari sumitur, inde in vocabul. embolismus hruden redditur. Conferri hic debent nomina mensium croatica et polonica. Adde *zarzwy*, scribi in Bohemario pro zaří Septembri. Item *Adar* 2 Macch. 15, 37 reddi *podieſen* in manuscripto boh. bibl. lycei Olom. Est autem *podieſen* in Vocabul. Rozcochanii autumnus, uti *jesień* pol., jeſzen croat. et carniol.

De Lupacio Martino, pio et docto viro, quae detexisti, mihi adrident. Hoc mihi jam persuasum fuit ab eo tempore, quo manuscripta bohemica solertius excutere coepi, tres saltem fuisse praecipuas recensiones vers. boh., primam ante Hussianam, alteram post Hussum, 3tiam Lupacianam seu magistrorum Pragensium recentiorem, ad quam excusa sunt biblia Pragensia 1488 et Kuttenb. 1489, quas demum omnes, paucis mutatis, sequuntur. Fratrum editio singularis est versio. Dabo tibi aliquando notas, quibus discerni possit

antiquissima recensio ab aliis recentioribus; aliquas saltem jam dedi in indiculo sat jejuno manuscriptorum. Lect. *ani przadau* exhibere omnes vers. nihil dubito, neque miror; nam vox *przadu* omnibus dialectis communis. Sed quid tu ad haec, quod in vers. boh. sint loca quaedam, pauca utique, in quibus contra latinam vers. et contra textum graecum vulgarem, consentiat vetus v. bohemica cum slavica? Elicies forte boh. vers. e slavica adornatam. Hoc quidem minime placet; nec unquam effici poterit, ut reddatur vero simile; quamvis forte tu in eam inclines sententiam. Vocabula antiquiora convenire cum slavicis satis constat.

Quid tum, atqui etiam plurima hodie vulgatissima cum iis conveniunt. Deinde voces obsoletae apud nos vigent apud Slovacos, Moravos, ergo non e vers. slavica censendae sunt in vers. boh. assumtae. E. gr. *biesný*, *zbiesnilý* apud Slovacos usitatum est; certe etiam olim apud Bohemos, nam in manuscripto bibl. lycei an. 1417 *bies* saltem vigesies occurrere adverti, quo daemonium denotatur, sed tamen non omni loco, quo daemonium legitur. Substitutum serius jam *duch*, jam *diabel*, uti nosti. Loca pauca citabo, ut inspicere possis alia exemplaria: Marc. 1 32. daemonia — habentes, omissum st. Marc. 1, v. 34. et daemonia multa ejiciebat: *gens biechu obklicszeny biesy* t non sinebat ea loqui: *a biesom mluwiti nedadiesse*; v. 39. daemonia: *biesy*; arc. 3, 12. comminabatur: *przietiesse*, slav. *preti* alias. Marc. 3, 18 a daeonio vexatus fuerat: *dyablem oblowan.* Luc. 4, 33. daemonium immundum: *esa neczistcho* — v. 35. *byes* daemonium; v. 41. *biesowe* daemonia. Sic salm. 90, 6. et daemonio meridiano: a ot *biesa* polednyeho. Jam certe dederio teneris plura cognoscendi de bibliis istis, quae ab aliis pluribus in cis differunt. Faciam ego tibi satis, sed nunc chartae angustia prohibet.

De cultura lini apud Slavos quae concepisti, fac, ut meliora doceas in opere io, quod alii jam avide exspectant. Agriculturae studiosiores cum fuerint lavi, etiam linum colere debuerant. Confer locum Procopii de vestitu Slarum. Solum frigidum favet lino — Silesii, Slezáci, slavice loquentes, *přídek* et *řídka* vocant einen Spinner und Spinnerin; hic in Moravia *přadák* et *přadlák*; s, uti nosti, *přadelník*, quia formas longiores amamus. *Přize* est in circ. eroviensi *přáza*, a *přadu*, quod etiam Bohemis praeter *předu* usitatum est.

In libro: Preufsische Zehenden. Königsberg 1740. 1. Band. 1742. II. Band. 8. multa habentur, ad literaturam slavicam pertinentia; uti tom. 1. n. 17. »Nachricht von einer hauptraren Uebersetzung des neuen Testamentes in obatischer Sprache, mit glagolitischen Buchstaben gedruckt, welche auf r Königsbergischen Stadtbibliothek befindlich ist.« Idem liber est etiam in bl. Dresdensi Elect. n. 18. »Dan. Rederi Zustand der griechischen Kirche Russland, Pohlen und Moscau.« II. tomo. n. 40: Historische Beschreibung r slavonischen Bibelausgabe von A. 1581. fol. n. 44: Polnische Bibelhistorie, er einige historische Nachrichten von den mancherlei Uebersetzungen der il. Schrift in die polnische Sprache.« Fac jam tu, ut possimus brevi carere nibus aliis commentariolis de lit. slav.

Dn. Ribay, qui est Cžincotae pastor evangel., offert suum tibi Novum estamen. novissime versum in usum slavicae coloniae comitatus Simigiensis; d nullum a te accepisse responsum mihi nuper scripsit. Fors ad te non

pervenerunt ejus literae, quem tibi commendare possum, quia et mihi fave et rebus slavicis summopere delectatur. Vale et me amare perge...

Saluta Vindob. amicos omnes, quos ego observo et colo.

XLII.

1789 — 15. února. Durich podává podrobnější zprávu o staročeském zbytku »o apošto lech«, o názvosloví měsíců, o překladě Lupáčově Nového zákona a o lnářství u starých Slovanů, ke kterémuž studiu přivedla jej kronika Helmoldova.

Viennae 15. Febr. 1789.

Jos. Dobrowskyo suo Fortunatus Durich s. pl.

Gaudium, quod tibi ex detecto in Bibliotheca Caesar. antiquissimo literaturae nostrae slavo-bohemicae fragmento natum est, me inducit, ut observationibus philologicis et criticis illustratum publici juris facere putem; priu tamen de praecipuis observationibus te consulam et integrum fragmentun tecum communicabo. Quod ad orthographiam attinet duplicis zz pro simplici : jam ex antiquis monumentis teutonicis inde ab Ottfrido exempla anno superiore mihi collegi, qui z pro ſ scripsit, illiusque linguae homines etian circa annum Domini 1440 ita scripsisse nuper in *Mithridate de differentiis linguarum* etc. Conradi Gesneri pag. 2. fol. 40 inveni. Ex cl. Gattereri Comment. de linguae germ. epocha diplomatica tom. II. Comm. S. Gotting. exempl quoque in eandem rem mihi excerpsi. Video quoque in nostris codicibu latinis seculi XII., ut in illo Opatovicensi, z pro ſ scriptum in nominibus pro priis. Sed quod in fragmento isto antiquissimo duplex zz, pro simplici constanter scriptum sit, eadem ratione mihi factum videtur, qua Hungai duas hasce literas ſz, ad describendum sonum nostrae literae ſ, sumserunt Illa prorsus singularis τοῦ č seu ч cyrillici elementi scriptio per chz, quo ad priorem partem attinet, nimirum ch redolet aliquid croaticae orthographiae; sed additum z teutonicae imitationis mihi videtur.

Sed jam ad tuam vocis po kobie analysin progrediar. Ex contextu, qu talis est:

O toho czíezzarsíe zlobíe
Iemus ne zzteklo pokobíe

non valeo hunc sensum elicere, si *koba* heic pro falconis specie, nobis *kobi* v. *kuček* sumatur. Quid, si *koba* heic idem sit ac Graecorum κακοτέχνασμα, μηχανή; His enim aequivalet slavonicum ко́въ. ковáрство. Nec obstat b pro в positum nosti enim hanc permutationem e. g. in nostro koberec, Slavis коверъ; nequ *koba* pro *kov*; nam in prima columna ejusdem fragmenti *zloba* et *zlob* forma occurrunt. Quod ad vocem *nezbozie* attinet, mendum mihi cubare videtu etiam propterea, quia constanter duae syllabae ultimae in homoeoteleut consonant; prioris autem versiculi terminatio est in *weſſie*:

Lekarsí dozzty mluwiwſſe.

Sed, ne quid industriae neglexisse videar, adhuc semel MSS. diligente examinabo. Jam inveni 64. versiculis hujus fragmenti vitia Neronis August perstringi; incidi enim nuper in Passionale bohemicum Pragae 1495 in foli editum nosti tuam recensionem - Böhmische Literatur auf das Jahr 177

. 141], ubi signaturae superioris F. Trzynaczte pag. altera, id est post vitam ʾauli apostoli: O Nerowi czyefarzy vkrutnem takto se wypifuge. Substantia : tota eadem est cum laudatis supra pseudorhythmis; sed in his plura ːnio: nam quod in Passionali his tantum verbis sub finem ponitur: Tu ·o przikazal, aby ten geho narod byl krmen y chowan w gednom sklepie he czafy; — noster rhythmographus adhuc plura addidit:

Czo rsku pak o giney zlobſe.

Sed heic medium folium internum est praecisum, cujus columna secunda ıunc modum incipit:

Nedawffe gi ginak zzteczi.

Reliquos versiculos tibi jam perscripsi. Itaque rogatum te vellem, si quid ɔstris intra illud tempus, quod ab initio seculi XIV. usque ad finem XV. rcessit, de Nerone scriptum invenisti, ita mecum communicare velis, ut :e auctorem et argumentum rei scriptae rescire valeam. Ex supra laudato sionali, quod ob glossemata linguae nostrae atque elegantem verborum structionem cum attentione legendum, atque ex causa mox dictorum m excerpendum mecum constitui, memoratu digniora tecum, si volueris, ːns communicabo. Vix mihi persuadere possum, id tibi otii fuisse, ut vel dem mecum momenti causa, vel ob seriem mensium, qua hi positi sunt ʾassionali, exemplar illud legeris: nam heic constanter per omnes Junii *Czerwenec* ponitur, et sequentis mensis Julii dies, miefyécze *Cžerwna* ›inde non scripta e.... ut etiam alibi *Cžrw* vermis] appellantur. Ita die Julii: Miefyecze Cžerwna dne Dwaczateho druhe° Hod fwate Marzie ;daleny. Itaque subscriptio chronologica editionis: Ten vtery przed Swatu ·zy magdalenu. Miefycce Cž[in fine lineae exempl. Bibl. Caes. non excusis s er *v*. r.]wencze dne pofledniecho ·⁚· diem ultimam mensis Junii more ʾassionali observato indicat. Habesne seriem mensium ex Kalendario ae 1489 edito, excerptam? sed nomenclatura bohemica.

Sex anni tempora majores nostri identidem ex Gen. VIII. 22 paulo alia ːllatione sumere potuerunt sicut Judaei totidem vocabulis, sed iisdem:
4 5 2 3 6
' זרע יקציר יקר יחם יקיץ in distinguendis anni temporibus usi sunt, si seriem Iichaelis spectes. Accipe has meas observationes eo animo, quo ego tuas ɔere soleo et pro nuper mecum communicatis notitiis literariis praesentes ·cto. Sed tuae ut plures sunt, ita etiam nova eruditione me magis de-nt: sed fors etiam haec notitia, quam mox dabo tibi, aeque grata erit.

Nosti ea, quae de Martino Lupacio ad diem 20 Aprilis adnotavit Pro-us Lupacius, qui Martinum a. 1468 obiisse perhibet nihilque de versione i Testamenti ab illo adornata memoriae prodidit; sed ista post Apocal. ɔd. manuscripto chartac. in folio N° inter codd. recentiores 2128 Bibl. . totius N. Test. bohemice ex vers. Vulg. redditi subscriptio: Tak fe awa zakon | nowy a gt wykladu | knieze Martina lupacze | w nadiegi wierne ho a fwateho muze y s | ginymi pocztiwymi a | mudrymi knie-Buˈdiz bohu chwala na wie ky wiekow Amen ', quid prodat, jam intel-ti. Contuli quaedam loca hujus versionis Lupacianae cum principe nostra one 1475. Matth. I, 1: Kniha *vrozeneho*, sed. ed. princeps: *naroda*. C. IV. 6:

Ostali syn bozy ed. princ. *ač syn bozi gsy* Sed vers. 9. utraque. *ač* padna. [Quod autem censes de illo miro consensu cap. VI. de liliis agri **не прядут** edit. *Ostrog.*, ani *przadau* ed. Lup., ani *przadau* edit. princ., quia pericopa haec ad illam collectionem *de cultura lini apud Slavos* aliquo modo pertinet, videbo illam in omnibus exempl. diversarum dialectorum ejusdem nobiscum originis slavicae, quae in Bibl. Caes. servantur.] Cap. IX, 22. Lupac. tantum: wiera twa tie zdrawu večinila; sed ed. prin. *doufaiczi* wiera twa. Ex antiquiori exemplo mihi videtur editio princeps excusa, ac sit versio Lupacii: in ista enim Lupaciana pauciores sunt archaismi: nec illa lectio singularis quam edit. princeps, cod. ms. Žerotinianus, atque mss. theologicum in exposit. Evang. S. Joann. cap. I. bohemice perscripta, laudato cap. I. v. 14. non in praeterito perf. *habitavit*; sed in futuro: *przebywati bude* habent. Versio Lupaciana consuetam lect. in praeterito servavit; sed I. ad Cor. X, 17. cum septem codicibus latinis Biblioth. Caes., quorum unus est familiae bohemicae [in Bohemia scriptum intelligo ab homine Bohemo], qui hanc lect. habent et *de uno calice participamus*. Codex N° L. omnibus praefatis antiquior non habet in textu hanc lect. I ad Corinthios X, sed in margine alia recentiori manu scriptam.

Sed jam cogor plura in sequentes ferias dierum Saturn. differre, quibus ad te omnino redditurus sum, quidquid tibi per moram ex occupationibus inductam literarum teneor. D. Gelinek *in concursu* pro boh. l. prof. officio obtinuit *primam classem cum eminentia*, aeque ut d. Werschauser. Sed hucusque nihil rescire potui, uter assumtus fuerit. Quod primo loco a me scribendum erat, id sub finem epistolae pono: gratiarum actionem nimirum humanissimam pro illa congerie notitiarum *de cultura lini apud Slavos* et pro omnibus reliquis notitiis literariis. Non te celabo, quid me induxerit ad hanc de cultura lini quaestionem: Helmoldi Chronic. Slavorum post ferias autumnales restituta valetudine ex proposito integrum legi; attentum me reddiderunt l. I. cap. XII. verba: *de omni Wagirorum sive Obotritorum terra tributum, quod scilicet pro decima imputabatur, de quolibet aratro mensura grani, et quadraginta* **resticuli lini,** quae duo ultima vocabula vel ideo me huic rei magis intentum reddiderunt, dum assumto Dufresne Glossario priorem ex Helmoldo receptam et illustratam legi: *fasciculus lini reste ligatus*. Longe magis in culturam lini apud Slavos excitatus sum istis cap. XXXIX. verbis *Porro apud Ranos non habetur moneta, nec est in comparandis rebus consueta nummorum, sed quidquid in foro mercari volueris, panno lineo comparabis*. Visa est itaque mihi illa quaestio momenti non tantum ad rem agrariam, verum etiam ad literariam ad prime pertinentis in originibus ethnologiae Slavorum et artis chartariae. Sed jam chartam plicare debeo; vale meque amare perge. Salutem dicunt, quos salutatos volebas. Cl. Denisius gratias agit pro illa benevolentia animi, sed Bibl. Caes. jam habet illud Missale Olom. Viennae impressum. Iterum vale!

XLIII.

1789 — 28. března. Durich zmiňuje se obšírněji o pravopisu staročeského zbytku »o apoštolech«, o slově »koba«, o slovanských jménech měsíců, o staročeských překladech písma sv., o písni české z r. 1562, o Rokycanově slovníčku a končí drobnějšími zprávami.

Vinnae 28. Martii 1789.

Jos. Dobrowskyo suo Fortunatus s. p. d.

Recte quidem tu scribis: chz nihil aliud esse, quam czz, id est modernum č = ч cyrillico; confirmatur quoque formatio *τοῦ* z. Forma *τοῦ* 7ι etiam sec. XI. codice Caes. inter mss. theolog. N⁰ DXCIII. membr. in forma 4., in quo Cantica Canticorum lingua theotisca satis eleganter scripta continentur; sed laudata literae forma superne quendam apicem habet, et inferne non est tam *sinuosa*, vel, ut ita loquar, non habet talem *isthmum*, ut tu formasti; sed in hunc modum e. g. pag. 2 folii 10. formata est: Dın uzgegozzen — in eundem modum, exceptis apicibus supernis formantur nostra zz in antiquissimo fragmento boh., saepius tamen inferior apex magis deductus est; g) autem ihil similius esse potest: sed proxime utrumque manuscriptum conferam ıntiquariorum diligentia, ut certior reddar in mea opinione: puto enim ıostros populares Germanorum imitatores fuisse in literarum formis ex.randis. Haec similitudo inter antiquiss. frag. et cod. istum intercedens, addit ›ondus antiquitati, quam tu mecum fragmento tribuis; jamque minus vereor ısseverare XII. seculi monumentum esse, seu non esse inferioris aetatis, eculo duodecimo. Velim autem illa, quae de chz et czz tecum sentiendo cripsi, tantum de vi et potestate intelligas, non autem de origine formae cribendi ex non assecuto valore literae: nam, ut nihil dicam de praestantia ıntiquitatis, qua fragmentum codices separat formam *τοῦ* czz referentes, non ›otuit forma scribendi chz ex lecto h pro z ideo oriri, quia 7ι7ι gemina, genino hh isthoc errore reddere conveniens fuisset; etsi tibi lubens concedam, ılias vel a Dobnero aliisve pro z lectum h. Jam quod ad modum attinet cribendi sonum *τοῦ* ч, quem nosti Slavos habere communem cum quibusdam Asiae et Europae gentibus, video mirum consensum assumtarum literarum ch in provinciis longius dissitis Patere, ut tibi ex cl. viri Georgi Alphabeti ibetani cap. VII. N⁰ III(?): »Plerumque etiam fit, ut idem in loquendo sit sonus vocis, licet, si vox ipsa scripto exprimatur, alia fortasse videatur. Sic ch, quod scriptum lusitanice et hispanice videris, Itali efferunt ut c ante e et i, Germani vero fere ut tſch. Idque non inutile scitu Bayerus tradidit lib. I. Gramm. sin. cap. I. num. IV.: Hinc intelligis, cur ille Ɉ', exempli gratia, ore germanico pronunciet ut tſcha, nos vero Itali ciha«. Nosti melius ipse Anglorum scribendi modum istius soni: non scio, quam antiqua sit haec Lusitanorum, Hispanorum, Anglorum orthographiae ratio, croaticam tamen, qua ch nostro cž aequivalet, antiquissimam esse scripsit cl. Jambressich in orthographia lexico suo praefixa: De consonant. lit. C. *Tertium:* »Quando lit. c efferri debet tono duriore sive ante vocales sive post illas posita sive nonnullis consonantibus, ut l, v, etc. praeposita, tunc juxta antiquissimum Croatorum usum illi adjungi debet lit. h, cui aliquem sui tonum communicat,

et aliquem a litera h, ad modum liquescentis participat etc.; hunc ipsum tonum per se habet litera illyrica ч. Cum vero tu scribas croaticam hanc orthographiae partem, qua ch nostro cž aequivalet, longe recentiorem esse, videris mihi contra Jambressichii assertionem habere rationes, quas ex te rescire vehementer cuperem; quod si mavis, ut dicam: Fragmenti formam chz, quod ad ch attinet, croaticae orthographiae aliquid redolere, quatenus et Lusitanorum, Hispanorum atque Anglorum identidem aliquid redolere videtur, non habebis forte, quod opponas. Sed, ut ex ista rerum tenuitate, quam tamen Quintilianus grammaticis commendat, ad etymologiae rationem vocis *koba* transgrediar, mirum in modum tua interpretatione, quae mea longe melior est, me et profess. Alterum induxisti, ut pone me in Bibliotheca sedentem cl. Whille, eruditum Anglum, causa colligendarum antiquitatum peregrinantem, rogaremus: an in anglo-saxonica dialecto exstaret nostrae voci et significatui simile vocabulum? Haec equidem quaestio Altero linguae anglicae perito incidit, ad quam eruditus ille Anglus mox respondit: in Decalogo verbum ejusmodi occurrere nunc jam obsoletum: to covet, *cupere*; covetous *cupidus*. Vides, in quem modum o cum u, v cum p commutentur; nobis itaque videtur, si cum cl. Leibnicio aliisque etymologiae rationem instituere velimus, in eundem modum radicalem partem verbi *cupere*, esse in slavon. *koba*. Placetne hoc originationis genus? De commutatione literarum *p* cum *b* nihil controversiae interveniet: cum tibi *clavis mutationis elementorum* etc. Alb. Schultensii nota sit; imo probe scias grammaticae philosophicae principia; et in nostra dialecto non ignores, unde sit oppat, et mihi meliorem originationem ingenue dicturus sis τοῦ пѹстъ, et, quae nosti, nostro usu inde deductorum, si mea ex *busto* minus idonea tibi videbitur. Et historia seu antiquitates, et ea, quae grammatici heic exigunt ad etymologiae rationem, adesse videntur.

Quod ad menses Junium et Julium attinet, qui in Passionali Pragensi anni 1495 *czerwenecz* et *czerwen* constanter dicuntur, omnia monumenta colligo, ut haec nostra chronologiae particula illustretur, quam noster piae memoriae Adauctus exponere incepit. Gaudeo, in manuscripto slavico Olomucensi identidem Julium appellari *czerwen*, quod utique et antiquitatis consensum firmat, qua iste mensis in Passionali *czerwen* quoque nominatur, et auctorem Passionalis a mala confusione vindicat, qui cum fuerit citatus in Disputat. Rokyczanae et Hilarii, videtur mihi apud nostros homines antiquitatis auctoritatem habuisse. De consensu cum Brunensi antiqua editione jam ad te scripsit cl. Zlobiczky. Quid mirum, si apud nostros homines non sit in mensium appellatione concordia, cum et graecorum mensium distributio alia sit secundum Gazam, alia secundum Scaligerum; sed, ut istius distributio confirmata est marmoreis inscriptionibus, ita et nostra idoneis quibusdam poterit firmari monumentis; Bohemarii et quorumvis vocabulariorum, praesertim si apographa sint, non mihi videtur esse talis auctoritas, quae omne dubium tollat.

Nil gratius mihi facturus es, quam si aliquando, ut scribis, notas mihi dederis, quibus discerni possit antiquissima recensio codicis s. bohemici ab aliis recentioribus: hoc tamen de me nolim opineris, ut de his causis, quas

adduxisti, elicere velim bohemicam vers. e slavica adornatam; foret hoc eliciendi genus contra regulas verae artis criticae. Exempla sequor illustrium et probatae auctoritatis virorum, nec tamen sine scrutinio meae rationis et sine exemplo factorum ad judicium hermeneuticum revocato. Credisne editionem Fratrum celeberrimam ex illa Venetiis 1506. refictam, cum ista Vulgatam latinam, illa vero originarios textus referat? Et nihilominus historico monumento certum est, quid de usu Venetae editionis in adornanda nova Fratrum seniores decreverint. Credisne aliter editores Wenceslainae, sic dictae primae editionis se gessisse, ac illorum praefatio sit exarata? Fidem habeto mihi et Faustino Procházka laboris socio, dum novam editionem curaremus, certis vestigiis a nobis deprehensum, Fratrum editionem Kralicensem notis instructam ita ab illis ad novum opus usurpatam fuisse, ut nihilominus post summam in commutando adhibitam diligentiam, tamen certa vestigia manserint laudati usus. Cur igitur tibi minime placet ille meus criticus conatus, quo pro veritate simplicius ago? Scio, in quem modum ab aliarum linguarum hominibus s. codex refictus fuerit; ex haud exigua parte scio vestigia hujus refictionis in codd. glagoliticis; ad haec scio, a quibus Bořiwojus cum sociis conversus fuerit ad religionem christianam, qui saltem sine *pensis Evangeliorum et Epistolarum* et sine sacerdote domum non rediverit, quod quidem indicio mihi tantum est, non vero certae probationi. Verum est, inclino in eam sententiam, etiam difficultates sentio talia vestigia investigandi in nostris codd. bohemicis, qualia supersunt vel in impressis antiquioribus glagoliticis: cum nostri codices saepius refícti fuerint ad Vulgatam lat. et ex Antehussianis exemplis nulla recensio mihi sit ad manum praeter quaedam fragmenta; sed hoc tamen non negaveris, etiam ibi, ubi nulla *vera varians lectio* gr. occurrit, sed solus consensus in modo reddendi voces graecas Slavo interpreti usitato, et in methodo nostri alicujus exemplaris antiquioris usurpata invenitur; cum primis in locis difficilioribus, tam diverse ab aliis redditis, quam diversi fuerunt interpretes; hoc, inquam, non negaveris aliquid redolere communis derivationis. Exempli causa: Si participia graeci textus non resolvantur in relativum qui — et tempus modi finiti, ut hic modus est nota characteristica versionis Vulg. post Italam formatae, sed reddantur eodem, participio. Quid judicares? si hanc partem historiae evangelicae de muliere Samaritana Johann. IV. 11. *οὔτε ἄντλημα ἔχεις*, non illa verborum forma V. — *neque in quo haurias habes*; sed ut Slavus interpres reddidit, translata invenires? Tu ipse nosti, qua prudentia vetus vocabulum *δαίμων* Slavus interpres nomine бѣсъ reddiderit, praesertim si usus verbi бѣсню сѧ spectetur, quod nil aliud, quam *insanire, furore obripi aut corripi significat*: cum igitur non vulgarem, sed melioris sensus vocem etiam MS. lycei vestri an. 1417 — nimirum *bies* saltem vigesies habeat, ubi non occurrit eadem vox, recentiorem utique mutationem redolet; [quod ad nostrae familiae codd. attinet, dabo huic voci investigandae operam] ubi vero occurrit, indicat suum fontem: non enim diversi interpretes in reddendis vocibus difficilioribus adeo consentientes esse solent; Hexaplorum fragmenta nosti. Habeo loca quaedam adnotata, quae mirum in modum consentiunt cum slavonica; cur ergo in sequioribus nostris recensionibus, quod ad unum eundemque locum attinet,

Disputat. Rokyczanae et Hilarii fortasse noveris, et S. Andreae, si bene memini. Gratissimam rem pra obsoleta collegeris et praecipue simplicia, aut forn hac in re opus esset aliqua regula, qua dirigi possen ligat ea in usum alterius, quae alter jam ante colleg hac in re vix unquam nimius est.

De Nerone, qui scripserit, nullum novi. In Bibl. I' dubito similis argumenti manuscripta extare, saltem nudus sum, ut tecum tot armis instructo vix unquam gredi liceat. Patiar autem libenter me omni officiorum amicitiae sinceritate non patiar. Rursus ad nostra: Ju mones in Passionali. Et hoc antiquitatem probat. Nam a Julio hac ratione, uti nunc, distinctus fuit, sed alio in vocabul. Rozcochanii sec. XIV. Junius est *cžrwen* reliqua nomina cum hodiernis congruunt. Interim ta menses Junium et Julium in Passionali puto, cum et Bol canat: *May* Majus, Junius *czrwen, czrwenecz* Julius erit. antiquum aliud Bibl. Clem. Y. I. 1. n. 14., cujus copiam hab (pro czr-), Julius *czrwenecz*. Ceterum noveris bohemica n currere etiam in Pulkawa, h. e. in boh. versione Chronici dicti, quem ego non auctorem, sed interpretem multis possum.; ita ut Pulkawae opus, versio nimirum e latino ab interprete diversi, omnino bohemicum sit, non latinum. *prosynecz*, non ut nunc *prasynecz*, quamvis idem omnino et Poloni prose porcum vocant, in Continuatore Cosmae sed locum citare nequeo, cum diu quaerens illum invenire vix me fallit memoria. Slavica mensium nomina, quae certe quamvis sec. X. aut XI. vix superent, plurima conveniun quae Voigtius non optime explicavit. Ex manuscripto sla quo jam alias plura scripsi, ea tibi recito: September *rjujen*, November *gruden*, December *studenii*, Januarius *prosinecz*, F Martius *suchii*, Aprilis *berezezol*, Maius *trawen*, Junius *izok*, Augustus *zarjew*, est enim nota super *š*.

Hruden est etiam Bohemis notus; sed pro Februario int inde in vocabul. embolismus hruden redditur. Conferri hic mensium croatica et polonica. Adde *sarswy*, scribi in Bohe Septembri. Item *Adar* 2 Macch. 15, 37 reddi *podiesen* in m bibl. lycei Olom. Est autem *podiesen* in Vocabul. Rozcochanii *jesień* pol., jeszen croat. et carniol.

De Lupacio Martino, pio et docto viro, quae detexisti. Hoc mihi jam persuasum fui ab eo tempore, quo manusc solertius excutere coepi, t fuisse praecipuas recensio primam ante Hussianam post Hussum, 3tiam Lupaci gistrorum Pragensium ad quam sunt 1488 et Kuttenb. 1489, omnes, s, sequ editio singularis est v ibi ali quibus

Sed jam angustia chartae me commonet, ut tibi novam accessionem rei nostrae literariae, in Palat. Bibl. latitantem describam. In cod. ms. theolog. chartaceo in 4to N^{0} DCIV. sub principium exstat *apographum* (ut opinor), cantici epinicii in ludos circenses Pragae 1562 habitos, lingua bohemica scripti a Georgio Trniczky de Trnicze; in his primum ἆθλον obtinuit Carolus Archidux, secundum vero Egnes Joannes Dlesko Chynsky de Wchynicz et de Woparna. Stropha 9^{a} sub finem canitur: bylo gich sedmdesat paru, kterziz w tom turnagi honili spolu.

Strophae sunt 23. Dualis numerus Stropha 6ta:

Potom gini w turnay ſſlij muzſky ſe potykali
Až przifflo na dwa sobie protiwna
Tij bez litoſti k ſobie hnala
Až wobadwa s koňmi na zem upadla.

Sed cod. DXCVII MS. theolog. chart. in 4to mihi magis placet.

Spicilegium quoddam vocabulorum et phrasium nostrarum a fol. 80 usque ad 85 in eo continentur hac inscriptione praefixa: »Vocabula poſt magistrum Rokycanum pie memorie.« Ex hac sylloge colligitur, quam procul distent novelli quidam nostrae dialecti interpretes recentiores et contentiosi, quos tu in Promtuario perstringis. Sed Rokycana ab elegantia sermonis patrii commendatus meo arbitratu ita se gessit, ut velles. Accipe parvum specimen: »Redundabit in vos: budett na waſſ. Exiguo — nestateczne^{v} chudemu. Student avaricie — ſtogie o lakomſtwie. Infixit desiderium — vprziel ziadoſt. Non est volentis, neque currentis — nenie na tom gto chcze ani na tom gto dobre ſkutky czini. Qualitates — Zpuoſobiloſti. Ex condigno — Z ſweho zaſluzienie. Correlarium — Wybierek. Dispar exitus — nerowny konecz. Teneritudo — Vſſlechtiloſt. Illabitur — wlewa ſie. Quid superest — czieho geſſtie cziekaty.«

Porro in septem paginis in duas columnas divisis (idem de priore opusculo intellige) sequuntur pluribus latinis vocabulis correspondens unum vel duo bohemica:

Specimen illorum:

Archa
techa
ciſta
scrinia
capſa
capſula
capſella
pera
} Skrzině neb truhla

Proxime cum mss. et editis codd. armenis Zamoscio in Bibliothecam Caes. adferentur epistolae ruthenicae in uno codice manuscripto membr. contentae. Quanta habeo tibi perscribenda! sed non possum modo omnia tibi propter angustiam chartae referre. Hoc tamen attingam: ex illo supra laudato erudito Anglo, qui fragmenta Rhemis servata manu sua tractavit, et anglica lingua notitiam ab Altero latine redditam nobiscum communicavit, esse et cyrillicis et glagoliticis literis exarata. Jam vale et me amare perge.

Nec liber: Preussische Zehenden, nec illi recentiores de rebus slavicis agentes, quos adeundos monuisti, sunt in Bibl. Caes. Pro d^{o} Ribay jam duos libellos habeo. Iterum vale.

XLIV.

1789 — 3. května. Dobrovský opět zmiňuje se o pravopise staročeského zbytku »o apoštolech« a o slově »koba«, podává výklad některých slov, pojednává o názvech měsíců, o překladě staročeském písma svatého a končí drobnějšími zprávami.

Fortunato Durich, amico suo, Jos. Dobrowsky.

Utcunque se res habeat cum ratione scribendi et exprimendi τοῦ *chz*, nihil jam obmonebo; modo non dicatur, in *ch* scribendo Bohemos secutos fuisse Croatas, utpote qui multo serius, quam nos, latinis literis usi sunt. Antiquissimum Croatarum usum opponit *Jambressich* recentissimo mori italico; fere, ut nos antiquissimum librum vulgo vocari audimus, qui sec. XVI. impressus sit. Hoc tamen addo *ħ* in codicibus latinis, uti illo Cosmae, qui Bibliothecae Caes. donatus fuit ab Equite de Wokaun, melius exprimi, quam in illo cod. theol., quem tu excitas. Deinde *cħz* eo modo scribi potuisse pro czz judicavi, quomodo fs scribi solet pro ff, vel apud Germanos *ß*, fz, pro *fs* seu duplici vel forti *s*. Interim quae pro *ch* adduxisti, tuam stabiliunt sententiam.

Koba, cum sit derivatum, mea opinione, et *oba* ad formam, non ad radicem pertineat, non possum slav. *koba* cum latino *cupere* comparare. *p* enim in *cup*-ere radicale est. *cu* quidem cum *ky* convenit, sed *cu* etiam in *cudo, cubo, cutio* ac aliis habetur; nihil ergo praeter significationem *koba* cum lat. *cup*-io mihi habere videtur cognationis aut affinitatis. *b* et *p*, utpote literas ejusdem organi, permutari posse scio; sed dum slavica ignota explicare volo, non confugio ad haec aut similia praesidia; nam permutatio τοῦ *b* et *p* non est ordinaria. *Oppat* est ex germ. *Abt*, in quo *b* ante *t* ut *p* pronunciatur; sicuti *pant, pentle* ex germ. *Band, Bändel*, non quod *b* mutetur apud Bohemos in *p*, sed quod Germanorum *pars b* ut *p* pronuncient; unde *Puſt, puſtý* etc. non refero ad *bustum*; hoc enim est ex verbo *buro*, bussi, bustum; nec significatio satis convenit. *puſt*, cum germ. *wüst*, lat. vastus jam contulit d. *Adelung* et quidem rectissime, ut ego quidem censeo. Nam *p* in *w* aut vice versa *v* in *p* mutari posse, constat; uti nostrum *wčela* ex *pčela*, apicula, ortum est. Slavicum tamen *pust* antiquius esse judico germanico *wüst* et lat. *vast-us*; quamvis non negem, exempla etiam suppetere, in quibus *w* antiquius sit, quam *p* aut *b*; *příbuzný*, uti scis, certe ex *přiwuzný*, conjunctus, cognatus est ortum, et *wuzný*, ex *wuz, vz, vzel,* croat. *vez*, vinculum, nodus etc.: *juznik* in epistola Pauli ad Philem. est in vers. cyrillica *vinctus*.

Sec. XV. non nego *čžrwenec* appellatum Junium et *cžerwen* Julium. Hoc nego, hanc denominationem ab antiquitate repetendam, cum antiquiora monumenta omnia contrarium evincant. Vocabularia antiqua, non utique apographa, sed Bohemarium vere anno 1309 descriptum, quomodo spernere possis, non video. In MS[to] Olomuc. slavico dicis Julium appellari *čerwen*, et tibi gratularis. Atqui *čerwen* hic non Julio, si mensium omnium series ad nostram reducatur computandi rationem, sed Junio respondebit. Hunc Poloni *czerwiec* appellant; unde Weleslawina in Sylva: *čerwen, měsýc letní od čerwce*, num forte ille ad appellationem polonicam respexit? aut *čerwec*, a *čerw* diminu-

tivum in mente habuit? Julium, *druhý měsýc letni* — *čerwenec* vocat, uti nos et ante nos jam Pulkawa, interpres chronici latini, jussu Caroli IV[ti] collecti. Editionem Francisci Procházcae, quaeso inspice, sed notam b) p. 227 prius velim inspicias, ne fallaris. Contuli ego, si credere velis, omnia loca Pulkawae, in quibus nomina horum mensium occurrunt, et comperi, illi Junium esse *čerwen*, Julium vero *čerwenec*. Hoc certum est, utrumque mensem olim appellatum *čerwen*, nimirum primum et secundum; unde ordo noster: *čerwen*, *čerwenec*, quasi alter *čerwen*. Interim non nego primum *čerwen* vocatum fuisse parvum, alterum magnum, unde ordo in Passionali desumtus. Putavit namque sciolus aliquis *čerwenec*, h. e. secundum *čerwen*, non posse majorem dici; nimius etymologiae investigator. In MS[to] Cerroniano, membranaceo, sec. medii XV[ti], in quo praeter alia multa et liber medicus: *Poklad chudých* dictus exaratus est, in hoc mensium nomina hoc ordine leguntur — subjunctis regulis diaeteticis: *hruden* aneb *leden*; *vnor, brzyezen, mag, duben* NB. *mag, duben*, NB. NB. NB. *czrwen menſſy*, »*czrwna maleho med pyty geſt welmy nezdrawo*«, *czrwen weliky*, NB. iterum, *cžrwen*, sine epitheto; *ſrpen, zarzyg*, gen. *zarzyge*, (uti *kyg*, *kyge*), *lyſtopad, proſynecz*. Vides tu hic erronee Majum praeponi Aprili, *čerwen malý* praeponi *čerwen* majori, unde alii *čerwenec*, secundum *čerwen* praeposuerunt τῷ *čerwen* primo, qui melius, uti ego judico, aliique ante me, *čerwen* sine epitheto dici potuit, cujus socius ejusdem nominis, quod primum sequeretur, jure appellatus est *čerwenec*. Quod si a vermibus, uti sane videtur, dicti sunt hi menses, nescio, si vermium copia spectetur, quae istis mensibus gignitur, uter illorum dici debeat major; primus certe, numerandi rationem si spectes, Junius est, nempe *čerwen*; quo dato alter *čerwenec* commode appellatus est. Quis enim *čerwenec* prius concipiat animo, antequam *čerwen* innotescat? Sed tu sentias, quod velis; sunt enim judicia libera.

Patere etiam tu, ut dissentiam, dum versionem boh. ex cyrillica adornatam aut refictam opinaris. Placet quidem modestia tua, quod nolis integra biblia ad hanc normam exacta fuisse, verum solum partem aliquam, lectiones nimirum evangelicas et epistolarum. Ergo concedere mihi videris, a Borziwoji sociis, qui ei dati sunt, non fuisse allata integra biblia. Ego, ut verum fatear, adhuc dubito Borziwojum a Methodio baptizatum. Examinatis enim rationibus historicis, non video, quomodo id certo defendi possit. Interim hoc do, sed nego ritum slav. in Bohemiam, alterius episcopi dioecesi jam subjectam, introductum esse, uti nec in Moraviam hodiernam invehi potuit, quod haec pareret Passaviensi episcopo, et dialectus serbica non intelligebatur a Moravis, quorum episcopus Wichingus contra ritum slavicum stabat et contra Methodium. Sed sinamus ista, utpote obscuriora. Hoc agamus, utrum extent vestigia vers. cyrill. in vers. bohemica, qualia e. gr. extant in editione vestra anni (18)78 et 80 ex Pragensi anni 1488, aut quae cum hac omnino convenit, Kuttenbergensi, aut qualia extant in bibliis Fratrum summa diligentia ad fontem hebr. exactis ex Veneta vel potius Melantrichiana. Ex hac postrema sumsisse Fratres plurima, imo vocabula, si spectes, vix non omnia, ego quotidie convincor, dum Melantrichiana anni (15)70, Kuttenbergensia, Fratrum et vestra normalia saepius confero; mireque delector,

dum observo, a posterioribus editoribus subinde sensum a prioribus clare expressum, obscurioribus verbis redditum. Jesuitas ego hic intelligo; non eos, quibus nec datum tempus fuit, ut meliora praestarent, quae possent et vellent. Editorum omnium diligentiam dum perpendo et tamen video, vestigia plurima superesse e. gr. Pragensis editionis primae aut recensionum Antehussianarum: puto et hoc jure postulari, ut, si ex slav. vers. bohemica reficta sit, aliqua saltem vestigia, post tot vel a me solo et a te collata loca, deprehendantur. Atqui mihi saltem nihil unquam occurrit, quod me vel in eam sententiam inclinasset. Diligentiores et accuratiores, jam ante Hussum, fuisse interpretes non possum mihi persuadere. Historicis immo argumentis certum est, biblia vernacula vix lecta fuisse a quopiam. Verum tu observasti, participia graeci textus non resolvi in relativum qui, uti Vulg. interpreti solenne est; sed reddi eodem participio — eodem? quo Graecus aut Slavus reddere solet? Hoc ego fieri debuisse existimo propter linguae utriusque genium; nec adeo boh. versio in reddendis participiis cum slav. convenit, ut non omnia etiam hoc modo, uti in boh. leguntur, reddi e Vulgata lat. potuerint, e. gr. quomodo tu, Judaeus cum sis — Joh. IV., 9. reddita sunt: *kterak ty gſa židem* Quomodo haec, quaeso, aliter reddi potuissent? Natura linguae nostrae hic participium exigit; nam et vulgus iis utitur aut saltem utebatur olim. Quomodo, ut aliud exemplum proferam, Joh. V. 2. *probatica piscina* in edit. anni 1475, principe nostra, reddi potuisset: *ſkuſſeny rybnik,* si slav. versio unquam norma fuisset versionis boh. Refictos tu ais, codices ad latinam Vulg.: at quomodo? itane, ut singula vocabula adnumerarentur? num vero ita, ut solum sensus obscurior clarius redderetur atque errores aliorum hac ratione corrigerentur? Totum refictionis seu recensionis opus in eo situm erat, ut vocabula vocabulis substituerentur, usitatiora nimirum aliis minus usitatis; flexiones vocum obsoletae expungerentur et alia similia. Non vero, ut tu sentire videris, studio summo reformatam et ad Vulgatam exactam versionem boh. Levacovichii Psalterium glagol. contuli, in aliquot psalmis, cum cyrillica — singulis versiculis, quamvis ad Vulg. mutatis, tamen semper vers. cyrillicam contineri deprehendi. Ergo quod vitari non potuit summa diligentia, quae ei commendata fuit, hoc factum fuerit casu a nostris, nemine jubente? Quis hoc sibi persuadeat? Sed urges: quid si Joh. IV, 11. ἄντλημα *počerpadlo* vel *črpadlo* sit redditum? Respondebo redditum esse: illud, quo hauritur, — nam *čerpati* seu *črpati* est haurire; instrumentum seu vas, in quo hauritur — est *počerpadlo* seu *čerpadlo;* uti *poſypadlo* a *poſypati* et alia innumera. Nihil ergo video hoc in loco, quod sumtum sit e vers. slavica; uti nec in aliis, in quibus pro daemonio *bies* legitur. Nam spiritus *bies* omnibus Slavis notus fuit. Ob eadem attributa, propter quae Cyrillus daemonio substituit *bies*, nulla quidem prudentia, quantum puto, sed errore communi omnium veterum, corporum vexationes spiritibus quibusdam adscribentium, in vers. boh. *bies* positum esse existimo. Si Deus *bûh*, spiritus *duch*, infernus *peklo*, coelum *nebe* reddi debuit, quin opus fuerit vers. slav., cur non daemonium *bies* verti potuisset? Quod serius pro *bies* diabolum *diabel* substituerint Bohemi, nihil miri est; nec in hoc lat. Vulg., sed potius germ. vers. et falsam opinionem, quae diabolum et daemonem confundit,

secuti sunt; germanicas vers. a nostris inspectas multis exemplis doceri potest: unum solum proferam, quo tuam stimulari velim diligentiam, ut eam, quam impendis indagandis vestigiis vers. slav., utinam non frustra, aut saltem aliquam partem impendas vers. ant. germanicis, e. gr. ei, quam habes Vindob. tempore Vences. IV. scriptam, ergo et in Bohemia sec. XIV. notam. Discipuli in MS. Antehussianam recensionem continentibus semper fere redduntur boh. *mlažſſi*, h. e. germ. die Jünger. Parentes *ſtaroſty*, ex germ. Ältern; alias *otecz y mátie*, nam *rodič* olim, uti in Pulkawa, cognatum significabat, uti hodie *rodák* apud Polonos.

Talia plura deprehendi. Versionem slavonicam innotescere potuisse Bohemis per Benedictinos Sazavienses aut Emautinos non nego. Verum interpretes boh. hac versione usos nego, quia usos fuisse neque historicis, neque philologicis seu criticis rationibus evinci potest, vel si mavis, evinci potuit. Primus ego victas dabo manus, si me convinceris vel *unico exemplo.* Matthaeum Philonomum, qui abbas fuit in Emaus, exscripsisse boh. literis psalmos aliquot e cod. slavico glagolitico, quem in monasterio suo adhuc tempore reperit, scripsi, et res certa est. Sed vel ideo vocabulum unicum mutatum in vers. boh. nego; imo ipsi Emautini bibl. boh. glagoliticis literis descripserunt, nihil omnino mutantes. Quid enim opus fuisset, cum honor major deferretur Vulg. latinae, quam ipsi graeco aut slavico exemplari? Cur tibi non placet asserere, boh. vers. e graeco fonte adornatam? cur e slavonico? Cur tu in adornanda edit. boh. non usus fuisti vers. cyrillica? Quomodo clerus sec. XIII., aut si malis XII. vers. slavonicam vel curare poterat? aut investigare codices, — sufficiebat omnino textus latinus; hunc ille reddere studuit bohemice, — uti cuique facultas et copia linguae fuerat. Quod fortuito Ostrogiae exemplar boh. utique impressum repertum fuerit et inspectum, — non reddit probabile Pragenses aut Venetos editores bibl. boh. codice slavico usos fuisse; multo minus interpretes Bohemos ante Hussum; immo nec Jesuitas, post jam editam vers. slavicam. Supponis tu semper, Evangelia a Borziwoji tempore bohemice lecta, — sed supponis duntaxat. Etiam Hussus credidit vers. slav. ab Hieronymo confectam. Oratores nostri fucum facere volebant patribus conc. Basiliensis, cum illi linguagium sclavicum nominarint quidem, sed intellexerint, non bohemicum, quo ante Hussum et ejus sequaces uti in ecclesiis non licebat, sed slavonicum, quo in Emaus sacra peragebantur, h. e. *etiam in regno nostro.* Rokyczana deinde et missas induxit, cui hoc etiam objectum fuit ab Hilario, quod cantus bohemicos in templis resonari fecerit. Vis tibi Taboritae sacerdotis invectivas in nostros recitem, quibus ille exprobat, lectionem script. in vulgari interdici? Vis querelas Thomae de Štítny, baronis boh. circa an. 1388, quibus sacerdotes carpit, quod lectionem script. s. laicis non permittant? Sed mittamus jam ista, quae tot difficultatibus involuta sunt, ut plane desperem, quidquam erui posse, quo possit controversia hac ita finiri, uti tibi placeat. Nam tu inclinas in id, quod optas; optas autem magis, quam ego sperare possim, te tam felicem futurum, ut et me in tuam trahas sententiam, quam quidem mox amplecterer, si vel *vestigia* quaedam superessent. Etiam mihi magis arrident vocabula per M. Rok. collecta, quorum specimen benevole

mecum communicasti, quam epinicium illud anni 1562, in quo occurrere dualem numerum plane non miror, cum et Weleslawina hoc numero in prosa subinde utatur. Neglectum tandem ab aliis gaudeo, quod hac ratione facilior reddita fuerit inflectendi ratio, quae multos a condiscenda lingua nostra deterret. Quid autem ego tibi referam pro tuis munusculis literariis? Cape interim aliqua, quae ex bibl. MS. lycei an. 1417, quae meo judicio Antehussianam recensionem continent, collegi.

NB. Praefatio illa, quae non nisi in bibl. Dresdensibus, vide MS[ta] biblia n. 15. p. 45. p. II. Promptuarii lit. mei, reperta fuit hactenus, etiam in his exstat — uti et initium Marci plane convenit. Praefationem hanc: *dawniho wieku,* — quae finit: *piſſe a řka*, ego partum interpretis boh. quinque librorum Moysis judico, sive is idem sit cum interprete reliquorum librorum V. Test. sive diversus. Hoc nunc non examino; tantum monere volui, hanc praefationem diligenter indagandam. Vocabula in N. Test. et Vet. frequentius obvia sic redduntur: Daemonium, *bies,* aliquando *dyabel;* parabola, *pouieſt;* Pharisaei, *duchownicзi;* discipuli, *mlazſſie;* Sadducaei, *kacziérзi;* servis, *panoſſyem* Luc. 15, 22.; scribae, *mudracзi;* sacerdos, *pop* Luc. 1, 5; sacerdotium, *popowſtwie* Ibid. v. 8.; senex, *kmet* L. 1. v. 18.; sepulcrum, *row* Psalm. V, 11.; vanitas, *geſſitnoſt;* testamentum, *zpoſobenie* III. Esdr. 9, 56.; Apocalypsis, *taynicзie;* Proverbia, *pouieſti;* paralyticus, *gehožto dna lamaſſe;* Satanas, *dyabel* Matth. 12, 26., sed Marci 3, 22: *Sathan*; leprosus, *trudowaty* Marci 1, 40.; lepra, *trudowatyna* Ibid. v. 42.; paralyticus, *zlamany ote dny* Marci. II.; hydriae, *ſſpichow* Luc. 2, 6.; phase, *przeſtie* Deut. 16, 2.; oblatio, *offiera;* offers, *offierugeſs*; filia, *dczy;* ancilla, *roba;* servus, *robotyecz*; caput, *rozdiel;* evangelium, *čteny.*

Textuum aliquot versionem alias dabo. Nunc his contentus sis, — quae eo animo accipe, quo data sunt. Utique non omnia vocabula talia sunt, quae in sequioribus seu posterioribus editionibus non reperiantur. Tumultuarie ea in chartam conjeci. Tu fac delectum. Ope concordantiarum facile videre poteris, in quibus Strakiana e. gr. differant. Multa inveni ex his vocabulis in *Mammotrecto* bohemice exposito, cujus exemplar manuscriptum in bibl. Caroliensi Pragae extabat, a me excerptum. *Mammotrecti* exemplaria latina in Bibl. Caes. exstare, non dubito; bohemica seu boh. exposita non nisi pro clero boh. confecta sunt. Tu jam vale; meque ama, ut sincere amaris a me.

Maji die 3. 1789.

XLV.

1789 — 21. května. Dobrovský zmiňuje se o některých grammatikách českých a slovanských, zejména o grammatice M. Benešovského, srovnává některá slova, podává zprávu o překladě české bible a ukázky z některých a mimo jiné ke konci též ukázku z rukopisu Cerronianského s poznámkami a varianty a na konci podává výpisky z »Desatera« rukopisu Hradeckého.

21. Maji 1789.

Fortunato Durichio s. pl. Jos. Dobrowsky.

Gratulor tibi et gaudeo mihi de detecta grammatica Benessovini. Nihil puto me ex ea profecturum; gratias tamen habeo, quod notitiam ampliorem

Moravos cum nominarim, hos ego ut *archaismorum* nostrorum custodes veneror, quamvis sequendos non putem. Quis enim cultum negligat, quamvis antiquitatis vestigia non spernat?

Peto, mihi describere velis e Benessovini Grammatica declin. 2^{dam} in e. Praefatio ejus et dedicatio mihi placent. Ejus epistolas, numero duodecim, facultatem concedente archiepis. Antonio vidi saepius, et hic exemplar servatur in bibl. lycei: Epiſſtoly Swateho Ignatia (Hynek enim, ut obiter moneam, Henricus est, posteriorum inadvertentia Ignatius) in 4. sine loco et anno. Plagula ultima *M* signata est. Fuit, ut adnotavi, eo tempore rector scholae ad S. Vitum in castro Pragensi; librum hunc dedicavit: vgcy mému, patruo suo Wenceslao Benessowsky, parocho in Auhonětic. Aliud de Matthaeo hoc nihil scio. Nec puto alia prolaturum P. Procházkam, si consultus de eo Adversaria sua inspexerit.

Praxapostolum, qui Bibl. Caesareae illatus est, non invideo vobis. Pulchritudine enim codicum ego minus delector, quam antiquitate et situ. Nec puto tales codices consulendos, nisi curiositatis causa.

Biblia boh. vel integra plane, vel novum Testamentum, cujus exemplar antiquissimum nosti ab an. 1311 existere, conversa puto sec. XIII., medio vel ad finem. Cum enim Fridericus II. imp. an. 1236 jusserit instrumenta publica germanice conscribi, quod statutum Rudolphus 1272 confirmavit et repetiit, — isque, Fridericus, biblia in germanicum vertenda jusserit, — puto ego hoc exemplo ad simile audendum excitatos Bohemos, quos Germanorum in omni genere culturae imitatores fidos fuisse constat. Asinos autem fuisse interpretes boh. uno exemplo docebo, nisi forte hunc errorem in germ. bibliis reperias, quorum tu copiam ad manus habes in Bibl. Caes.

Ezech. 27, 5, ut facerent tibi *malum* (ex cedro nempe), — versum est: aby tobie twe *zle* vczzynyli, in manuscripto lyc. 1mo et 2do. Kuttenbergensis circumscripsit hoc modo: *drzewo wyſoke proſtřed lodie,* quod *Melantrichus* servavit et in plur. *dřewa wyſoká* mutavit. Vestrum *žežlo* nescio unde sumtum sit; huc certe non quadrat. Malum Weleslawinus *ſtežeň* vocat. Alias *malus* varie redditur. Sic v. 7. *na rzerzabie* in manuscripto 1. et 2. et Kuttenb., quamvis *řeřáb* malus non sit, sed machina quaedam ad elevanda pondera. Isai. 30, 17: quasi malus navis, *yako rzerzabowe*, MS. 1. et 2. *yako drzewo korabowe Kutt.* et *Melantr.* Isai. 33, 23: sic erit malus tuus — *tak bude ſtanowe drziewo twe* MS. 1. ast 2^{dum} —: *tak budú ſtanoue. drziewo twe* scribae imperitia. *Kuttenb.: ſtanowe dřewo.* Melant. autem: *na lodi ſtoyaté dřewo twé*.

Ad discernendas recentiores recensiones vers. boh. ab antiquioribus adscribam hic duos versiculos, quos dignos censeo, ut in aliis manuscriptis investigentur et conferantur. Luc. 7, 34. legit MS. lyc. 1. seu anni 1417 leptacz genzz pie vyno (2^{dum} manuscriptum: žracz a pigcze wina) — przietel geſt neprawych tiezzierzow y hrzieſſnykow (2^{dum} vero: přietel zewnikow a hrz[ieſſnykow]). Alibi pro *zewnik* legitur *zgewnik* h. e. publicanus ad literam versus, unde Kuttenb., cum qua ego Pragensem an. 1488 conspirare semper reperi, zgewnych a taynych hrzyeſſnikow. Cuique conferenti patebit, omnes recensiones inniti uni versioni, quam antiquam vocare licebit. Luc. 3, 5: wſſeliky ſie uwal naplny (MS. 2^{dum}: wſelike vdole bude naplnieno) a bude

uvire (pravum) zpraveno a netrte cieſty budu rowne (MS. 2^{dum}: a budu [intellige: pahrbkowe, quod praecedit], v vieřie [*in fide*, scribae ignorantia, qui adjectivum *uviré, pravum, curvum* non intellexit] w vpřiemne a netrte [part. pass. a třiti] cieſty rowne. *Kutten.: každe* vdole bude naplnieno — a budu *zkřiewene wiecy prawe a oſtre* budu ceſtami rownymi, a qua vix differt Melantrichus, cujus editiones id nobis ostendunt, quod in antiquis manuscriptis factum suspicamur; nimirum textum unius versionis mutatum pro editoris lubitu. Interim tamen apparet, Melantrichum textum editionis Pragensis referre, quem ante illum editiones referunt omnes, pauculis non nisi mutatis, correctis, aut si mavis, subinde depravatis.

Molnari Grammaticam valachicam jam utique inspexeris; Valachos slav. characteres sec. ni fallor XV. sumsisse, ex Büschingii Geographia discere poteris. Notanda erit lit. џ, quam sono italico *g* ante *e* efferunt et dscha appellant. смокинеле, ſmokinele, e slavico *ſmok*, ficus, uti multa alia, derivarunt.

Salagii caput de archiepisc. Moraviensi velim legas atque perlegas; habet enim ad finem fere monumenta quaedam, e quibus apparet, 30 fere annis post Methodii obitum, quem ego inter annos 881 et 887 pono, jam prohibitum in Dalmatia ritum slavicum.

Taboritarum *barditum*, ut hoc Taciti vocabulo utar, tibi dn. Zlob. legendum dederit, quem huic detexi: bſte, zabſte, žádného neživte, spirat audaciam fanaticorum istorum et furorem. Placet tamen mihi aestrum poeticum, styli elegantia, animi fervor et alia, quae tibi certe quoque placebunt.

Num gratulari mihi ausis, nescio. Nihil enim mihi hactenus innotuit. Quidquid statuerint rerum harum arbitri, mihi non displicebit, quamvis, ut verum fatear, nihil minus cupiam, quam honores. Quietem et otium tibi invideo; ego enim ita trahor in alia omnia, ut in rebus literariis vix quidquam conari mihi liceat.

Ex recensione Antehussiana habe tibi Luc. 7, 36 — ex cod. manuscripto Cerroniano, in quo post Caroli IV. Majestatem hoc fragmentum Evangelii continetur. Cod. est sec. XV. medio scriptus, sed fragm. hoc est ex antiqua recensione:

Tehdy geden z duchownykow proſſyeſe Gyezyſſye, aby ſ nym gyedl. An wſſed w dom duchownykow, ſyede za ſſtol. A [1]) tehdy gedna zena,[2]) hrzyeſſnyczye, zwyedyewſſy, ze Gyezis obyeduge w[3]) duchownykowu domu, przyneſſe z byeleho mramora puſſku maſſty: A ſſtogyecz nazad v geho noh, poczye myty ſlzamy nozie geho[4]) a wlaſſy ſwe[5]) hlawi trzyety,[6]) y lybaſſe geho nohy a maſty mazaſſe. To vzrzyew[7]) duchownyk, genz byeſſe geho pozwal, mluwyeſſe ſam w ſſobye rzka: By byl toto prorok, owſſem by wyedyal,[8]) ktera y kteraka geſt[9]) zena, geſto ſye geho dotyka: Nebo hrzyeſſnyczye geſt. A otpowyedyew Gyezis, weczye *k nemu*:[10]) Symone, mam tobye nyeczo powyedyety. A on weczye: Myſſtrze, powyez. y weczye Gyezis: Dwa dluznyky byeſſta[11]) gednomu lychewnyku: geden byeſſe dluzen pyet ſet penyez[12]) a druhy padeſat. A kdyz neymyegyeſſta, czym zaplatyty, odpuſſty obyema. Protož ktoz *geho*[13]) wyecze myluge? Odpowyedyew Symon, weczye: Mny my ſye,[14]) ze ten, *komuz*[15]) ge wyecze odpuſſteno. A on gemu weczye: prawyes rozſſudyl. A obratyw ſye k zenye, weczye Symonowy: Symone,

wydys tuto zenu? wſſel ſem w twoy duom, nepodals my wody mym noham: Ale tato vmyla geſt ſlzamy nohi me a ſſwymy wlaſſy *vtyerala.*[16]) Polybenyes my nedal: Ale tato, yakz geſt weſſla, neprzyeſſtala geſt lybaty mych noh. Olegem ſy me hlawy nevmazal: Ale tato maſſty vmazala geſt[17]) nohi me. pronyezto, prawi tobye: odpuſſteny ſu *gyey*[18]) mnozy hrzyeſſy: ze (hactenus fragmentum).

Notulis illustrabo paucis, tibi hanc Spartam exornandam relinquens. Convenit cum hoc fragm. MS. lycei 1. an. 1417, in pauculis differt, quae forte vix attingi mererentur, nisi te harum rerum curiosum scirem.

[1]) *a* omittit MS. lyc. — [2]) addit: genzz bieſſe w mieſtie obeczna. — [3]) inserit: ſſymonowie duch — wie domye (localis in *ě* pro *u*). — [4]) h. ord.: geho nohy. — [5]) addit: *s*, s ſwe. — [6]) vytierati. — [7]) iterum addit: ſſymon. — [8]) *viediel* cultius. — [9]) addit: toto. — [10]) gemu. — [11]) hoc ord.: *dwa* bieſſta dluz—. — [12]) *funtow.* — [13]) toho. — [14]) *mnym se ten.* — [15]) gemuzz. — [16]) vtrziela. — [17]) h. ord.: geſt umazala. — [18]) gie.

Ex 2[do] MS[to] lycei recentiori haec duntaxat noto: y proſyeſe geho geden *zakonnik,* aby gedl ſ nim a wſed — a ay žena, genž, (uti MS. 1. lyc. omisso tamen *obeczna*) iakz wzwiedie že G. — *ſtoleſe* w domu zakonnika přineſe puſſku maſti (omiss. z *byelcho mramora*). V. 41. peniez, uti fragm. groſſow legit *Kuttenb.* editio. Poteris jam conferre lectiones has cum Strakiano MS., edit. Prag. 1[ma] anni 1475 et Lupaciana recensione. Servire poterit ad illustrandum antiquum illud monum. Bibl. Caesareae, quae ex MS[to] Scherschnikiano, in quo vita S. Procopii primum locum occupat, in usus tuos depromam: *Deſatero kazanye bozye,* rubrum, a fol. 93—118 versibus boh. exaratum est:

»W Zidowſkich geſt knyhach pſano.
wſiem lidē wiedieti dano.
ze buoh tato ſlowa ſwemu.
mluwil lidu zidowſkemu.

Nullam unquam vidi poesim bohemicam, quae tam placide incederet. Adducam aliqua ex septimo praecepto:

(S)edme geſt kazanye bozye. |
Nekradte czuzeho ſbozye.
Troy | lid toto przieſtupuye.
Gymz ſobie | peklo kupuge.
prwy genz czuze | otgyma.
(107a) Toho czrt upeklo pogy|ma.
Ten ſye zly lid welmy rozmohl. |
Bezmale wſe dobre przіemohl. |
Zla knyezata izle hrabie.
w(e)wody | y zle lankrabie.
wladiky kupczy y|chlapſtwo.
Biſkupi mnyſſy zakow|ſtwo.
zle gieptiſky krzizownyczy.
ak|tomu zly kanownyczy.
panoſſyczye | ywladarzy.
wywrzieny zpekla oha|rzy.

wſychny czuze otgymagy.
a|proto tiezky hrziech gmagy.
Knye|zata woyny plodiecze.
achudynu | tiem hubiecze. etc.
— — — — — — —
(110a) Ati genz wzakonye chodie.
Gyz | take zlodieyſtwo plodie.
Kdyzt | zpowiedi poſluchagy.
Akdyz poka|nye dawagy.
Kradu otmaterze | dieti.
vmaczechu welecz ſluſſieti. |
Maczechu wele plodіti.
aſſwu | matku zahubiti.
Kazucze nak|azdy ſnatek.
(110b) wſak kradu knſe|zu defatek.
Geſcze kradu wiecze | toho.

atiech geſt mnychow przięmno|ho.
Kdyſto koho zpowiedagy.
aczye | taienſtwie zwiedagy.
Kdyz mnychu | dię ktery derczye.
aczuzeho ſbozie ber|czye.
Day my dobru radu ztoho.
ucz|ynyl ſem zleho mnoho.
Deſſiet ſem | koſtelow wybyl.
Knyezy oblupil | iprzibil.
kradl ſem prziwedl iprzſe|bigal.
Zehl ſem ſwu ruku wybi|yal.
Tot prawim otcziku myly.
Byl ſem kewſiey zloſti czyly.
Byl gmyel diedyny ſyroke.
nez|platil ſye nykake.
Czo ſem otgy|mal newynnym.
Iztrawil zle zy|wotem ſwym.
Bych chtiel wſech|no nawratiti.
Muſſyl bych ſdiet|my zebratſ.
(111a) Bych chtiel take wſie || platitſ.
Kto by gie mohl wſie wiedie|tſ.
proto zawſe zawynenye.
proſſy | bratr day my pokanye.
Nemohut ſye nycz poſtiti.
any nakteru put | gitſ.
Nayutrzny wſtati nemohu. |
vczynyz czoz libo bohu.
apaterziew*) | nerad piegy.
agynych modlitw neumyegy.
Snadno ſynku toho | zbudes.
acz mne poſluchati budes. |
My gſmy bratrzie welmy chudy. |
Nam gynak nycz neprzichody.
ied|no czoz wy pomahate.
Swu almuz|nu nam dawate.
Zbawugy tye | hrziechu toho.
Czoz ſy kdy uczy|nyl wſeho.
Day my zaty hrziechy | iednu.
kmemu odienyczy hrziw|nu.
Takt czynye zli zpowiedny|czy.
Mnohych lidi przieludnyczy. ¦
(111b) wſwatem piſmye chtiecze bludie.
Krzy|wie nazpowiedi ſudie.
Sylnye przie|lis zprawugycze.
Snadnye hrziechow | zbawugicze.
Czo piſmo weli przigie|ti.
Toho ſye nechtie drrzietſ.
Zpowiednyczy znamenayte.
do|bre przikladу wzymayte.
wy ſye le|karzy wzywate.
Hrzieſnych dus to do|brzie znate.
wizte zet lekarz znemo|czy.
Kdyz myſli wiernye ſpomoczy. |
Gynako nemocz ſtudenu.
agynak | nemocz czrwenu.
Gynak wodne | tele leczy.
agynako bolnyey oczy.
Gyny trank kkazdey nem(o)czy
Kdiz | myſſli wiernye ſpomoczy.
Snad | by uczynyl wieczſy ſtraſt.

Reliqua alia vice. Adverte: fragm. Bibl. Caesar. aeque continere versus quatuor pedum | ‿ ‿ ⏓ | ‿ ⏓ | ‿ ‿ ⏓ | — ⏓ |. Nostri in his rhythmis imitati sunt germanos poetas svevicos, ut vocamus, quorum sec. XII et XIII ingens copia fuit. Nobilitas enim bohema tunc morem germanicum ita sequebatur, ut Germani gallicum. Immo vero, si indagare velimus diligentius, omnia versa e germanico paucis forte exceptis. Miscebant illi sacra, profana, moralia, satyrica argumenta tractabant. Dalemilus jam inter ultimos, nam post eum pauci admodum fuere, referendus est. Jam ante annum cl. Zlob. exhibui catalogum monum. antiquorum poeticorum jam ante Dalemilum editorum, quae beneficentia Mecaenatis in lucem protrahi possent. Lubens huic me subducerem labori. Latet certe in his monum. thesaurus linguae nostrae. Nosti slav. plt', caro, corpus; atqui et hoc reperi in libro medico; Pol. dicunt pleć, plći, de cute, teint Galli vocant; boh. *plet, plti*. Vale.

*) ew post ř pro ow. gen. plur.

XLVI.

1789 — 10. června. Durich odpovídá na list předcházející, zmiňuje se o křtu knížete Bořivoje, vyvrací některé výroky Dobrovského o českém překladě písma svatého, podává žádaný výpisek z grammatiky M. Benešovského a zakončuje svůj list zprávou o překladě M. Konáče z Hodiškova »Pravidlo lidského života«.

Viennae, 10. Junii 1789.

Josepho Dobrowsky amico suo Fort. Durich s. p. d.

Nescio, quid primum ad te scribere debeam de illis rebus literariis, quibus penulam meam auxisti! Humanitas poscit primum, ut gratias habeam tibi multis negotiis occupato, et nihilominus plurima scribenti. De illis itaque rebus respondebo prius, quas illustrare et vitae nostrae ratio et praestantia earum cum primis exigunt. Nihil in praesentiarum de slavonica vet. vers. dicam, scripturus alio tempore de hac controversia, non ut mihi placeat id, in quod me praejudicio quodam inclinatum putas; sed ut simplicius agam pro veritate, quam solam inquiro. *Interim hoc das:* Borziwojum a Methodio baptizatum fuisse; dabis quoque non sine aliquo sacerdote domum redivisse. *Quis vero sibi persuadeat, sacerdotem hunc muneri docendae legis* evangelicae, *sine scripto* Evangeliorum (lectionarii saltem) *exemplari, satisfacere potuisse?* Non tam baptizmi causa, quam doctrinae verbi divini ad slavonicas gentes deducti sunt Cyrillus et Methodius: sed negas ritum slav. in regionem, alterius episcopi dioecesi jam subjectam invehi potuisse. Potesne negare invectum aliquando fuisse in Dalmatiam et Croatiam? et tamen nosti Serblorum et Chrobatorum baptismum sub Heraclio; nosti Spalatensem dioecesim post Salonam eversam; nosti plura ad hoc institutum pertinentia. Sed nunc sinamus ista et ad singularia nostrae bohemicae versionis transeamus.

Scribis: »Diligentiores et accuratiores jam ante Hussum fuisse interpretes non possum mihi persuadere. Historicis immo argumentis certum est, biblia vernacula vix lecta fuisse a quopiam.« A quapiam vernacula Evangelia lecta fuisse testem habeo synchronum Thomam Arundel, Eboracensem archiepiscopum et regni Angliae cancellarium, qui pro concione funebri Annam, reginam Angliae, anno 1394, sororem Wenceslai, regis Boh., et Richardi II. conjugem, Westmonasterii laudavit, quod quatuor Evangelia in linguam anglicam versa [immo etiam in lingua bohemica etc., ut ex Jo. Wicliffi libello de Triplici vinculo amoris citat Joh. Huss in Replica contra Stokes] assidue meditaretur. Heic jam habes aliquod argumentum; inquire, an sit idoneum, ut non dubites, a quopiam biblia vernacula lecta fuisse. Vel integra plane vel Nov. Test. conversa putas sec. XIII. medio vel ad finem, — et iterum putas nostros homines Germanorum exemplo ad biblia vernaculo sermone reddenda excitatos, — immo, ut in priori epistola scripsisti, germanicas vers. a nostris inspectas multis exemplis edoctus es et vis, ut aliquam similis operae partem, quam slavicae vers. impendo, germ. antiq. e. gr. Wencesl. IV. temp. scriptam, Bibl. Caes. impendam: hoc equidem, quod a me fieri cupis, mihi jam pridem proposui causa illarum lectionum, quae nostris bohemicis vernaculis sunt quadamtenus propriae; e. g. illa lectio Johannis I, 14: a pře-

býwati bude w nas, quam non tantum cod. SM. Žerotinianus, verum etiam MSS. quaedam exegetica boh. Bibl. Caes. et, ut nosti, edit. N. T. bohemica de a. 1475. habent; etiam in libello triviali nuper inveni, cujus inscriptionem heic tecum communico:*) »Slabikář czeſký a giných náboženſtwij počátkowé: kterýmžto wěcem Dijtky křeſtianské hned z mladoſti včeny býti magí M. D. XLVII. [ad calcem libelli in for. 8ᵃ min. editi] W Proſtěgowě ſkrze Jana Günthera. Sub finem post preces matutinas et vespertinas in penso lect. evangel. ex Johan. I. cap.: »a přebywati bude w nas.« Non dubito lectionem hanc erroneam esse; immo certum habeo ex uno cod. lat. vers. Vulg. MSS. inter theolog. Bibl. Caes. XXIII, qui bohemicae familiae est, ob istam subscriptionem: »Explicit liber Biblie quem | scripſit Johannes filius domini | Zacharie pellificis. Ciuis Noue | ciuitatis Pragenſis. Et perfecit seu | compleuit feliciter. Anno | domini. Milleſimo. Quadringeteſimo. Quadrageſimo. Tertio | Secunda feria ꝓxima post feſtum Epiphaniarum domini – [Cod. est membr. in folio,] in Bohemia fuisse cod. lat., qui hanc lection. non habuit: nam laudato loco ita scriptum inveni textum: »*et hitauit ĩ nob.*« Lubens videbo, quam lect. habeat vers. germ. Wencesl. Reg.

Sed redeamus ad institutum: Si propterea dicis populares nostros Germanos in versione vernacula bibliorum imitatos fuisse, quia observas etymologicas vocum translationes, v. g. *mlaž*ſ*ſi* = die Jünger, ſtaroſty = Aeltern; cur mihi adeo contradicis adferenti specimina consensus in iisdem vocabulis et in modo transferendi, in quo, quoad eundem locum, et ejusdem provinciae interpretes ita discrepant, ut nemo eorum cum altero conveniat? nonne difficilius est, ut diversarum provinciarum homines conveniant in interpretando, qui aliter transferre poterant, habentes usum aliorum verborum: nonne tibi perspecti sunt interpp. Alexandrini, Aquila etc., nonne legisti egregiam dissert. Griesbachii de vers. vern. germ.? nonne scis curas syriacas cl. Michaelis et alios ad rem nostram pertinentes; ex quibus mihi collegi modum investigandi vestigia, (vestigia, necdum talia argumenta, quibus te in meam opinionem pertrahere velim), dum externa certae fidei historicae monumenta non habeo, quibus tu contradicere non valeres. Possum et ego opponere: Vocabula *mlaž*ſ*ſi,* ſ*taro*ſ*ty* per id tempus erant in usu apud Bohemos; immo nescio, in quem modum hoc alterum vocabulum in testimonium citare possis, cum старость primum quidem apud cognatas nobis gentes sit antiquissimi usus, atque polysemi, ut apud nos: non enim solos parentes, verum etiam, ut nosti, praesides atque praefectos majores; minores etiam apud Russos; in Passionali bohem. ad festum cathed. S. Petri Antioch. pontificem seu episcop. significat: »w tom městie, geſſto Antiochia ſlowe, za Staroſtu tu nayprwe na pocztywem a powyſſenem ſtolu ho poſadili« — porro non a primaria significatione, quam *aetatem* latine dicimus; sed ab secundario significatu, quo *curam* atque *solicitudinem* intelligimus, deductam laudati vocabuli notionem dixerim: cum parentum omnium sine ulla exceptione proprium officium sit, curam et solicitudinem prolis habere; aetatem vero non ita omnes ferant. Nec inducere

*) In eodem exemplario A III: »Miſtr Jan Hus složil: A bude cele čeledi dano dědictwij« etc., ut jam tecum communicavi ex MSS. Bibl. Caes.

possum in animum, quo modo interpres usu receptissimum, atque in philosophico-philologico vocabulorum genere antiquissimum, seu necessarium nomen rejicere possit et novum usurpare in versione talis libri, qui in usum omnium popularium servire debeat; quamvis non negaverim recentiorum recensionum bohemicarum curatores usos forsitan fuisse germanicis verss.

Circa illa tempora, quibus tu asseris Bohemos Germanorum exemplo excitatos fuisse ad versionem s. Scripturae vernaculam condendam, scis ex cl. Adelungio, Germanos requisivisse, immo sumsisse a Slavis quaedam ad cultum philologicum pertinentia; et ante Adelungium Eccardus Hist. stud. etym. l. Germ. cap. XXXV. scripsit: »Extant quoque in lingua germanica cultiori vocabula plurima, quae Slavis accepta ferenda sunt«. Nosti Joachimum Vadianum, qui *duram olim et anhelantem illam Francorum et Alemannorum linguam* vocavit. Sed longius a proposito discessi; redibo.

»Asinos autem fuisse [scribis] interpretes boh. uno exemplo docebo, nisi forte hunc errorem in germ. bibliis reperias — in Bibl. Caes.« Contuli prius recensionem cod. MSS. Žerotiniani, in quem modum, in omnibus locis Script. s.: malus in navi, seu *ὁ ἱστός* reddatur. Isaiae 30, 17: yako dřewo korabowe na wrchu hory. Ej. 33, 23: a bude ſtanowe dřewo twe. Ezech. 27, 5: ſlup korabowy; v. 7: na ſlupu korabowem. Vides in Isaiae textu reddito cum MSS. hocce Žerot. MSS. 1. et 2. l. Olom. excepto mendo scribae convenire? nonne etiam animadvertis inconstantiam in reddenda eadem voce, quam ego ex usu diversarum recensionum repeto; sed, velim, duobus momentis sis intentus: primum quidem paulo majore patientia expendas, qua de causa Bohemus interpres *vetus* (non negabis ex laudato consensu deductam appellationem) reddiderit: ſtanowe dřewo? non alia de causa, quam ea, quae Slavum interpretem induxit, ut verteret Is. 30, 17: **поставъ на̀ горѣ**, — quid enim est aliud *ὁ ἱστός, nisi rectum lignum navis ab ἱστάναι*; heic jam expende, quid magis conveniat rationi tuisque principiis, an dicere: Bohemum interpretem usum fuisse slavonica versione; an vero graeco magis textui fuisse intentum, ut etymologiam graeci vocabuli redderet? immo quam pulchre etiam huic etymo conveniat: ſlup korabowy, si *rectum* lignum navis spectes, ut mihi videatur aliquot seculis prius illam in se definitionem continere *τοῦ ἱστοῦ*, quam cl. Adelung dedit: »1 der Mast, ein grosser, länglich runder, in einem Schiffe aufgerichteter Baum.« Utinam vir clarissimus majorem notitiam rei literariae Slavorum habuisset! majorem subinde lucem illius originationes nobis darent. Ezech. 27, 5. Ostrog. ed.: *ἱστοὺς ἐλατίνους*, redd.: **сѧемена ѐлова**. Jam quod ad nostram vocem attinet in edit. Norm. Sch. constanter usurpatam, miror tuam confessionem! »Vestrum *žežlo* nescio unde sumtum sit, cur Comenium non consuluisti, cur etiam hunc reprehendis ante nos scribentem, quae *huc quadrare* existimavit,« — de navicularia — 453. — jam in malo, jam in prora: gednák na žežle, gednák na ſſpicy lodí. Quidquid sentis de meliore vocabulo *mali*, hoc non moror; sed in MS. 1 et 2do Olom. Ezech. 27, 5. mendum vel scriptoris vel lectoris cubare puto, quod ad particul. *twe* ante *sle* attinet: primum enim, *tibi* jam fuit expressum per tobie, *twe* igitur in MSS. lat. legere debuisset *tuum*, quam lect. vix unquam invenies; igitur hoc *twe* male lectum pertinet ad integritatem — *sle*, sine

puncto diacritico *τοῦ ž*, quod lect. in errorem induxit; unam vocem dividendo, et pro zezle, seu *žežle* (alia forma nominis, ut est flunce) legendo *twe zle*. Plura vocabula apud slavonicae originis gentes *malum* navis exprimentia nosti e. gr. apud Russos машта et щогла etc. Nec tibi ignotum est Slavos *Pomoranos, Balticos* et *Adriaticos* jam priore millenario Christiano rem navicularium etiam ad bellum tractasse, teste Helmoldo et aliis.

Nescio, quo aestu abreptus fueris, ut interpretes boh. uno exemplo, illoque controverso, inductus, acerbiori censura afficeres; qui enim sequiore loco nimirum Ezech. laudato, intelligere non poterant, quid sit *malus in navi,* cujus tamen sensum prioribus locis Isaiae satis assequuti sunt? ad scribas et lectores, quos utique multifariam errasse nosti, et illum errorem conjicio tuorum codd. Olomuc. Sed haec interim pauca ad nostrum institutum vers. boh. pertinentia bono animo, velim, suscipias, et sicubi erravi, quaeso, in viam reduc melioribus argumentis. Jam accipe Benessovini desideratam in *e* 2[dam] declin.

»In *e* secunda declinatio masc., femi. et neutrorum.

Hospita vel mater familias.«

	Sing.		Pl.	
Nom.	tato	hospodyně	tyto	hospodyně
Gen.	této	--ně	těchto	yň
Dat.	této	ni	těmto	ňijm
Acc.	tuto	ni	tyto	ně
V.	o	ně	o	ně
Instrm.	tauto	nij	těmito	němi
Septimo casu	této	ni.	těchto	nijch.

Neutri generis.

	S.		P.	
N.	Toto	pachole, hic puer	Tato	pacholata
G.	tohoto	—lete	těchto	--lat
D.	tomuto	leti	těmto	latū
Ac.	toto	—le	tato	lata
V.	o	le	o	—
Instr.	tjmto	——letem	těmito	laty
Sept.	tomto	——leti	těchto	——latech.«

Reliqua rei nostrae literariae momenta juxta desiderium tuum ea, qua potero, industria illustrare studebo; nunc, velim, notitiam accipias illustris versionis, apud Orientales aeque ac apud nos celebratissimi libri: كليلة و دمنة Syris vero, interprete *Bud Periodeute* apud Asseman. Bibl. Orient. t. III. pag. 220: ܬܐܠ ܕܩܠܝܠܓ ܘܕܡܢܓ, Graecis autem *ΣΤΕΦΑΝΙΤΗΣ καὶ ΙΧΝΗΛΑΤΗΣ*. etc. etc. Nobis Bohemis ex exemplari vers. lat. Joannis de Capua: Prawidlo Lidſkeho žiwota | Ginak Podobenſtwije Starých Mudrcúo, z Latinſke rzeči w Czeſkau przeložene a obrácene, Kterežto take Dymnowy a Kelilowy Knihy ſlowú. A byly nayprwe Jazykē

napsány Indckým, potom Perſkým a pak Arabſkým, potom Židowſkým a napoſledy z Židowſkého w Latinſký obráceny.

W Praze v Bijleeho Lwa | Leta Božiho ꝯc xxviii. [In folio sign. R viii (quatern. lit. contin.) absque sign. pag. et sine cust. cum figuris.]

Interpres suum nomen in dedic. ita prodidit: »Mikuláš Konač z Hoďiſſkowa Mijſto Sudij Dworſký Kraale geho miloſti etc. Měſſtěnin Pražſký.« Ex hac epist. nuncupatoria quaedam elicui ad vitam celeberrimi viri illustrandam Bohem. doctae pag. 236, item ad tuum indicem typographorum; ita enim heic scribit: Když ſem Prawidlo lidſkeho žiwota a tyto tiſkl Kniehy — et infra — z Latinſke přeložiw do Czeſke rzeči y iakýmiž takýmiž litterami wytisk — immo post epist. nuncupatoriam, suum symbolum typogr. ex ligno inciso expressum (quod delineari curabo et in aes incidi) cum hac subscriptione addidit: W Praze v Bijleho Lwa na Owocnem Trhu Leta božiho Tisſýcýho Pětiſteho dwatcáteho oſmeho, Dwatcáteho dne Měsſyce Vnora. ¶ Dobře ſe měyte ktož čýſti neb poſlúchati budete.

Non dubito hanc editionem tibi notam esse ex Indice boh. librorum prohibitorum pag. 125; raram tamen existimo, primum quidem ob mox dictam prohibitionem, tum vero propterea, quod nemo illius versionis bohemicae meminerit eorum scriptorum, qui ex proposito de versionibus laudati libri sapientiae Indorum egerunt; immo neque tu cl. Zlobiczkyo fidem habere volueris ex edit. libelli de a. 1516 probanti: Nicolaum Konácž artem typographicam exercuisse; quod tamen negare nequivisses, si tibi de hac editione plenius constaret.

Magni aestimo hanc Nicolai versionem, qua demonstratur inter tot polyglottas versiones Bohemos priores esse Italis, Gallis, Hispanis, Belgis, atque etiam Anglis. Hanc ob rem conferam versionem nostram cum lat. Joann. de Capua, atque omnes memorias Finitoris colligam, ut ad *polyglottas versiones symbolam slavo-bohemicam dare possim.* Estne tibi melius nota ejusdem Nicolai editio libri Mirmecia inscripti? habesne plures notitias, quam Dobnerus, Candidus et Ungar adtulerunt? Fac me, rogo, certiorem et vale, meque amare perge.

Salutant te omnes noti amici. Iterum vale!

NB. Alterum exempl. versionis bohemicae in Biblioth. Caes. catal. exstat sed non reperitur; fors tamen inveniemus.

Quod ad codicem Dragomirnensem attinet, utique non dubitas nos nosse ea, quae Hieronymus atque Augustinus de pulchritudine codd. scripserunt utique adfeci, te, ut decet, istis non affici; etiam nobis antiquitas et situs magis placent. Neque solius curiositatis causa recentiores codd. consulendo puto: possunt enim referre antiqua exemplaria; et ita se res habet in hoc codice, meliores lectiones subinde et antiquiores continente.

XLVII.

1789 — 17. června. Dobrovský odpovídaje Durichovi, upírá vliv slovanského překladu písma svatého na český, podává některé literární zprávy, výklady slov staročeských a 36 veršů z Desatera Hradeckého rukopisu.

Fortunato suo Josephus Dob. s.

Facile me patiar vinci a te; hoc enim amicorum est, tam praestantia earum rerum, quas tu e Bibl. Caes. depromis, quam modestia, qua animi tui sensa explicas. Profecto in te amorem veritatis suspicio, quamvis et ego eam indagem et certiora indies consequi studeam. Tu in vers. boh. vestigia (utrum multa an pauca, utrum certissima an dubia, quae in utramque sumi queant, nescio) te deprehendisse asseris; ego nulla talia vestigia extare in vers. boh. fateri cogor, ita quidem, ut omnia alia in vers. boh. reperiam, quam quae originem illius e v. slav. (refictam enim fuisse scripsisti nuper) ostendant. Si reficta fuit v. b. ad cod. lat., ergo fuit aliquando tempus, quo cum latina Vulg. non conveniebat in iis locis, in quibus a Vulg. discrepat v. slavica; ergo fuit aliquando tempus, quo labor ille *refingendi* aut *reformandi* inchoatus, continuatus et perfectus fuit. Quae vero diligentia efficere potuisset, ut non plurima exstarent saltem in codd. boh. antiquioribus ad huc vestigia? Putasne homines sec. XIV. et XV. initio diligentiores fuisse, quam fuerit Hussus, quem aliquid in vers. boh. praestitisse non est improbabile, quam fuerit Lupacius, quam fuerint editores bibl. Prag. 1488; cum sec. XIV. vernacula, id est bohemica biblia *vix* lecta fuerint *a quopiam*, id est, *non nisi a paucissimis*. Inter hos fuisse Balthasarum de Tettau an. 1311 et tibi et mihi ante multos jam annos constabat; ut opus non fuerit, nominare Evangelia, quae lectitaverit Anna, Wenceslai soror, regina Angliae, ante annum 1394.

Si tu nolis inspectas fuisse vers. germanicas, *obiter* inspectas tantum, non hoc sensu, quo tu vers. boh. e slavica fluxisse asseris aut opinaris, a boh. interpretibus, non contradicam; cum ea vocabula, quae ad etymologiam germanicam reduci possint, fortasse in usu eo tempore fuerint extra biblia, uti *ſtaroſty,* significatu a Germanis sumto, die Ältern; quod, quamvis aetatem non ferant parentes, tamen *seniores* sint respectu prolium. *Mlažſſí* hoc significatu, discipuli, die Jünger, non fuit apud scriptores sec. XIII. in usu; extabat enim jam *vczenik, vczedlnik*, uti e fragm. boh. Bibl. Caes. et manuscriptis meis certo colligo. Quomodo jam vocem *mlažſſí* in biblia assumtam esse declarabis, nisi interpretem aut recensorem germanicae versionis imitatorem nimis diligentem sumas seu subponas? Interim alia exempla omittam, quid enim nunc refert certo scire, num Bohemi etiam germanicam versionem legerint, quamvis serius legisse *omnino* certum sit ex praefatione in N. Test. Namiestii an. 1533 editum; quamvis certum sit Wencesl. II. regem inter poetas germanos relatum, cujus poema germ. extat inter eos poetas, qui sub nomine »Minnesänger«, Zürich 1758 4 prodicre. Alia sunt, quae mihi majoris momenti videntur, et ad indolem vers. boh. aestimandam plus conferre. Egregie tu defendis boh. interpretem et a macula

ignorantiae purgare studes, verum metuo ne frustra. Nam quod ais, *twe sle*, mendum esse in utroque codice Olom., ego antiquissimam lectionem vers boh. esse certo persuasus sum. Cura, quaeso, Pragenses antiquiores ab aliquo docto viro, uti vestro Procházka, inspici et deprehendes hanc lectionem in aliis codd. Nec unquam, praeterquam apud compilatores lexicorum quosdam, quos ego, nisi auctoritate aliorum scriptorum nitantur, contemno, *žežlo* seu ut scribi debet *žezlo*, *malum* navis significat; sed semper et ubique *baculum* et deinde *sceptrum*. Hoc vos ipsi in manuscripto, quo usi estis, detexisse mihi videmini; nam ad Gen. c. 49, 10 in nota ** notastis *žežlo*, quod voci in textu positae *berla* respondet. Vis, tibi enumerem omnia loca, in quibus adhuc in Kuttenbergensi editione an. 1489 haec vox, pro *sceptro* posita, invenitur? Solet alias reddi metonymice *mocz*, semel *rodina*, *duoſtogenſtwie*, alias *berla*, et quidem in libris omnibus anterioribus V. Testamenti usque ad Ezechielem, in quo c. 19, 11 et 14 *žezlo*, uti et c. 20, 37, c. 21, 10, 13, Amos. 1, 5 et 8, Hab. 3, 14, Zach. 10, 11 occurrit. Pro qua voce in Melantrichianis bibliis plerumque *berla* substitutum est, ita ut in iis nec semel occurrat. Nondum in Kuttenb. editione omnia loca limam correctoris experta sunt. Utrum Slavi unquam proprium vocabulum ad designandum *malum* habuerint, nescio; ego dubito, nam generico *ſtrom*, *ſtrop*, *ſlup* uti poterant adjecto altero vocabulo ad speciem designandam, ubi opus erat. Russica мачта et щогла germanicae sunt originis, Mastbaum, Segelbaum. Nec obest *twe* ante *sle* Ezech. 27, 5, in utroque cod. Olom. positum; nam si *twe* non addidisset interpres, non potuisset τὸ neutrum *sle*, malum, exprimere, cum etiam adverbium *male* sit reddendum per *sle*. Noluit nimirum dicere, ut facerent tibi *male*, sed *malum*, credens *malum* esse neutrum ab adject. malus, cum expressam *navis* mentionem fieri non legisset. In hunc aut similes errores nunquam lapsus fuisset, si textum slavum inspexisset aut inspicere potuisset. Graecum textum ei ignotum fuisse, facile concedo, modo non asseratur ei slavicum fuisse notum. Ex iis enim vestigiis, quae hactenus mihi innotuere, istud non elicitur; secus ego probabile reddere potero, hebraeum textum notum fuisse interpreti Bohemo, aut arabicum, syriacum, et si velis, omnes versiones.

Acerbiorem tu putas censuram, qua affeci interpretem boh. appellando asinum seu indoctum. Adferam nunc exempla, e quibus intelligi possit, fuisse et indoctum et minus attentum, et satis audacem ac sciolum. Qui *publicanum zgewnik* vertere potest, qui *probaticam piscinam ſkuſſený rybník*, hunc tu doctum et quidem latine doctum dices? Benessius Optatus in vers. N. Test. an. 1533 reprehendit multa alia, uti *čtenie* pro evangelio, quae post tot castigationes priorum editorum, Pragensium magistrorum, adhuc remanserant. Matth. 3, 4. habet editio an. 1475 pro locustis *zelina*, doctene? Joh. 1, 14, quem locum tu ipse citasti, *přebywati bude w nas*, *habitabit* — errorem unius aut alterius latini codicis secutus, — quia minus sedulus erat in lectionibus secernendis. Matth. 6, 30: in *clibanum mittitur*, in editione anni 1475 *w kopu bywa ſkladeno*, in Kuttenb.: *w kuopu bywa ſloženo*, cum qua *Melantr.* ed. conspirat; ergo ab anno 1475 usque ad an. 1570 temeraria haec mutatio non fuit correcta. Sic etiam Luc. 12, 38 eadem verba in Kuttenb. et Melant.

reddita sunt, de prima editione mihi non constat. Cyrillus пещь habet, — nec puto ignorasse boh. interp. clibanum esse *pec*, sed ignorabat rem et consuetudinem Orientalium. Bohemi utique foenum non in clibanum solent mittere, sed in acervis congregare. Vides sciolum et nasutulum hominem. Haec interim sufficiant. Velim tamen perpendas, utrum talis diligentia in reformanda aut refingenda vers. slavica seculis illis ignorantiae supponi possit, qualem ego serius nondum deprehendo, quamvis textus continuo mutatus fuerit in paucis. Utrum unquam ita mutari potuisset, ut non qualibet pagina vestigia vers. slavicae certissima et minime dubia et quidem plura extarent. Cui hoc unquam persuaderi poterit?

Sed Borziwoji sacerdos attulerit Evangelia slavica. Cur slavica, cur non latina aut graeca pro usu suo. Methodius namque clericos etiam latinos sibi subjectos habuit; ipse Swatoplucus et Wichinus latinis favit. Verum attulerit slavica Evangelia? quid tum? ergone conservari poterant, et non potius perdi — a clericis latinis seu germanis sacerdotibus, quos *Spitigneus* ab anno 895 traxit et pellexit in Bohemiam, qui ob id primus Boh. dux christianus effectus narratur in Annal. Germanorum. Quale fatum experti fuerint codd. slav. monast. Sazaviensis et Emautini seculis paulo clarioribus non ignoras. Manserint plane in locis quibusdam codd. slav., uti slavicae editiones extant in Polonia -- ergone consequitur ad hos exactam fuisse versionem aliquam, nisi in ea reperiantur vestigia certa? Addam adhuc Act 12, 4: *quatuor quaternionibus militum* reddi in Kuttenb.: *dwaczeti rytierzom* — nonne aut somnolentum aut potum vides interpretem. *Cyrillus* pro quaternione habet *četwericam* utique recte. *Melantr.: čtyřem čtwerníkům* omissis militibus. Dicesne Melantrichum usum fuisse vers. cyrillica, quod *čtwernik* et *četwerica* ab eadem radice deriventur, uti *ſtanowé dřewo* et *poſtaw* a *ſtáti*. Haec utique declarari possunt facillime sine illa hypothesi, quae tibi tantopere placet. Parce, quaeso, mihi tam parum admiranti res nostras, quamvis non spernenti. Erant ea secula, a quibus aliud exspectari jure non possis Cyrillum autem versione sua praeluxisse nostris, plane mihi impossibile videtur, vel propterea, quod in tot et tantos errores labi non potuissent. Deinde si negotium refictionis, substituendo formas nominum, verborum ac aliarum partium orationis apud Bohemos usitatarum, susceptum sumam, non video, cur non *plurima* retenta fuerint slavicav ocabula, quoad etymon seu radicem, cur opus fuit semper substituere synonyma alia, quae tamen iisdem exprimi potuissent, quibus Cyrillus expresserat, e. gr. cur *blagodat* in *blahodaň* aut simile, mutatum non fuit? cur potius a *milý* derivatum *miloſt*, quia *milý někomu, gratus* est? Utique vocabulum *blagodat* repeti debuisset saepius et quodammodo civitate donari, uti alia vocabula in sacris usitata, quae profanum vulgus non novit. Quid opus fuisset castellum exprimi per *kaſſtel*, quid centurio per *centurio*? etc. etc. Illustrius exemplum proferam. Luc. 2, 43 Slav. legit.: *i ne razumje Joseph i mati jego.*, Lat. non cognoverunt *parentes ejus,* — hic loci non exigo, ut in codd. boh. lectionem slavic. reperias; Bohemus enim ob latinum textum, mutare *Joseph i mati* poterat in vocabulum, quo commode parentes exprimi possent. Atqui in usu non fuit aliud quam *otecz y matie*; cur ergo non sumsit e versu 27.

roditelé, roditelja dual. num.; putasne Bohemos non intellecturos fuisse, quid sit *roditel*; nam et verbum *roditi* et forma substantivorum in *el* satis frequens est. Et tamen etiam v. 27 *parentes ſtaroſty* sunt, h. e. die Aeltern, Germanos imitando — in edit. an. 1475. In MS. Olom. 1.: *otecz y matie,* — resolvendo pluralem in duos singulares, — quia huic interpreti significatio vocis *ſtaroſta*, qua parentes denotat, omnino ignota fuit; in Kuttenb. *rodiczowe*, quod vocabulum vetus quidem, sed significatu alio, eo nempe, quo apud Pulkawam ac alios script. antiquos *cognatum* denotat, uti *rodak* apud Polonos. Quid opus fuit, scribas nominare *mudraczi*, et non potius *knižnicy*, cum tamen *černokněžnik* seu *knižník*, a *knicha* seu *kniha* — Schwarzkünstler, Schwarzbüchler — apud nostros homines in usu sit — e slavica vers. servare. *Mudrácy* adeo parum placuit posterioribus correctoribus, ut potius *zákonnicy*, Schriftgelehrte, substituerint. Sed sufficiat jam de vers. bohemica, quamvis res omnino ejus momenti sit, ut me vix cohibere possim.

Pro descripta declinatione nominum in *e* gratias habeo, verum ego masculina in *e* desidero. *Hospodyně* fem. et *pachole* neutrum est. Nam adverti antiquiores script. masc. in *e*, ut *Správce*, femininorum more declinare, *tím Správcy* instrum. Hanc ego declinationem e Benessovino mihi describi opto et a te peto. Videtur autem deesse, alias tu non omisisses.

Konaczii librum vidi in bibl. domini de Neuberg, cui alius conjunctus est: Chronicon regis Florii, anni 1519, quo tempore Johannes *Šmerhowský* — puto te scire, domum penes album Leonem *ſſmerhow* vocari — typographiam possedit. Utrumque ni fallor in Dissert. de typogr. adduxi. Verba *wytiſkl* sumsi pro *wytiſknauti dal* — interim lubens concedo Konacžium fuisse an. 1528 possessorem typographiae istius. D. Zlob. ea de re nihil unquam perscripsit. Vanorum hominum est garrire. Boh. doct. auctam a me non habeo ad manus, quia nondum omnes libros Praga advehi curavi; ab aliquo *Nicolao* aliquot — duos — dialogos Luciani versos scio et Pragae 1507 impressos. Post Gelenium nemo magis majori cura in evulgationem boh. librorum incubuit nostro Konacžio. Symbolum typographicum idem erit, quod d. Ungar p. 152 Bibl. boh. descripsit. Omnes fere libri, qui ab imp. an. 1487 Psalt. Pragae prodierunt, in hac typogr. impressi sunt, non enim de alia constat – usque ad Paulum Severinum.

E Boh. nuper perscripsit aliquis se invenisse Missale Pilsnae 1479 impressum; ergo ab an. 1470 perduravit typographia Pilsnae et tamen de operibus ibi impressis non constat, nisi de paucis et quidem ad initium jam sec. XVI[ti].

Versiculos fragmenti a te detecti relegens, puto me tandem assecutum, quid sit suelfutowal — *s* est *ž*, contracte pro *že* seu ut in MS. reperio ež, uti adhuc in Moraviae circ. Prerov. ad Fribergam seu Prziborium auditur — ueliutowal — legendum neliutowal, itaque *že* seu *ež* nelitowal, *quod non sit misertus* aut quod *non poenituerit illum.* In vita S. Procopii boh. vers. scripta, ut hoc obiter moneam, *liutoſtiwý* legi pro *litoſtiwý;* pro *czos wszwitye lune zwierzi* legendum puto, *czož w ſwietie liute* (liute non lune) *zweři,* ita ut sit *liuta zwěř* — *lita zwěř*. *s zzi* est *ž ſy*, *že ſy* — prima litera *s* videtur; putaveram antea esse *o*, sed ex ductibus apparet esse *s* seu nostrum *ž*: *yus* seu

guž pro *giž* frequentissime obvium in MS. meis. *Pyrwe*, alias *Prwe* in MS. meis; *sdrscwe* — *že dřewe* — *cž dřewe*, quod prius — *druhe s mu* — h. e. *druhe ž mu, druhe cž* seu *že mu*; *mu* enim et *gmu*, ei — scribitur. *comowit* et *mowit*, si recte lecta sint, non intelligo. Verbum *ždáti*, ut hoc addam, non tantum in Dalemilo, sed etiam in aliis monum. antiquis reperitur. In poemate seu cantione *de M. Magdalena Jesum in sepulcro quaerenti et conquerenti* semel atque iterum reperitur: *a protož u hrobu zdaſſe*, ideoque ad sepulcrum exspectabat — *weſdy ſmrti zdaſſe*, semper mortem exspectabat. Cum praepos. *po* semel illud reperi in *Planctu b. Virginis*, quem etiam manuscriptum meum continet: *pllnym mym ſrrdczem zadala, a yuzt ſem tuhy dozdala*. Pro *nezbowſſe* legendum certo *nezbywſſe* — *a zbýti někoho* active; vel propterea, quod versus hac ratione quatuor pedibus constet, et rhythmus observetur.

Summopere delectatus sum notitia, quam suppeditasti de Husso auctore illius lusus: *a bude dano cele čeledi* — similem cl. de Monse, qua juvenis callebat; nunc integrum recitare non amplius potuit. Vero simile est Hussum accessisse saepius mon. Emautinum. Quod Hieronymus bibl. slav. verterit, ab iisdem monachis didicerit. Ritus certe slavicus hoc in mon. observatus occassionem praebuit Husso ac aliis, quod cantus boh. in sacris invexerint, quod illis vitio versum fuit a Latinis et Germanis. Ergo novo meritorum genere claret Hussus, quo patriam suam sibi devinxit! Fratres certo grato animo hoc etiam in Cantionali suo anni 1594 ad finem commemorant: *opposuitque* pios cantus ululatibus illis, quos facit Ausonii turba ministra lupi. Satis acerbe! Reliquos versus, quorum priores nuper acceperas, hisce perscribam:

Snad | by uczynyl wieczſy ſtraſt. |
By kladl nemocznemu tuz maſt. |
namdle neb nabolnyey oczy.
(112ᵃ) gizto | giezweneho leczy.
Takez lekarzy du|chowny.
daway upokany czyn | rowny.
Kazde lidſke zawynenye.
Chcze gmyeti rowne pokanye.
Kaz ſye lakomym poſtiti.
Neczyſſ|tym kaz czyſtu bytí.
Kaz zlodiegy | nawrati(ti).
azſſweho kaz ſczedru b.tí. |
Kazde lídſke zawynenye.
Chcze | gmíetí rowne pokanye.
Zna|menay czot piſmo prawí.
Zet boh | tiech hrziechow nezbawí.
Gieliz | bude wraczeno to.
Czoz geſt bez|prawnye otgato.
aty ſam dobrzie | znamenay.
Tento przіklad wſiem | powieday.
zet lekarz ſpomoczy ne|moz.
Giezwenemu donydz wnem | noz.
Gieliz bude nebo ſtrziela.
wy|nata zgiezweneho tiela.
(112ᵇ) Toliz le karz wſelikeho.
Tak uleczy wſelikeho. |
Takt krade mnych iknyez wſaky.
da|wayucz ſczedre otpuſtky.
Ktoz ſye wye|ho paterz wlozy.
Tomut tiſſucz hrzie|chow ſlozy.
alet bych welmy rad to|mu.
By ſye tez ſtalo takemu.
Zpow.|ednyku wſelikemu.
yako kaplanu | yednomu.
Genz zpowiedaw przieboy|nyka.
mnohych lidy naſſylnyka. etc. etc.

Omitto lepidam narrantiunculam, quae sequitur, cum chartae angustia me moneat, ut claudam epistolam, cui respondere poteris, si per otium licuerit prius, quam Vindobonam veniam. Vix enim ante medium mensem Julium discedam Olomucio.

Vale, meque amare perge -- tuaque ita defende, ut tandem veritas magis magisque et mihi probetur, quam tu inquiris. Vale iterum. Parce festinanti mihi.

Die 17. Junii 1789.

XLVIII.

1789 — 8. července. Durich podav žádané objasnění grammatické, zmiňuje se o Konáčově překladě »Pravidla života lidského«, chválí Konáčovu obratnost v tomto překladě projevenou, podává zprávy o překladech »Pravidla« do jiných jazyků o značení slova »Apologi« a projevuje radost nad brzkým příjezdem Dobrovského.

Viennae, 8 Julii 1789.

Josepho Dobrowskyo suo Fortun. Durich s. p. d.

Deest omnino in grammatica Benessovini declinatio nominum masculinorum in *e* desinentium, alias exemplum perscribere non omisissem: nosti etiam a nostris recentissimis grammaticis eam non sub peculiari forma, sed sub forma nominum 2^{dae} decl. signate illorum, quae in *-ce* terminantur, comprehensam esse, ut a Doleschalio — Tomsa; ex antiquioribus Constantius idem fecit, referendo Saudce, Rádce, Smírce etc. ad 2^{dam} declin. pag. 34.

Recte observas, antiquiores nostros scriptores hujuscemodi nomina femininorum more declinasse: tím Spráwcý — in *hunc enim modum Luc. XII, 14.* edit. Veneta habet: Saudcý, Constant. Saudcým; sed utique tantum in numero singulari, nisi fors identidem dixerint: in genit. Sprawec, et dat. Sprawcem, sicut in literali: **о̀те́цъ, о̀тцемъ**, nihil enim aliud mihi est nostra forma nominum in *ce* desinentium, nisi slavonica forma **-ецъ**, ut **творецъ**, twórce, quae mihi apud nos partem dialecti, non tantum in forma, verum etiam in declinatione constituere videtur.

Nuper in Konačžii vers. Directorii vitae humanae cap. II. legi: Byl geden wopice... widěl tesſarze... poſpieſſil wopice etc. Sed quam doleo, me obliquorum casuum formulas non invenisse.

Gratias tibi habeo cum pro Konačžii, apud piae memoriae d. de Neuberg servatae versionis notitia, tum pro reliquis rei literariae notitiis. Symbolum typographicum Konačžii longe aliud est, ac tu opinaris, ut ipse visurus es; cujus visionis spe jam nunc gaudeo, gavisurus magis ipsa tui praesentia; precor itaque, ut sanus et incolumis ad nos pervenias. Nunc curam habe, ut ad vitam et merita Konačžii recensenda mecum aliquid communicare possis: volo enim ad versiones polyglottas celebratissimi libri symbolam conferre, et post conatus novissimorum scriptorum, Petri Fabiani Aurivillii, Upsaliae 1780, vel Joannis Floderi, item Henrici Alb. Schultensii Lugduni Batav. 1786 editos, recensere curatius ea, quae ad historiam literariam pertinent libri, quem nostris popularibus tam bona et prudenti versione dedit. Non possum satis admirari interpretis nostri eruditionem et prudentiam, a quibus illum merito Balbinus et Lupacius commendant. Tam proprie voces barbaras latinas medii aevi, et formulas loquendi a nostro cogitandi modo remotiores tam feliciter reddidit bohemice, ut mihi videar videre talem interpretem, quem Hieronymus in epistola de optima interpretandi methodo describit. Utinam ille versionem bohemicam bibliorum adornasset! cum enim

nihil similius unquam legerim versioni latinae Vulgatae hac Joannis de Capua versione, qui ex Judaeo Christianus fuit, et veteri interprete latino magis *hebraissavit*; hanc tamen noster Konačžius ad mentem Hieronymianae methodi feliciter expresserit; quid putas illum facturum fuisse in versione s. codicis? Sed de hoc plura in tuo adventu.

Nunc accipe notitiam polyglott. vers. supra laudati libri, quod equidem ad vers. europaeas attinet, quas summatim heic dabo:

Latinae: Joannis de Capua, Petri Possini e S. J., Sebast. Gottofredi Starkii, quorum hi duo postremi ex graeca, Joannes ex hebraica versione latinam dederunt interpretationem.

Teutonicae: Anonymi ex lat. vers. Joann. de Capua 1ª editio Ulmae 1483. in 4° maj., cujus exemplar membr. servatur in Bibl. Caes. VI. 41. Argentorati 1525. Ibid. 1539. Ibid 1545. A. 1558. in 4° sine loco. Francof. ad Moen. 1565. in 8.

C. B. Lehmo ex vers. graeca. Lipsiae 1778. in 8°.

Italicae: Academicorum Peregrinorum et Anonymi, ut in Fabricii Bibl. graec. vol. X. refertur. In Bibl. Caes. A. 1588. Tridenti. Acad. Pereg.

Hispanicae: Vincentii Bratuti Ragusani. Madritti 1654. in 4to.

Gallicae: Davidis Said, Parisiis 1644. Gilberti Gaulmini ibid. 1698 ex pers. vers., Antonii Gallandi ex turcica Ali Chelebi, Parisiis 1724, quam Cardonnius continuavit, ibidem 1778. 3. vol. in 8°.

Belgicae: Zacharias Heins a Schultensio refertur, et Joannes Duikerius; reficta prioris interp. versione; sed admixtione rerum alienarum Amstelaedami 1714.

Suecicae: Andreas Wilde ab Aurivillio refertur ex gallica vers. auctor. Stockholmiae 1745. Petrus Rubens ex turcica ibid. 1762, sed datis tantum 4. capitibus.

Anglicae: meminit Richardson in Dictionario suo pers. arab. et angl. Oxon. 1777. edito Tom. I. ad vocem بيدباي Bidpai — A part of it was translated into French, at Paris, in the year 1644; by one David Said of Ispahan, from which our English version is taken. Optimus meus studiorum socius cl. Alter indigitavit.

Graecae Vulg.: Haec versio catalogo Bibl. Caes. inscripta est litera P. »Pilpai Mythologicon ethico-politicum« Viennae Aust. 1783 typis Baumeisterianis. Sed necdum signaturam habet Bibliothecae; necdum itaque inspicere potui.

Graecam Simeonis Sethi et nostram bohemicam Konačžii jam nosti, de orientalibus in tuo adventu conferam; interim cura, ut aliquid ad recensitas verss. europp. conferre possis: fors cl. cl. editores τῆς Přjručka Učitele lidu, pag. 321 aliquid habent, quo iste indiculus augeri possit: quoscunque enim legi auctores, qui successive de versionibus hujus celebratissimi libri egerunt, et quorum copiam habere potui, nunquam a lectione eorum ita vacuus abii, quin collectanea mea augerem. Itaque videntur mihi laudati editores variarum

versionum notitiam habere ob dicta: ale s mnohonáſobným přeložením, kteréž proběhla, tuze geſt přetwářena — quod equidem jam legi apud plures, sed in nulla versione ita observavi, subsidio prof. Alteri, ut in illa Tridenti edita v. ital. Nostra sane versio laudem meretur ob characteres boni interpretis, et nisi vehementer fallor, vindicabit Slavo-Bohemorum literarios conatus ad ornandum sermonem patrium, et vitae humanae institutiones propagandas. Miratus nuper sum, quomodo cl. Francis. Joh. Desbillons in praef. ad Fabb. Aesopp. pag. 25 opus hoc a Simeone Setho confictum suspicari potuerit! Sed lecta praefatione Aurivillii non tantum meam admirationem, verum etiam eadem in contrarium argumenta ex orientalibus hist. lit. script. ducta inveni. Cum doctrinae methodus cum Fabb. seu Apologis conveniat Graecorum et Latinorum, nostrique homines eas sive populari dialecto reddere, sive novas fingere studuerint; rogatum te vellem, mecum communicares aliquid historiae literariae ad hoc institutum pertinentis antiquissimae. Quod ad vocem hujus rei attinet apud Syros usurpatam Josue Bar-Bahlul distinctionem facit inter parabolam, quae fit ad creaturas rationales, qualis est illa de 10 virginibus, et inter oppositam: priorem vocat ܡܠܬܐ, alteram ܡܬܠ. Necdum ea diligentia *simplicem* vers. syriacam contu^l^i, ut dicere audeam: ab interprete Syro hanc distinctionem semper observatam fuisse; quid tu jam de vocibus: *parabolae*, *fabulae*, *proverbii* etc. praesertim apud nos: podobenſtwí, pohádka etc. observasti? Sane, vox nostra *podobenſtwí*, id exprimit, quod habet Hieronymus capitulo VI. Quaest. Algasiae: »parabolam, hoc est similitudinem, quae ab eo vocatur, quod alteri παραβάλλεται, hoc est, assimilatur, et quasi umbra praevium veritatis est.« Inquisitio in historiam literariam parabolarum me induxit, ut observarem omnia, quae ad methodum pertinent docendi a Salvatore nostro observatam; atque vehementer gaudebam in versione persica jam praecipua hujus rei momenta secreta esse: nemo enim interpretum orientalium parabolas (ut de his tantum loquar) literaria quadam observatione pensi habuit, ac ille. Videtur mihi res disquisitione digna; de qua, num jam aliquis ex proposito egerit, non satis scio: certe in methodo docendi Salvatoris nostri magnam partem parabolae habent, quae honesti et decori festivitatem quandam ingenuam cum simplicitate sermonis praeseferunt; quibus tamen, quod ad gustum methodi orientalium populorum attinet, ex libro Kelila et Damna historico-critice pertractato, aliquid philologicae illustrationis accedere possit.

Profecto in hac *dispensatione*, ut Graecorum phrasi utor, illa methodus et tempori conveniebat et humilitati, cujus etiam causa ad nos Ille venit, similis erat. Sed tu jam ad viam necessaria disponis, et pluribus officiis distentus temporis angustia coarctaris; itaque egredere domo tua sanus et ad nos veni laetus et incolumis. Vale et me amare perge!

XLIX.

1789 — 18. října. Dobrovský podává zprávu o německém rukopise Alexandreidy v Mikulově, zmiňuje se o názvech měsíců října a září, o kronice Taboritské v Rajhradě, o Antonově úmyslu vydávati Slavii, poptává se na předplatitele spisu J. B. Rossiho, zmínku činí o Visle u Ptolomea, o rukopisech českých v Lipníku, o obraze svatých s nápisy v Kroměříži.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Exspectas procul dubio literas, quibus tibi significem, me sanum incolumemque venisse Olomucium. Redii, sane, prosperrime. Nicolspurgi iterum in evolvenda manuscripta aliquod tempus impendi, uti et Rayhradii. Incidi Nicolspurgi in vitam Alexandri germanicis versibus scriptam, quae est: »per manus Johannis Man de Chreẃſen anno quadringentesimo secundo ante festum Sancti Martini«, in charta axaratus, qui etiam titulum in subscriptione indidit: *gesta Alexandri magni*. Finit autem vita seu poema istud, idem plane quoad contenta cum *bohemicali Alexandro*, qui habetur in manuscripto bibl. Metrop. Prag. hisce versiculis:

»Nach der czeit gelaubet daz
daz got menſch worden waz
vber drewzehn hundert iar
und zway und funſzig fürbar
An ſand Mertens nacht
ward daz puch gar volpracht
das die Rechten warhait
Chunigs Allexanders hat gesait.«

Si haec, uti videntur, de libri compositione, non descriptione, sumantur, boh. versio aut saltem imitatio hujus germanicae — non poterit majorem aetatem ferre, quam sec. XIV^ti^ postremam partem, nimirum ab an. 1352 usque ad finem.

Nostrum jam erit statuere, postquam indies plura detecta fuerint ant. monumenta, ex quibus aetas codicum vel stili dijudicari possit. Dalemili editione aut codicibus, qui exstant sec. XV., nolim hac in re uti. Nam in eo legitur e. gr. *rzige*, Brunſt der Hirſche, unde mensis *rzigen*. Atqui in Breviario Rayhrad. an. 1342. hujus mensis nomen scribitur *rzugen* — uti et alterius nomen *zarzug* — serius *zaržig*, gen. *zařige* — deinde *zaří* indeclinabile.

Rayhradii *Chronicam Taboriensem*, in qua plenissime controversiae inter Taboritas et Pragenses magistros enarrantur, mihi concedi petii et obtinui. Hanc describi curavi; continet enim plurima notatu dignissima, vix ab aliis tractata. Cochlaeus tamen hoc Chronico usus fuisse videtur. Manuscriptum est plane coaevum.

Nuper dn. Anton Görlicio ad me literas dedit, quibus mentem suam explicuit de edenda *Slavia* h. e. de Bibliotheca slavica, ad quam symbolam quisque suam conferre possit. Proposuit autem, ut ego hanc provinciam susciperem virosque undequaque invitarem. Ast ego nunc officii mei laboribus ita obruor, ut non nisi tardissime ad amicos meos scribam. Neque etiam hic

locus est, quo facile symbolae mitti possint aut typis edi. Vienna sane locus maxime ad simile quid audendum et perficiendum opportunus est. Discute itaque et examina, quid faciendum sit. Equidem facile carere malim *Slavia*, modo tu collegeris et disposueris adversaria tua, ne vel morbus impediat operis absolutionem aut plane te taedium capiat, tot digerendarum rerum copia obrutum. Festina itaque et noli exspectationem nostram fallere diutius.

Cl. Joh. Bern. de Rossi — in literis nuperrimis — conquestus est, sibi pecuniam, quae solvi debuerat eminentiss. Garampio, non fuisse redditam, rogatque, ut Pragenses praescriptores interrogem, cui pecuniam pro 2do et 3^tio^ volumine solverint. Nisi fallor, 2^dum^ volumen jam recepi per te. Tu utique recordaberis, cui tu et Procházka pro 2do volum. solveritis. Mihi videtur, quod cl. Ungar ex oblivione fortasse pecuniam Garampio non miserit pro secundo volumine, inde factum est, ut de Rossi pecunia hac, quam solvebamus pro 3^tio^ volumine, crediderit solvi volumen 2^dum^, cum ante missa non fuerit. Nollem ego virum fraudari pretio ei debito. Scribe igitur, si qua tibi melius ea de re cognita sunt.

Scire vellem, utrum in manuscriptis codd. Ptolomaei *ουιστυλα* (Vislam ego intelligo) scriptum sit; nam ab hoc fluvio, uti et Viadro (Odera) totius antiquae geographiae slavicae gentis ejusque sedium momenta dependent. Ante *Melam* nemo geographorum veterum *Vislae* mentionem fecit, quod nomen slavico ore prolatum et origine sua vere slavicum ad romanas aures pervenit sub Claudio, quo tempore Pomponius Mela vixerat. Ptolomaeus et caput et ostia Vistulae novit, inde nihil mirum, quod etiam *ουενεδας* noverit et inter gentes maximas numeraverit.

Postquam in usos tuos converteris ea, quae excerpenda judicaveris ex manuscripto tibi relicto, tandem aliquando illud remittere poteris, curru publico, ut ajunt, auf der Diligence. Nunc interim utere, quamdiu opus fuerit.

Cl. dn. Denisium, Alterum, de Schwandtner aliosque omnes, qui mihi aut tibi favent, saluta quam humanissime.

Proxime mittam iconem *Kunwaldsky*, quam Denisio promiseram.

Lipnicii in Moravia apud PP. Piarum scholarum incidi in manuscriptum boh., quod 1mo Trium Regum res gestas et translationem continet, 2do ›Kſſaſt Patryarchuow‹, qui liber saltem bis editus est, ac 3^tio^ Chronicon Trojanum lingua boh. scriptum 1467. ›Per me Wenczeslaum dictum ⌝ ⌞ ⊏ ⊐ ⌟ et hoc sub anno Domini etc.‹

Has ego formas literarum Pragae vidi, sed non recordor amplius, quo in libello. Solent iis et alchimistae et spirituum conjuratores uti. At clavim nescio.

Restat, ut et gratias agam pro humanitate, qua me excepisti, — utinam diutius manere licuisset!

Tabulam ligno incisam nuper Cremsirii apud reverendissimum canonicum Rzikowsky vidi, quae et mysteria religionis et sanctorum imagines refert, cum inscriptionibus maximam partem slavicis, — de aetate judicare non possum. Lignum est de arbore nuce turcica, Türkiſcher Nußbaum — sane pulcrum. Videntur autem mihi quaedam wallachica immixta — nec fuit tempus sufficiens, quo examinare accuratius licuisset. Characteres tamen, quia ab aliis cyrillicis differunt, aliquando delineatos tibi mittam X videtur esse ɤ — ⍏

saepissime obvium non novi; а utique ѧ est. Alias plura, postquam tabulam, uti mihi promissum erat, accepero examinandam.

De aliis rebus tu instrui non cupis; nisi forte de eo, num valeam. Valeo equidem et cupio, ut et tu valeas — mihique faveas.

Olomucii die 18 Octobris 1789, qua nos hic Deum laudavimus pro victoria seu expugnatione Belgradi.

L.

1789 — 22. října. Durich děkuje Dobrovskému za literární zprávy posledního listu, nesouhlasí s míněním Dobrovského o německém vlivu na památky staročeské, podává některé literární zprávy a připojuje k svému listu abecedu tajného písma.

Viennae 22. Octobris 1789.

Jos. Dobrowskyo suo Fortun. Durich s. pl. d.

Nolebam sub initium suscepti majoris officii (quod utique plus temporis exigit, ac in ipso progressu jam necessarium esse putem) labores tuos impedire: nunc vero a te praeventus literis, quas etiam occupatissimus ad me nihilominus dedisti, debeo tibi de necessario tempore ad laborandum aliquid subtrahere, quod harum lectioni impendas. Ut itaque significationem animi, quem in te meum diu nosti, in hac muneris administratione suscepta missam faciam, tibi primum gratias ago pro perscriptis rei literariae notitiis, quas in bibliothecis, Nicolspurgi, Rayhradii et Lipnicii nactus es. Quod ad *bohemicalem Alexandrum* attinet, immo alia quoque hujusmodi vetera monumenta bohemica, cum teutonicis exemplis conferenda, recte mones. »Nostrum jam erit statuere, postquam indies plura detecta fuerint autographa monumenta, ex quibus aetas codd. vel stili dijudicari possit.« Certe sec. XV. exempl. Dalemil. scribae id passim fecerint, quod se fecisse nostro seculo profitetur illius editor Procházka; hoc tamen antiquitatis meliori studio, quod rem vetustiorem subinde indigitavit et praevie monuerit. Heic tamen in statuenda aetate observandum mihi occurrit: an non Bohemi, aeque ut Teutones, illam medii aevi poetarum turbam sequuti fuerint, a quibus semilatina, ut ita dicam, habemus opuscula in similiter desinentes syllabas versiculis descripta. Nosti vitam S. Adalberti etc. Post tuum Vienna discessum collatione facta tui manuscripti cum illo teutonico Palatinae Bibl., quum saepius uterer Glossario medii aevi lat. cum primis voc. Passional., Martyrol., mihi haec cogitatio suborta est ea potissimum de causa: quia MSS. teuton. Passional., quod ad vitia Neronis non convenit cum antiquiss. fragm. bohem. Bibl. Palat. Vindob., quia tu bohemicalem Alexandrum ex stili indole seculo XIII. scriptum justis utique de causis existimabas; nunc vero ob chronologicam MSS. Nicolsp. causam arbitraris, non posse majorem aetatem ferre, quam XIV. postr. partem. Ad haec finge: Versionem antiquiorem teutonicam Ulmae editam celeberrimi illius libri Kelila et Damna tanquam MSS. et versionem nostram posteriorem omnino illa, identidem ut MSS. an diceres? Versionem nostram ex teutonico esse desumtam exemplari, in eundem modum, sicut in hoc producto exemplo teutonico *Gestorum Alexandri magni* putas archetypum

invenisse *Alexandri bohemicalis.* Ipse vides difficultatem superandam in componenda aetate stili cum anno 1352, immo sequiore tempore; potuitne adeo stilus mutari intra exiguum temporis spatium laudati *Alexandri bohemicalis*, ut a stilo Hussi et formulis loquendi aliorum per id tempus, tam perceptibili charactere discriminis philologici distaret? Ne existimaveris, haec a me ideo dicta, ut tantum contradicam et nostros Germanorum imitatores fuisse negem: sicut enim non negaverim horum diligentia Konacžium inductum fuisse ad bohemice reddendum *vitae humanae Directorium;* quin tamen dici possit, eum ex teutonica versione bohemicam dedisse interpretationem, quia ex latina suam fecisse manifeste profitetur et constat ex collatione exemplorum; ita ex aliquo consensu nostrorum monumentorum antiquorum cum teutonicis non facile dixerim, majores nostros ista ex teutonicis exemplaribus accepisse. Potesne asseverare auctorem tui manuscripti, quod ad vitam S. Procopii attinet, ex teutonico exemplo bohemicam fecisse? Mihi videtur ex Sazaviensi monacho, atque ad imitationem antiquarum, ut vocant, Sequentiarum (nostrorum in exponendis hymnis latinis studia nosti) primum illud tui manuscripti monumentum adornatum esse, atque ita factum, ut Germani aeque ac nostri sua ex latinis archetypis mutuati fuerint dispari ingenio atque libera translatione; unde dissensum quendam, frequentius vero consensum in illis monumentis ortum fuisse existimaverim. Velim convertas illa popularium nostrorum studia et videbis sec. XVI° Thomae Mitis et aliorum rursus ex bonis hymnis bohemicis latine factos, non tam bene, ac Juvencus, Prudentius, Sedulius, Venantius, Fortunatus etc. dederunt, quos illi supra laudati medii sequioris aevi poetae imitari voluerunt, sed gustu barbaro homoeoteleutorum.

Fors heic longius abivi? Tu me in viam meliorem reduc! nosti enim animum meum, quo simplicius pro veritate ago. Gaudeo vehementer, tua industria fieri, ut et initia et progressum in studiis rei literariae slavo-bohemicae ex analogo studio Germanorum investigare possimus.


Quod ad d. Anton propositos conatus in conferendis symbolis ad Bibliothecam slavicam attinet, adquiesco tuis consiliis atque incitamentis, ut festinem, et nolim exspectationem vestram fallere diutius; quam ob rem desiderium ferre non possum patentis accessus ad Bibl. Palatinam, et mallem cras diem 3. Novembris numerare, ut etiam tuo desiderio, ea ex MSS. cod. Ptolomaei de *μστυλα* excerpendi, quae tu postulas, satisfacere valeam.

Rossiani operis Varr. lect. vol. I. Pragae ex tuis manibus accepi et tum pro illo 1° vol. accepto, tum etiam pro II° [juxta praescriptam normam praenumerationis, qua exigebatur, ut in perceptione I. voluminis immediate pro sequente volumine pecunia numeretur] decem florenos, nimirum 5 f. pro recepto et 5 f. pro consequenter percipiendo tibi numeravi d. Ungar traditos. Quam ob rem non falleris in tua nuper ad me data epistola scribens: »Nisi fallor, 2dum volumen jam recepi per te;« nam relectis tuis epistolis, quas tanquam mihi gratissimum manuscriptorum thesaurum servo et recto ordine numeratas habeo, sub No. VI. ad me Heinrichsgrünio die 17. Julii 1786 data, ita scriptum invenio: »Magno me obstrinxisti beneficio, quod pecuniam Haselmayero numeraveris pro III° (tertio) vol. operis Rossiani.« Haselmayerus enim praetendebat in IIdi voluminis, quem ego tibi mittendum

suscipere volebam, traditione praenumerationem pro III[io] vol., cujus, tuo tantum nomine, cum alii Pragenses nihil mihi in commissis dederint, causam in me suscepi et ad finem usque perduxi. Heic habes, quod ad me et te attinet, rem liquidam. Mihi videtur, ut scribis errorem apud cl. Ungar cubare, nam jam ante tres annos hujus non perceptae per eminentissimum Garampium pecuniae cl. Rossius literas Viennam dedit ad Haselmayerum et d. can. Smitmayr, et ipse Haselmayerus ex me rescire cupiebat certiora, cui tamen defecta notitiae satisfacere non potui, quod ad reliquos Pragenses *praenumerantes* attinet. Non potest optimus Rossius fraudari justo pretio operis sui, ut scribis 2. et 3. vol., etsi putem et in hoc voluminum numero errorem cubare.

Tua indulgentia utar manuscripto nostrae literaturae pretiosissimo, ut plurimum potero, est enim maximus vetustioris nostri sermonis thesaurus; nec si me mors subitanea e vivis subtraheret, heic quidquam timendum habes; postquam necessaria in usus meos excerpsero, mature, ut vis per currum publicum cum gratiarum actione remittam.

Formae literarum, quibus Wenczeslaus scriptor Chronic. Trojan. 1467. suum cognomen involvit, nisi fallor, hujus figurae clavi nituntur:



Unde sunt: ⅃ ⊔ L ⊐ □ ⊏ ˥ ⊓ Γ; sed quod ad puncta attinet, non satis recte commemini. Ante aliquot menses professor Alter in Bibl. Palatina legendum mihi monstravit librum in forma 4[ta] hujuscemodi, nisi fallor inter diversa cryptographiae genera etiam similium literarum formas continentem; ut primum Biblioth. adire potuero, in librum et literas inquiram; tunc enim aliis rebus occupatus librum hunc legere non potui.

Majori desiderio rescire cupio, data occasione et tibi opportuno tempore, formas literarum tabulae, quam reverendissimus canonicus Rzikowsky Cremsirii servat, quarum illa ab aliis cyrillicis diversa et saepissime obvia ⍏ nulla alia mihi videtur esse, nisi wallachica ᛦ, sed cum lineola subtensa, in eundem ferme modum, sicut inter Runas ᛘ = M etiam superne clausum ф occurrit. Vid. ᚱᚢᚾᛅᚱ seu danica literatura Olai Wormii cap. 8°. Et tu alioquin nosti glagol. ᚠ = ᚠ.

Runarum puncto insignitarum seu recentiorum numero septem, quibus Waldemarus II. circa a. Ch. 1216 alphab. runicum auxit, heic oblata occasione, breviter tibi notum facio, identidem Hussum apud nos fecisse; de qua inventione Hussiana alias plura, in tuum usum, et cum primis ad firmandam tuam sententiam oppido felicem — Literarisches Magazin 3. St. pag. 73—74: Aus dieser kleinen Probe etc. In opusculo Hussi anno 1406: Proti knězy etc. scripto, et juxta MSS., ut ex subscriptione pag. ult. patet, impresso per Paulum in monte Oliveti *an. Domini milesimo CCCCCIX.*, est accurate expressa orthographia alphab. Hussiani, et prorsus eadem cum adhaerente manuscripto catechetico Bibl. Pal. Vindob.

Angustia chartae jam monet, ut te optime valere jubeam petamque a te redamari. Iterum vale.

LI.

1789 — 3. listopadu. Dobrovský mimo jiné podává zprávu o kapitulním rukopise české Alexandreidy, o přehlasování *u* v *i* v této památce, o Procházkově vydání Dalemilovy kroniky, připojuje některé výklady legendy o dvanácti apoštolech a končí svůj list výkladem liter ꝑ a ꝯ, odkud vzaty byly.

Hradisstii 3. Novemb. 1789.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Me tuis summopere delectari literis, facile credes, cum nostrum uterque iisdem trahatur studiis, quae et animos conjungere solent arctius. *Alexandri* nostri *bohemicalis* archetypum me invenisse non tam asserui, quam opinatus sum; ipseque jam antiquiorem agnosco bohemicum Alexandrum, quam manuscriptum illud germanicum Nicolspurgense. Immo arbitror formulam germanicam non tam ad libri consummationem seu absolutionem pertinere, quam ad descriptionis vetustioris exemplaris tempus designandum. Unde nihil obstare videtur, quo minus dicatur, etiam in hoc fabularum genere Bohemos excitatos fuisse Germanorum exemplo, uti hos aliorum studiis. Quamvis non desint exempla, quibus doceri potest, etiam germanicae linguae studiosos secutos fuisse quandoque bohemica exemplaria, uti constat de Dalemili translatione germanica duplici, rhythmica sec. XIV. et prosaica Hofmanni sec. XV., quem fortasse non nisi rhythmicam versionem prae manibus habuisse, opinari licet. Procopii vitam latinam, quam Bollandistae ediderunt et cujus multa apographa vidi et tractavi in manuscriptis sec. XIV. ex bohemico compilatam, seu ut praefatio quibusdam exemplaribus praefixa habet, ex slavonico (utique bohemo-slavico) opinabatur is, qui praefationem istam conscripserat. Sed omnino falsus est, nam si ex bohemico vertisset, non potuisset — magna ex parte — retinere integras periodos et verba eadem, quae leguntur in continuatore Cosmae Sazaviensi. Neque bohemica vita rhythmica ex Sazaviensi confecta est, sed ex latina illa sequiore et multum foedata fabulis, in quarum numero est et illa de canonicatu Procopii in ecclesia Wissehradensi et studio seu schola linguae slavonicae celebri in eadem ecclesia. De Rosario, quod *pateř* vocat poeta rhythmicus, non recordor, utrum quaedam legantur in latina Procopii vita.

Quod in Dalemili opere describendo fecere scribae, hoc idem jam factum adverto in Alexandro bohemicali, ut non dubitem exemplar bibliothecae Metropol. Pragensis sec. XIV. scriptum (ut ex characterum ductu certo colligi potest), ex antiquiori desumtum fuisse. Exemplis paucis rem illustrabo. Scis in fragm. Vindob. non scribi *lide*, sed *liude*; sic etiam in *Bohemario* anni 1309 semper, *nunquam lide*. Atqui in Alexandro *lide*, *lidi* scriptum est, etiam iis in locis, in quibus ipse rhythmus scribendum suaserat *u* pro *i*. Exempla haec excerpam:

A kdyz ten wnyeczem bludy
Gyenz ſmyſlem wſyel nawſye lydi,

utique auctor scripserat *liudi*.

Aliud: Tu myſl magy mnozy *lyde* (utique *liude*)
Ze tak brzo zle poſudye.

(Per parenthesim hic noto, legendum *poſudě*, in 3[tia] persona plurali, non *poſudi*, ut nunc; nam apud Moravos*) adhuc in usu est 3[tia] plur. in *a, ſudia, wida, pála* pro *ſudí, widí, pálí,* quae verba nostri jam olim [uti solent *a* in e mutare] efferebant per *e*: *ſudě, widě, pálé,* quod fortasse jam adverteris alias.) Haec duo exempla sunt ex praefatione. Alia depromam: Cap. 14[to].

Kral vſlyſſaw rzyecz ſwych *lydy* (liudſ)
Wecze procz was ſmyſſl wtom *bludy*.

Attamen non desunt exempla, ubi *lyud* scribitur, ita ut scriba vetustius apographum pressius his in locis expresserit.

Cap. 27., quod inscribitur: *Hic poſt bellum rapiuntur bona* — latinis nimirum verbis his, quae subduxi:

Iuz bye *lyud* y kony ſtaly (quamvis hic rhythmus non exigebat;)
Gyeſto byechu bogyewaly.

Aliud cap. 28.: Vzrzyew tak ſlechetne *lyudy*
Myloſrdye ſye wnyem zbudy.

Cap. 29. inscripto: *In craſtino poſt bellum mittit Damaſcum nuncios.*
Wſyeczky czoz tu byeſye *lydy*
Przyedmyeſto ſobu wyludy, et interjectis duobus
versiculis: Podda naſmrt ty wſye *lydy*
Zle ſye to *obak* poklydy (alias *klyudy*).

Vides scribae inconstantiam: Neb yakz ty *lyudy* pobychu
Gemſye ho nakolo zbychu.

Post pauca: Czoz wtey wlaſty (regione) byeſye *lydy* (leg. *liudy*)
Wſyeczky podſwu mocz przypudy.

Iterum post pauca: Tu bezczıſla lyudy zbychu
Drzyewe nez myeſta dobychu
Ten *ſturm* ſta zadwa myeſyecze
Neb geſtye ktomu wyecze.

Nota germanicam vocem, uti et *Helm*, quam etiam Dalemilus habet.

Eodem cap.: Tehdyz *lyudem* yrozkaza
Achtye ſnymy kſturmu teczy.

Iterum: On gych myſſl pokornu wyda (wida)
Swymy *lyudmy* vmyeſto wnyda
Wogyem dobrzye otpoczynu. Confer croaticum *voj*, exercitus.
Az ponye ſeſt nedyel mynu.

Cap. 30. inscripto: *Hic dirigit gressus in Egyptum.*
Mnoho ſto kony vwazu
Snymyz v (forte y) *lyude* zahrzazu, (confer *pohřížiti*)

Iterum: Vnyez *lyudy* ſyla bywa
praecedit: Kdezto ta modla przyebywa.

---

*) Durich nadepsal: Slavos.

Cap. 31: Mnoho bye *lyuda* fproftneho
Atak dofty twrdeho (certe *tako*, uti alias, cum syllaba
Eodem: Wyecze nez fto tyffycz *lyudi* una defficiat.)
Sobu nawoynu *wyklydy* (utique *wyklyudy*).
Cap. 33. inscripto: *hic luna permutatur.*
Tehdy fye wes *lyud* zamuty
Rzka czo fye nadnamy fkuty.
Cap. 34.: Kral vflyffaw rzyecz fwych *lyudy*
Vzrzye ze fye zle onyem *klyudy*.
Cap. 35. *Hic Aristoteles de luna exponit.*
Ten ftworzytel wfeho *lyuda*,
praecedit: Nedrzte fye wtom obluda.
Iterum: Nebo mor wftupy na*lyudy*
Nebo fye kde walka wzbudy.
Iterum: On vzrzyew myffl fweho *lyuda*
Ze *iuz* nezada *klyda* (klyuda) (*nez* aut *iuz*, dubium)
Kaza by fye *lyud* oblaczyl
By fye opyet nerozpaczyl.

Vides jam ad finem usque a medio cap. 29no constanter scribi *lyud*, ubi initio poematis hujus epici librarius more suo seu sequioris aetatis saepius contra legem rhythmi *lyd* scripserat. Dalemilum sibi minime restitutum a nostro Procházka, non satis in his monumentis versato, doleo; nam manuscripta, ex quibus equidem pauca collegi, satis ostendunt, ab eo neglectas fuisse lectiones antiquiores, aut in suis non repertas. Si cupis, dabo tibi exempla, quamvis multa ipse in notis adnotarit, quae textui inseri debuissent. Nimirum ab edito nolebat editionem suam multum differre. Perperam multa ab eo explicata, tu ipse jam adverteris; nec tempora praeteriti simplicis *pocze*, *pogie*, *tecže*, recte ab illo in futurum conversa. Sed gratiae tamen ei habendae pro eo, quod praestitit. Geschinium certe superavit. Patere jam, ut loca quaedam fragm. Vindob. illustrem, pro beneficio, quo illud mihi dedicasti. Primo versiculo nescio num *sizny* a *žisen*, sitis, aut *žizn*, fertilitas, deducere velis — aut alio modo reddere.

3us versiculus habet eum sensum, quo alias explicavi. Nam Dalemilus pag. 302. eundem sensum hisce expressit: Ti fkut-cy nemohli gemu dobře zteczy; substitue pro dobře — pokobie et habes eundem loquendi modum. Versu 6 est *zwieř* gen. femin. et v. 18. gen. masc., quo putas discrimine? Eodem, quo nostrum *zwěrz*, das Wild, ferae, collective, et *zwiře*, Thier, animal. zwěrz masc. gen. est nostrum zwíře, quod est deminutivum a *zwěř*, sicut ab *ofel* — *ofle*. Cape exemplum ex Alexandro. In praefatione haec habet

Neb ffem przednym tako maly
Iakz przedelwem *zwyerz* vftali
A przedflunczem woffcztyena fwyeczka
Neb przedmorziem myelka rzieczka.

Ad vers. 35. při *nepokogiu*: Cap. 30. legitur in Alexandro:

Gyez (gež, quod) gdyeſye *lydu* obogyu (o bogi, Morav. o bogu),
Kſtraſty kſmutku knepokogy (utique olim: k nepokogyu).

Ves. 3. columnae 3[tiae] *ýw* legendum *yu* (uti Germani fraw olim pro frau) nempe Moravorum more *gu*, eam, pro *gi* bohemico.

Vers. 7. hujus columnae: pro *tak* puto legendum *cak*, kak mi zly nečeſe? *ý* notatum denotat j consonantem, non *i* vocalem, unde ýw necessario legendum ju — gu; uti colum. 4. vers. 11. yus, guž, giž, *quam*.

Vers. ultimo: ſobu pro ſebu, adhuc in vers. bohem. Pulkawae legitur et in bibliis anni 1417; immo serius adhuc. Ut hoc addam ex Alexandri c. 22°:

Wſyeczky ſye ſkaly borzyly
Taky byechu krzyk *ſtworzily*,

hac significatione, faciendi, nullum adhuc alium locum notavi, quam istum.

Me cl. Denisii memorem esse, indicet imago Kunwaldsky, quam ei trades.

Figura *τοῦ* Ⱃ non videtur recte pingi Ⱃ sine claudente lineola. Nam non e graeco γ minusculo, sed e latino R, R, R, efformata mihi ab auctore glagolitici alphabeti videtur. Is enim et in aliis literis latinos characteres imitatus est uti in ⰴ ex *d* duplici, recto et inverso; ⱋ ex L et inverso ⅃ _ ⅃ L conjunctis ⅃L et ductibus duplicatis ⱋ, addita lineola horizontali.

LII.

1789 — 5. prosince. Durich podává zprávu o jménu řeky Visly u Ptolomaea, o penitentiáři, tištěném v Norimberce r. 1518, o kulturních poměrech Slovanů a Němců, a o jihoslovanském služebníku, tištěném v Benátkách r. 1571.

Viennae, 5. Decembr. 1789.

Dobrowskyo suo Fort. Durich s. p. d.

Non possum aptam clavim investigare ad reserandam cryptographiam *τοῦ* [cryptographic signs] etiam interpellato auxilio cl. Denisii, qui tibi summas habet gratias pro Kunwaldskyi imagine et in adjecta schedula clavim alphabeti, quo lib. Murarii, uti solent, transmittit, ut testimonium habeas, nos indagandae scripturae operam, etsi in irritum, dedisse.

Felicior fuit investigatio in lectionem Ptolomaei, quam scire volebas: utrum in MSS. codd. *ιιστυλα* (Vislam tu intelligis) scriptum sit? Accipe quatuor oculorum fidem, quorum duo et exercitatissimi sunt antiquorum graec. codd. lectione, et uniuntur menti graecas literas optime percipienti. Itaque in codice Caesareo membraneo maximae formae manuscripto folii 18 pag. 2, ubi Sarmatiae europeae ponitur *θέσϊς*, ter occurrit nomen Vistulae scriptum per στ — *μετὰ τὰς τοῦ οὐϊστουλα ποταμοῦ* — pag. 1. fol. 19.: *τὸν οὐϊστούλ*[6] — et paulo post — *τοῦ οὐϊστουλα* [ō].

Sed in ipsa tabula adversa pag. 64:

Εὐρώπης πίναξ Ἔνvατος,
Γερμανίας μεγάλης μέρος
(et)
CΑΡΜΑΤΪΑ Ἡ ἘΝ ЄΥΡΩΠΗ ·:·

Inter has tamquam limitem ponens Visulam Ptolomaeus scripsit procul dubio originaliter, ut heic habetur sine ι —

ιισουλας ποταμός,

cujus origo ponitur inter eos, qui heic in tabula scribuntur —

Ὀμβρώνες
ἀναρτοφρακτοι.

Summas tibi ago gratias pro communicatis mecum observationibus et notitiis literariis; gaudeoque vehementer de meliore opinione circa originationem eruditionis nostrorum popularium, quam ego nunc semper de fontibus Latinorum derivare malo et frequentius inde sumtam certis monumentis invenio.

Non tibi rem ingratam facturus sum specimine adducto ex foliis quinque in 4° impressis: »Nuremberge per Hieronymum Höltzel. Anno ſalutis nostre 1518. decima quinta mensis Januarii« (ad calcem libelli, qui hanc inscriptionem habet):

»Incipit Penitentiarius«

Peniteas cito peccator, cum sit miserator
Iudex: et sunt hec quinque tenenda tibi
Spes venie: cor contritum: confessio culpe.
Pena satisfaciens: et fuga nequicie.
Czin pokani hrziſſniczie.
Poniewadzt geſt miloſrdny ſudcze.
A tiecht piet wiecy hled zachowati.
Mieg nadiegi k bohu | a chtieg ſe ſpowiedati.
Skruſſene ſrdce k tomu czin za hrzichy doſti.

Deinde sequitur interpretatio teutonica octo versibus reddita magisque paraphrastica, atque in hunc modum interpolatim atque dicta serie, ut latinum archetypum praecedat, dein ponatur versio bohemica, hunc vero consequatur teutonica, absolvitur opusculum, quod adhaeret libello Cochlaei de sacramentorum gratia edit. Francofurt. 1523.

Si ex illis gradibus facienda sit conjectura, quibus omnes gentes ad culturam ingeniorum pervenerunt, non diffiteberis Slavis illam praerogativam deberi, a quibus Teutones et agriculturam et mercaturam et pacis studia artes nimirum — didicerint, ut viri Germani nunc ingenue profitentur: notus enim tibi procul dubio est liber duobus tomis in 8° comprehensus: Friedrich Chriſtoph Jonathan Fiſchers Geſchichte des Teutſchen Handels. Hannover 1785, in quo res Slavorum complures tam egregie collectas atque illustrando nostrorum majorum ingenio et industriae aptas nusquam quaesivissem; ex isto celebri viro Johannes G. Hentze sua praecipue construxisse mihi videtur.

Nunc satis mirari non possum, quomodo literarum usum, (non propriis sonis coaptatarum) sed alienarum, immo omnium bonus noster Dobnerus Slavis ante Cyrillum negare potuerit, qui tamen fontes illos potiores, ex quibus suam historiam Fischerus contexuit, legit, aut fors excerpi curavit. Nolebam ego illum, ut nosti in mea dissertatione offendere, etsi rem subodoratus fuerim; ut tamen ingenue profitear, per id tempus, immo primum ante exactum annum incepi magis historiam Slavorum ad Vistulam, Salam

et mare Balticum pluris aestimare. Plura alias ad hoc institutum, quod tu dissertatione tua pulchre illustrasti, pertinentia perscribam. Nunc aliquid notitiarum de rebus slavicis in Bibliothecae Palatina cognitis, pro tuo munusculo reddam.

Iterum novum typographum Venetum a. Ch. 1571. detexi. Signat. Biblioth. Palat. Vind. XIX. M. 27. servatur libellus in 8° minori typis (quorum alphab. infra adscribam) excusus sine custodibus cum figuris ex ligno inciso, signat. M. 4. In illo continentur varia officia: beatae Dominae, officium sanctae crucis, s. Spiritus, septem psalmi cum litan., officium mortuorum. Anmus edit. in prima pagina cum signo typographi, in scala erecta quinque graduum, summo incumbit stella, infra in encarpis ꟻB ex utroque latere vir tunicatus ultra genua et gladio accinctus ad calcem libelli.

ЩАНПАНО · Ѹ БЬНЄЦНЄХЬ · НАКОБЬ.
ДЮ БАРОМЬ · Н АБРОЖО · КОРЬСО · КѸМЬ
НАНО АЛАСЕНА ДЮЛА СКАЛА.
Ѹ. Ѵ. Ѣ. О. А.

Ob complures psalmos et quasdam lectiones e sacra Scriptura desumtas in pretio mihi est, sed et istae partes sunt vulgari sermone interpolatae: ut пѹпа pro plna — стѡвомь — мећѹ — мапко etc.

Quoties in literali est въ, heic ѹ e. g. ѹздихаиьюмь.

Integrum alphabetum ponitur sub principium officii primi:

А Б Ѿ □ В Г Д Є Ж Ѕ З Ꙇ И К Л М Н О П Р С Т Ѹ Ф Х
Ь Ѿ Ѵ Ш Щ Ѣ Ꙗ Ю Ѥ Ѳ Ѡ Т̄ ⁂.

Vides deesse V, quod tamen frequentissime occurrit in libello

Sed jam parce Hebraeorum more scribere epistolam incipienti; silentium, si diutius produxi, ne te nimium occupatum distraherem, compensabo proxime. Vale et me amare perge. Salutat te Denisius et Alter.

(K tomuto listu přiložen lístek Denisovou rukou psaný s následujícím obsahem:)

a. b.	c. d.	e. f.
g. h.	i. k.	l. m.
n. o.	p. q.	r. s.

T
u X w
x
z

┘ ┘· ⊔ ⊔· └ └· ┐ ┐· □ ⊡ ┌ ┌· ┐ ┐· ⊓ ⊓· ┌ ┌· V > < Λ Λ·
a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u w x z

Um den zweyten Buchſtaben von dem erſten zu unterſcheiden, wird allzeit in die Mitte einer jeden Figur ein Punkt gemacht.

LIII.

1789 — 10. prosince. Dobrovský odpovídá na list předcházející, zmiňuje se o svém článku, týkajícím se nejstaršího slovanského datum v země- a dějepise, o kultuře baltických Slovanů, o vlivu německém na Čechy, o abecedě u Maura Orbína, o Schlözerově spise »Probe russischer Annalen, o spise Komulovićově »Nauk karsćanski« z r. 1580, o překladě písma svatého do slovanštiny, o slově »koba«, o spisech Balbových a kromě drobnějších zpráv zakončuje svůj list popisem dřevěné desky s vyobrazeními a nápisy v Kroměříži.

Hradisstii 10. Decemb. 1789.

Fort. Durichio Jos. Dobrowsky s. pl. d.

Quod saltem semel *ουσυλα* scriptum sit in Ptolomaei codice, quem inspexistis, mire delectatus sum. Pomponium Melam legens *Visulam* ejus ex slavico Visla ortam facile conjicere poteram. Dum inquirerem in antiquiores geographos reperi nulli ante Melam notum flumen istud; ergo et nemini notos esse posse Slavorum populos, quorum regiones seu sedes ad Vistulam et Oderam locandae sunt. Scripsi ea de re recentissime dissertatiunculam:*) Ueber das erste Datum der slaw. Geographie und Geschichte, quam Soc. scient. Bohem. transmisi. Ptolomaeus primus est, qui Viadum, Viadrum habet, quem Oderam interpretari solent. Rescire velim, quomodo d. pr. Alter *ἀναρτοφρακτος* interpretetur, utrum *ἀναρτο* ab *ἄρτος*, an ab *ἀρτάω*, *ἀναρτάω* deducat. Quid, si *ἀναρτο φρακτοὶ* sint ad Vislam habitantes seu Visla, graece *ἄναρτος*, quasi pendulo, suspenso fluvio, septi?

Libellus Norimb. imp. 1518 confirmat, nostros eo tempore seu ob male instructas typographias domi, seu ob commercium frequens multa Norimb. imprimenda curasse. Herbarium Joan. Czerny, quod eodem temp. prodiit, nosti.

Teutonos quosdam agriculturam a Slavis didicisse non nego, quamvis illi ante jam agriculturam exercuerint Romanorum exemplo. Sed non valet ab uno minus culto populo Germaniae conclusio, qua evinci poscit, omnes omnino Germanos a Slavis haec, quae commemoras, didicisse. Nec omnino sequitur, omnes Slavorum populos ad eundem gradum culturae sive vitae civilis sive artium pervenisse, ad quem litorales illi ad mare Balticum. Maris accolae prius exercent ingenia, quam nomadum more viventes in sylvis et campis. Quod Fischerus habet, eadem jam docuit Schlözer in der Geschichte der Schiffart und des Handels.

Literis omnino usi sunt Slavi boreales ad m. B. et quidem runicis — ast a quo tempore, vix constare potest. Runicas literas ad Daniam pervenisse circa 7mum sec. jam cl. Ihre in binis diss. *de Runarum antiquitate — et de Runarum origine* docuit. V. Schlözeri Nordische Geschichte p. 572 et seqq., ubi de Runis apud Slavos p. 616 agitur. Si idola et templa Slavorum aetatem Cyrilli excedunt, uti videtur, etiam runicae literae earumque usus apud Slavos antiquior cyrillicis videtur. *Bohemos* tamen non nisi Germanorum imitatores fuisse, sive Germani illi germanice seu latine scripserint, mihi adhuc persuasum est, praecipue, quod poesim attinet. Quid enim opus fuisset

*) Otištěno v »Neuere Abhandlungen der k. Böhmischen Gesellschaft der Wissenschaften«, Band I. (1791), pag. 365—370.

et rhythmum et metrum Germanis proprium boh. versibus coaptare? Perpende, quaeso, et relege, quae Germani a medio sec. XI. usque ad sec. XIV. in poesi praestiterint et desines mirari. Epocham istam — solemus vocare in hist. l. germ. der schwäbische Zeitpunkt — et die Minnesingerzeit, inter quos et Wenceslaus, rex Boh., sec. XIII. fuit. De lingua germ. legenda tibi erit dissert. nostri Pelzelii — interim non nego multa a latinis sumpta; plura tamen a Germanis. Quod si vis, contendam ego tecum hac ratione, ut tibi ostendam, quae et quot vocabula originis germ. Bohemi assumserint, — deinde quae nova ad normam germanicorum formaverint, quamvis omnino monumenta antiquissima illa et quasi prima pericula non exstent amplius. Immo bohemicae l. is est character certe jam a sec. XI., quod illa germanicae magis conformata sit, quam dial. reliquae, quae iterum vicinorum commercio et consuetudine varias subierunt mutationes. Alia jam tractemus.

Alphabetum, Venetiis 1571, expressum habet etiam *Mauro Orbini*, ut jam me monuisse recordor; nimirum ՈՂ et □ (Ⲡ) V et ⱶ, ꙅ et si quae aliae formae a consuetis differunt. Clausulam finalem non intelligo integram; sed satis est, si tu intelligas. Pro Dalmatis liber hic videtur impressus, cum inter ь et ъ nullum discrimen sit, ѹ pro в ponitur secundum dalmatam orthographiam, latinis literis consuetam u pro w.

Varia scripturae slavon. genera jam paucis explicavit cl. Schlözerus in lib.: Probe russischer Annalen p. 182. Agit ille quidem de codd. slav., quibus Nestoris Chronicon continetur, sed tu fortassis etiam ista non negliges. Notatu digna certe sunt, quae vir cl. p. 185. a verbis: *die Buchstabenzüge* usque ad verba: mit jedem Jahrhunderte; et iterum de orthogr. p. 191. fere minus recte. Iterumque p. 204., 205. de antiquissimi Chronici Nestoriani codd. Nisi tu haec fortasse jam pridem legisti et excerpsisti.

Illud autem velim, ut curiosius pertractes, quid sibi velit Schlözerus p. 64. his verbis: die armenische Bibelübersetzung hat den Streit auf einmal entschieden, controversiam intelligit de auctore slav. vers. Hieronymo — citatque nota 14. *Whiston* in der Vorrede zu Mosis Choronensis hist. armeniaca p. 7. Subestne hic aliquid, quod ego ignorem? an solum istud ostenditur per homines suae linguae Hieronymum intelligere *latinos*.

Nuper incidi in libellum dalmaticum, cujus stylus ad slav. literalem proxime accedit. Ei titulus est: »Navch charstianschi za Slovignschi iazich. Dottrina christiana per la natione illirica nella propria lingua« in 8. pagg. 126. cum uno folio non signato. P. 3.: »Navch charstianschi za narod slovignschi sloxen po poctouanomu Gospodinu Dom Lexandru Comulouichia Canonichu, i Vlastelinu Splitschomu« et pag. 126.: Finisce la dottrina Christiana, composta per Don Alessandro di Comuli Spalatino. Fol. sequens non signatum numeris: *ctecchim* (lectoribus) inscriptum est notatu dignissimum. Ait enim auctor: neminem mirari debere, si reperiat in interpretatione hujus doctrinae christ. verba et voces, gouorenye i reci illi imena, quae amplius non sint in usu, sed talia, quae reperiantur in Psalterio et aliis libris Script. sacrae olim in linguam nostram (slavonicam utique) conversis — dignum enim esse, ut talibus uteretur vocabulis, qualibus usi sint antiqui doctores nostrae linguae »a naulastito S. Hieronim chruna, cast, i dicha naroda i iazicha nafcega«, qui, uti ipse

testatur in epist. ad Sophronium, interpretatus est et tradidit (poda) *Psalterium* hominibus suae nationis »fuoiega naroda«. Exponuntur deinde voces infra, uti e. gr. ischoni — in principio, nacelo — principium, obras — forma, succhiastuo — substantia, sobstuo — persona, schiezaet — evanescit, v ad — ad inferos. etc. Post errata et duo disticha dalmat. »In Roma, per Francesco Zanetti. 1582. Con licentia de Superiori.«

Ergo doctiores non affirmarunt integra biblia versa fuisse ab Hieronymo, sed tantum Psalterium. Nec etiam ullibi gentium exstant biblia glagoliticis literis. Nondum eo tempore Psalterium correctum fuit secundum Vulg. latinam. Immo plus dicam, rem notam fuisse, dalmaticum officium divinum, quamvis crediderint ab Hieronymo versum, non ad latina, sed graeca exemplaria fuisse expressum; ita, ut, si sermo sit de sec. XIV. et XV., non possint missalia dalmatica dici slavo-latina. Quod mihi videtur stabiliri posse ex Blondo († 1463), quem p. 123. Kohlius citat. Notanda sunt ejus verba: »ex *graeco* in slavonicum, quod gloriosus pontifex Eugen. VII. (utique IV.) *per nostras manus* illis confirmavit.« Vidit nempe Blondus liturgiam slavon. latinae minus conformem adhuc aevo suo, in plerisque saltem, si non in aliis, certe in lectionibus ex S. sacra desumtis. Cum Kohlius mihi nunc ad manus sit, obiter monebo, *J. P. K. de conscribenda bibl. slav. consultationem* (*Tom. 1. lib. 4. Parerg. Goetting.*), de qua alias scripseram, esse Joannis Petri Kohlii, cujus ipse in praef. nota (c) meminit. Nihil autem continet, nisi ea solum, quae fusius in introduct. pertractat, uti me per lit. dn. Anton nuper edocuit, ut jam non sit opere pretium diutius in eam inquirere.

In illyrica metaphrasi, elegantissima certe, sive Saltjer Slovinski spjevan po D. Ignaziu Gjorgi, Venetiis 1729. 4[to] impressa, exponuntur ad finem minus usitata vocabula decem paginis, inter has tandem reperi *koba* ad illustrationem fragmenti boh. »*kobni, od kobi, d'augurio.*« Quid *augurio* sit Italis, facile rescies. Vox ergo *koba* non nisi apud auct. dalm. reperiunda — certe in lexico della Bellae et apud *P. Stulli* invenietur. Pro *po kobie*, ex voto, nunc erit, secundum opinionem, suspicionem, uti suspicabatur, augurabatur — interpretandum; eodem fere sensu; et derivandum a *ky, ka, ke,* quis, quae, quod.

Si P. Stulli, Franciscanum, conveneris, quaeso, salutem ei a me expedias rogesque meo nomine, ut mihi exponat vocabula: *har, harnos* (charnoft), *hro, haran, harnik, harli, chrabren;* quorum omnium significatus idem videtur. Nam videor mihi in his appellationem Croatarum (charwat) detexisse.

Dn. *Ribay* nullas a te literas se accepisse scripsit; facile credo, id justa de causa fieri. Nunc te rogatum velim, ut quae de Balbo hic dicturus sum, schedulae inscribas et cl. Denisio tradas pro Nobili d. de Roetzer.

»Vom Hier. Balbus fand ich noch nichts als: D. Hieronymi Balbi jureconsulti Itali liber continens Bohemiae et procerum ejus laudes. Pragae in officina typographica Georgii Melantrichi ab Aventino anno Domini 1560. 8.

Edidit poema hoc Laurentius Span et baroni Christophoro a Lobkowitz inscripsit, quod Th. Mitis iterum in opusc. Hassensteinianis excusum dedit. Utrum autem omnes reliquas partes, quae hic leguntur, Th. Mitis ediderit, dubito. Continentur autem in opusc. hoc, quod describo. 1. H. Balbi epist.

ad Joan. de Sselenberg, quae incipit: *Si pro tuorum erga me meritorum.* — 2. Poema Balbi — Boh. de Hassenstein inscriptum:

Miraris latia genitum tellure Boraeo
axe pati scythici frigora lenta poli. —

3. Hier. Balbi epigramma de auro: *Aurum cuncta mouet, superi flectuntur ab auro.* — 7 distychis. 4. Inscriptio in loco judicii summi (Pragae das Landgericht) *Praemia ne justo desint, ne poena nocenti.* 4 distychis et adhortatio ad Proceres etc. octo linearum soluta oratione.«

Cl. de Rossi nuper respondit, Pragenses recte omnia solvisse, culpam esse in Garampio. Sed apud Viennenses nullum se habere amicum, qui moneret et urgeret solutionem aliquot voluminum. Optarem ego, ut tu aut d. prof. Alter hoc officium exhiberetis viro de literis tam egregie merito. Verum sine licentia vestra expressa non illi audeo scribere, quod opto et a vobis spero. Literas ille, si non renuis, ad te perscribet ea de re, quibus jure committet negotium suum.

Nihil fere magis me excruciat, quam quod ob labores muneris mei, non possim respondere votis dn. Antonii, qui nihil aliud optat, quam *Slaviam.* Fac tu, ut habeamus exemplar, quod inspiciamus omnes, quicunque ad lit. slavonicam suas conferre voluerint symbolas.

Per de Rossium, qui Venetiis amicos habet, slavonicos quosque libros nuper Venetiis impressos consequi poteris. Tu jam vale meque ama.

Cl. Denisium, de Schwandtner, baronem de Brandau, pr. Alter salutabis pro more humanissime.

Dn. Zlobickyo dices, me ei proxime scripturum. Vale.

* * *

Tabula lignea, de qua nuper pauca, mihi tandem transmissa fuit, quam utinam et tu inspicere posses! Marginem superiorem occupant imagunculae sanctorum *novem* eadem figura delineatorum, cum inscriptionibus singulis, quarum prima est **евгеніє**, reliquis praeponitur **сты** — in dextro margine sculptae sunt prophetarum formae *undecim*, eaedem prorsus, solummodo inscriptionibus seu nominibus differentes; ΓΡΡΟΗ ΑΑΡΟΝ primus est; in margine inferiore iterum octo sanctorum imagines conspiciuntur, inter quos primus est СТЫ ΓΡΟΚΟΙΙΙЄ. In sinistro margine decem apostolorum figurae, ab aliis diversae, inter se prorsus similes, una extenta manu exhibentur. Medium tabulae occupant imagunculárum 5 series: In prima serie seu ordine quinque **вьведеніє вь цркові** prima est — Christi nativitatem 2da repraesentat — secundae seriei imaginibus itidem quinque hist. evangelica seu Christi continuatur — item 3^tiae^ seriei primis tribus, duabus postremis b. V. dormitio et nativitas depinguntur seu scalpro exprimuntur. In 4ta serie decem icones apparent, quatuor primae et ultimae totidem sanctos doctores repraesentant; mediae duae, 1ma Michaelem archangelum, 2da Petrum et Paulum. Serie ultima seu quinta exhibentur quatuor sancti equis insidentes, qui ob figurae magnitudinem majus spatium requirebant, **СТЫ ΘЄѠДОТ** inter eos primus est, Georgius secundus etc. Figura τοῦ ⳨ ⳨ est phi, uti ex nomine **Ѳиліп**

et aliis satis notis manifestum sit. In altera tabulae parte, quae vacua est scripta sunt quaedam, quae duabus lineis constant, quae ego quidem lego — singulas nimirum literas, sed minime intelligo; uti nec, quae paulo supra мадналѣ ₓзслн, quibus signa contractionum б ⁓ б̄ superposita sunt, antiquiori, ut videtur, manu exarata sunt, quam illa wallachica.

Contractiones duarum literarum in unam uti ѢПРѦ etc. jam tibi notae sunt ex aliis monumentis. De aetate tabulae hujus non audeo neque possum judicium ferre, cum me non satis exercitatum in istis lubens profitear. Antiquam esse quisque agnoscet, sed quae sec. XV. attingunt, utique nobis vetera sunt.

Characteres nunc penitius inspecti, quos scalpro tam accurate exprimere non licuit, uti alias calamo, a consuetis antiquis non differunt, nisi ruditate. C — Ꮯ, Є — E et sic de aliis. Ꙩ longioribus lineolis pingitur.

Schurtzfleischii Dissert. olim apud d. Heidel vidi et legi. Egenolf p. II. p. 14. Historie der deutschen Sprache — ait: »Venedos scholas habuisse, in quibus runicae literae tradebantur«; additque in nota: »adducit hoc ex Adamo Bremensi Conr. Sam. Schurtzfleisch diss. de rebus slavicis.«

Slavi in ducatu Tessinensi ab aliquot abhinc annis libellos quosdam ad usum plebis Brunnae procudi fecerunt — quales sunt: Pieſň ku mſsy ſwientey. W Bernie 1785. 8. 32 pagg. Ex specimine agnosces ad polonicum idioma proxime accedere, ita fere, uti slovacicum ad bohemicum.

Bože Stworco naß Panie,
Pržed tobom padamy,
Wyſlyß naße wolanie,
za to čie žondamy.

Alumni sem. Hradis., quos hic alimus, asserunt tamen, in quibusdam polonicam l. fuisse expressam, utpote quam puriorem illi autumant. Sic vulgo padomy dicunt, non padamy — ſs utuntur more Polonorum pro nostro ſſ.

Alius item libellus precatorius titulo: Modlitwy. W Bernie 1788. 12. 124 pagg. Initio est expositio orat. domin., deinde symboli, litaniae aliquot, preces ad missam et aliae. Pater noster ita sonat: Oycže naß, ktorýs jeſt w niebieſiech. Swienc ſie imie twoje. Pržyjdž krolewſtwo twoje. Bondž wola twoja, jako w niebie, tak y na ziemi. Chleba naßego powßedniego day nam džiſiay (quasi džen ſey). A odpuſc nam naße winy, jako y my odpußczamy naßym winnikom. A nie wodz nas na pokußenie. Ale nas zbaw ode zlego. Discrimen inter l et ł observant uti Poloni; ſc in odpuſc eſt pro pol. ść, vti z in wodz pro wodź — quibus stigmatibus bohemicum alphabetum caret, uti noſti. Pro *winnikom* dicunt Poloni *winowaycom*; in reliquis convenit plene cum pol. Pater noster. Habent enim illi puriorem pol. linguam pro regula, non bohemicam. Alii Silesii ad Oppaviam ad moravicam accedunt dialectum, quamvis in pronunciando ť polonisent. Vides a Bohemis quasi per gradus perveniri ad Polonos. Et iterum per Moravos ad Slovacos, per hos ad Croatas et deinde ad Dalmatas, Servios, Russos. Quod subinde uno aliquo vocabulo ostendi potest. Ovum, *ᾠόν*, Ey (Ay) slavice pronunciatum est *jaje*, uti Poloni cum diminutione *ce*, jajce, uti Croatae et omnes Illyri; rustice *co* pro *ce*, uti

Russi *jajco*; Bohemi vero pro j amant *w*, wayce (weyce); Moravi, Silesii, etiam Tessinenses, Slovaci crassius *wayco*. Non tamen semper stabunt Silesii pro Bohemis — suram nos leytka vel leytko (olim lýtka) vocamus, ita et Moravi, Slovaci — sed Moravi Silesiae viciniores, Silesii ikro, plur. ikra, Poloni et Russi *ikra* fem. gen., imo et Ungari (láb ikra), *Croatae* lifztanyek et Slavones seu Illyrii lijst, quod nostro lýtka proprius est. Parce jam, si quid nimium et praeter rem.

LIV.

1790 — 15. ledna. Durich odpovídá na předešlý list, zmiňuje se o názvu řeky Visly, podává ukázky z dánské kroniky, podává zprávu o předplatitelích na spis Rossiho, o vydávání »Slavie«, pojednává o slově *koba* a kromě několika drobnějších zpráv zakončuje zprávou o svých pracích literárních.

Viennae, 15. Jan. 1790.

Josepho Dobrowskyo Fort. Durich s. pl. d.

Collectis omnibus tandem respondere possum ad singula tuae epistolae momenta. Professor Alter, (qui tibi mecum ex animo precatur, ut auspicatum ultimae decadis hujus seculi annum sanus et incolumis producas in finem;) etsi multum intentus fuerit originationi vocis *ἀναρτοφράκτης*, nihil tamen sibi videtur invenisse. Ad ipsum flumen Visulam, fors slavici sermonis forma Wyffla nuncupatum, vel, ut tu mavis, Vifla ab *ἀναρτάω*, ut inde etymologiam *Anartophractorum*, quasi *pendulo*, *suspenso fluvio septorum*, elicias, animum intendisse, quisquis primum *ἀναρτοφράκτης* nominavit, persuasum mihi videtur. Sed cum scias, in quem ambiguum modum Graeci et Latini sibilantes Hebraeorum literas scripserint, quanto magis ambiguam complurium slavonicorum sibilantium sonorum scriptionem apud eosdem admiseris? Utique in nostris antiquissimis MSS. novimus hanc ambiguitatem, de qua etiam inter nos, quod ad pronomen ıaʒ attinet, quaestio orta est: an postrema litera sit *τὸ* ʒ an vero ж *τοῦ* жε? Placet mihi, crede, tuae originationis ingenium; sed probandi sunt prius omnes modi scriptionis hujus vocabuli sonis possibilibus linguae slavonicae, tandemque comparatio institui debet cum historia naturali hujus fluminis; nudae enim etymologiae frequentius nos seducunt; atque porro id deligendum, quod magis cohaeret cum historia locorum, temporum, cum dialecto et moribus Slavorum septentrionalium. Heic vero primum omnium inquirendum occurrit: quomodo vicini slavicae originis populi et paulo remotiores propria dialecto Vifulam appellent. Dedisti mihi indicium novis observationum hydrographiae slavonicae collectionibus faciendis, dum scriptores rerum slav. legam; nihil enim notitias geo- et topographicas magis perennes reddit quam flumina, quorum veteri appellatione antiquata, tenebris omnia involvuntur. Utinam Helmoldum legendo pensi habuissem omnia flumina, aliqua enim scio me adnotasse prorsus slavonicae formae et originis.

Nunc in lectione scriptorum rerum danicarum diligenter non tantum nomina fluviorum, verum etiam personarum, locorum, officiorum etc. adnoto. En specimen quoddam ex tomo I. pag. 99. edit. Hafniens. 1772. fol. Ex Petri Olai Chronic. reg. Dan. — de Haraldo Hylletam (Hölletan) in nota:

»et Sclaviam bello vicit ducesque Sclavie *Duc* et *Dal* cepit, quos propter virtutem et fortitudinem ad militiam suam recepit.« Quod ad primum nomen attinet, puto in antiquis Danorum *Vifis* seu carminibus, quibus res gestas sui seculi complexi sunt, runice scriptum fuisse: ᚦᚢᛉ, *Duk*, quia neque in alphabeto septem literis punctatis a Waldemaro II., Dan. rege, aucto, characterem invenio, quo slavonicum nomen **дѹхъ** singulis literis perscribi possit; sed tu nosti, in quem modum etiam in nostris sacris paginis lit. χ et κ commutentur. De eodem Haraldo pag. seq. nimir. 100. legi: »Habuit insuper *Vifnam* puellam de Sclavia, cum multis aliis, quam *aquiliferam* fecit.« An recte mihi videor in illo puellae nomine videre, ab isthoc ipso verbo derivatum vocabulum **визнѧ**, *speciosa*, *formosa*, etsi sciam, armorum causa eam habuisse, sicut illam *Hetham*, virginem bellatricem, cum ejus 300 sodalibus. Patere, ut adhuc unum nomen proprium adferam ex chronico Erici regis ad annum Dom. MCCXXIII. de captis Waldemaro rege ejusque filio Waldemaro tertio — »in Slaviam ducti in castrum Zverin —«. Nonne vides hac ratione scriptum nomen reddere slavicam nostram etymologiam: Zwěrin, cujus etymi etiam apud nos loca dantur; illud vero teutonice scriptum Schwerin, quorsum reduces? recta ad *difficultatem*. Sed de his satis; tu cura, ut non tantum *ἀναρτοφρακτους*, verum etiam reliquos hujus laterculi Ptolomaei illustres, quod sane Slavorum septentrionalium geographiam clariorem redderet. Utinam maturius horum inquirendis rebus tempus a nobis impensum fuisset; sed nos magno anfractu emenso tardius eo deducti sumus, unde rursus progredi, et recta studia gentis nostrae populorum nobis proximiori gradu cognatorum [Jam vides, quo loco tuam dissertationem habeam: Uiber die älteften Sitze der Slaven in Europa*) —] prosequi debemus. Quicunque Dobneriana imposterum legerint, incident in eosdem anfractus, tu operam dederis, ut slavonicarum rerum amatores bono quodam modo praemunias, ne bonus ille senex vir alioquin de nostris rebus optime meritus offendatur, cujus ingenium nosti.

De literarum notitia apud Slavos ante Cyrillum, nunc multis argumentis omnino historica veritate sum convictus; sed per id tempus adhuc differo ad te perscribere; Bohemos tamen imitatores fuisse Germanorum, NB. a tempore nascentis rei christianae et meliores radices figentis opera S. Wenceflai; et cum primis episcopatu erecto, lubens tibi concesserim. Quod vero attinet ad carminum seu rhythmorum imitationem, nosti Slavos gentiles adhuc, seu daemoniorum cultores et diversarum stirpium, hymnos habuisse, quibus ad nostra usque tempora puellas russicas non ignaras veteris Slavorum mythologiae deos deasque in suis conventibus laudasse miratur quidam russicus scriptor. Facilius tibi admiserim Christianos Slavos septentrionales imitatores fuisse teutonicorum magistrorum, quam id factum fuisse a paganis Slavis, qui tantopere teutonicos Christianos, immo Christianos omnes aversati sunt, ut, dum Vinethae omnibus advenis templorum et pagani ritus usum concederent, negarent omnino Christianis sacrorum libertatem. Idola et templa Slavorum longe Cyrilli aetatem excedere patet ex confractis et eversis a S.

---

*) Monse, Versuch einer kurzgefassten politischen Landesgeschichte des Markgrafthums Mähren, Band II. (1788), pag. IX—LII.

Bonifacio idolis, nominatim Jecha (Diana Romanorum existimante Struvio dissert. II.), ex cujus nomine adhucdum in Thuringia exstat pagus cum arce *Jechaburg*. Sed clarius testimonium tibi notum est ex Ditmaro: *Dii stant manufacti, singulis nominibus insculptis,«* — qui etsi circa exitum sec. X^{mi} scripserit, tamen illam nomina insculpendi artem ipsius Ditmari temporibus primum Slavos didicisse, nemo asseveraverit. Sed haec omnia etiam post Thunmanni disquisit: Über die gottesdienstlichen Alterthümer der Obotriten — observationes criticas exigunt; etsi notum sit etiam islandicis scriptoribus non ignotas fuisse literas — Winda — Runir: in hoc Thunmanni indicium diligentius inquiram. Sed, quo sum abductus, qui tibi ad tua momenta respondere debebam!

Itaque in causa cl. de Roffi interrogatus bibliopola Haselmayer, qui tum praenumerationem suscipiendam, tum exemplaria extradenda in commissis habebat, respondit: se rationem utriusque rei (NB quod attinet ad praenumerationem 3^{iae} et 4^{tae} partis) cl. de Roffi reddidisse; nescio itaque, in quem modum cl. viro, quem ego reverenter suspicio eique omne officium, quod equidem exhibere valeo, lubens offero praestandum, negotium hoc suscipere valeam. Debet enim constare primum, quis duarum priorum partium curam habuerit Viennae et pro quot exemplis, et in quem modum Haselmayerus rem sibi commissam liquidam reddiderit. Scio jam sub meum Viennam adventum confusionem quandam fuisse id perhibente mihi rev. d. canonico Smitmer; resque identidem Viennensis cum Pragensi in Garampii commissione involuta erit. Saluta meo nomine cl. Rossi, cui meam operam, accepta liquidioris rei informatione, lubens impendam.

Quod Nobili d. de Roetzer schedulae inscribendum volebas, d. Zlobiczky tradidi sese offerenti: cl. enim Denisius ob adversam valetudinem a Bibliotheca aberat et necdum satis confirmata prohibetur adhucdum ab accessu; identidem Schwandtnerus; atque etiam ego primum nudius tertius eandem adire potui. Quae a Stullio scire volebas, en ipsiusmet schedulam!

Gratias tibi summas habeo pro rebus literariis mecum communicatis, cum primis notitia votis *koba*, quam etiam in Dellabella inveni ad voc. *Augurio*, fultam auctoritate duorum poetarum; sed de significatu alias plura dabo cum indiculo observationum philologico-criticarum in antiquissimis fragmentum tibi notum.

Quod ad consultationem J. P. K. de conscribenda Bibl. slav. attinet, veniam dabis; oblitus sum jam pridem id ipsum tibi perscribere; et cum primis id quoque, rarissimum illum librum, de quo Kohlius praef. fol. 3^{io} sub num. III. et not. (g) scripsit, in Bibliotheca Caes. in folio spissoque volumine servari mihique non tam propter id, quod vel ipse Kohlius *jactitat,* lectu dignum, quam ob catalogum librorum in ecclesia ruthenica lectioni indultorum et prohibitorum. Ante ferias autumnales illius dispositionem seu oeconomiam legi, utiliora proxime excerpturus, ut primum clariores dies illuxerint. Utinam sub num. VI. in praef. Kohlii catalogus librorum, qui in bibliothecis Mosquensibus — slavonico idiomate consignati exstant, (Graec. enim jam habemus) editus fuisset! Quam vellem paulo pluribus verbis tuam voluntatem in causa d. Antonii, qui nihil aliud optat, quam Slaviam,

explicares et illustrares id, quod nuper scripsisti: »Fac tu, ut habeamus exemplar, quod inspiciamus omnes, quicunque ad lit. slavonicam suas conferre voluerint symbolas.« Ergo vis, ut sciagraphiam quandam adumbrem conferendarum symbolarum? Cum antiquius sit, ut ille egregius rei rusticae scriptor ait, agrum facere, quam colere; nobis prius omnium erit *Slaviam* pro agro faciendo certis finibus circumscribere et more majorum nostrorum, qui optimi coloni partes egerunt, investigare naturam soli, ut jaciendo sementi aptitudinem exploremus. Etsi multa terrae spatia heic visuri simus densis sylvis opaca, ubi ager faciendus erit; tamen non dubito futurum, ut agellos jam factos, immo et cultos inveniamus. Jam nosti quorsum ista dixerim: vellem, contineremus nos intra *Slaviam* septentrionalem mari Baltico finitam, et ex parte orientali, Vistula, porro anfractu in Hungariam facto ob linguam slavobohemicam illis' comitatibus, in quibus observante Kollario illa ut plurimum viget; dein Danubio et flumine adverso usque ad agros, quos olim in Austria, ut jam Pezius docuit, Slavi coluerunt; ab occidente demum, quidquid slavonicarum coloniarum investigare poterimus. Satis magnum puto futurum agrum, quem illustrandae potissimum Germaniae etiam colendum susciperemus. Agellos jam factos immo et cultos intra descriptae *Slaviae* fines, nostro usui futuros, prae omnibus inquirere debemus et mutuo communicare in hunc modum, ut, si quis librum aut opusculum aut fragmentum vel inscriptionem quandam ad institutum peculiare cujusdam sodalis spectantia detegeret, quae sibi vel parum vel minus nota viderentur, illa immo etiam suas hac de re observationes cum illo communicare non gravaretur. Ad hanc symbolarum collationem, quo utilius, verius, atque perfectius conatus nostri promoveantur, mutuo conferre singuli deberemus *de desideratis ad Slaviam nostram*; e. g. ut tu ipse in tua literatura sive promtuario proponere solebas; vel ita: Egitne jam aliquis de veteri geographia Slavorum septentrionalium subsidio vet. ling. slavicae eorundem instructus, non conjecturis indulgendo, sed veris monumentis historicis innixus? Cum haec literariae rei nostrae pars inter *desiderata*, quod equidem sciam, comprehendatur, neque monumenta vetera literaturae slavicae septentrionalis ad nos pervenerint, inter praecipuos nostros labores foret *collectio nominum*, de quibus Johannes G. Hentze in suo specimine [te mihi illum impensius commendante] egregie praefatus est a pag. 8—11. Sed estne tibi Körnerus notus in nota pag. 10 laudatus? quam cuperem illius oeconomiam nosse!

Quod ad meam symbolam attinet, nomina haec diligenter excerpo; videntur enim mihi non tantum ad communem seu universalem Slavorum linguam, ex modernarum dialectorum vocibus primitivis collectam, verum etiam ad comprobandam antiquitatem totius gentis, atque etiam singularum nationum, summe idonea et necessaria. Quam ob rem summe desidero tuam dissertationem legere, quam nuper Societati Scient. Boh. misisti. Illius veteris linguae slavonicae septentrionalis communio mihi videtur nostra quoque *vulgari* bohemica dialecto comprehendi; quod utique pluribus exemplis comprobatum, accedente scriptorum veterum auctoritate morumque consuetudine septentrionali demonstrata, potissimum in disciplina rei rusticae, nemo amplius dubitabit, majores nostros ex Serbia

septentrionali in Bohemiam colonias duxisse primas. Ad illam dialecti nostrae proprietatem pertinere arbitror particulam copulativam *hi* in fragmento antiquissimo, quae eadem est cum wendic. *ha*, vocalibus enim, ut ipse probe nosti, non innitimur. Diu jam scire cupiebam, quid proprie significet, et an in aliis dialectis usurpetur particula *inu*, quam apud nostros homines ad nauseam usque repetitam audimus: sed nuper postulato libro, quem in catal. Bibl. Caes. lit. P. legendo inveni, quique liber in 4to editus hanc inscriptionem praesefert: Poſtilla Slovenſska, to ie Karſhanſke Evangeliſke Predige, vèrhu vſaki Nedelſki Evangelion ſkusi Létu — Pervi Simſki Del — a. Domini M. D. LXVII. foll. CLXXIIII. (ad calcem) Ratisbonae excudebat Johannes Burger. (Pag. 2 primi folii) »Literarum slavicarum appellationes«: Jmena ſlovenſkih puhſtabov. (Deinde:) »Literae latinae utcunque slavicas exprimentes a b v g d e sh s̄ s i ij k l m n o p r ſ t û h ô f c zh ſh ê é ia ie iu.« Fol. 2. Martina Luthera — Predgovorenie. Sveti Paval — pag. 2 fol. VI. »Sebaſtianus Krellius — »Isvoleni Karschenik, imaſh, hvala Bogu, Joanna Spangêberga kárſhanſko Poſtillo, v'naſh Slovenſki Jesik tolmazheno — — — Leto Orthographio Slovenſkiga Piſma, ſmo mi svéſtio inu s dobrim ſvitom ſaſtopnih Bratov tako poſtavili. Inu ſpomiſlili tudi na vezh naſhiga imena inu iesika Lüdy, kijr ſo okuli naſ, Dolence, Iſtriane, Vipavce etc. Kateri ſkorai povſod zhiſéſhi ſlovenſki govore, kakor mi po Kraniu inu Koroſhki desheli, dopolu nembſhki. Inu ſo edni navaieni na to ſtaro Slovenſko, Hèrvatſko tèr Churilſko Piſmo.« Sed ut ad meam *inu* regrediar, accipe specimen pensi Evang.: »Perva Nedelia v' Poſtu — K unimu zhaſu: Je Jesuſ odpelian v' puſchavo od Duha, da bi od Hudizha iſkuſhan bil, *inu* kada ſe ie poſtil ſtirideſet ꞔan *inu* ſtirideſet nozhi, ie na puſlid lazhan bil.« Nihil itaque nostrum vulgare *inu* mihi videtur, si naturam spectes, quam Hebr. ו, antiquissimi slavonismi, a quo etiam sermonem ordimur, ut Moses in libro Exodi ואלה שמות, vera particula.

Sed ut redeam ad septentrionalem naturam dialecti bohemicae, etiam illud prostheticum w, quod vel ipse Hagek non verebatur praeponere quibusdam vocibus et in vulgari sermone quotidie observamus, convenit cum dialecto wend. sept. Nunc attentior ero characteribus septen. observandis; tu si quid habes ad hanc rem praecipui momenti, vellem, mecum communicares. Tuo nomine, ob amicitiae pignus et officii, quo fungeris, analogiam, praetereaque ob alias etiam idoneas rationes paro dissertationem, si indulseris, inscribendam. Erit fors incitamento aliorum non unius argumenti: vis scire quam? De primis clericorum seminariis ex gente Slavorum ante S. Cyrillum institutis. Ut primum primam philyram editioni, quam cuperem, ipse Olomucii curare velles, idoneam descripsero, ad te mittam cum sciagraphia *illius*, quam ultra tres philyras non producam. Vel ipse vehementer gaudeo, me invenisse argumenta justa ad hanc dissertationem, qua demonstrabitur, ubi et a quibus et in quem modum slavonici clerici literis ad sacram militiam necessariis imbuti fuerint. Puto hanc dissertationem rei literariae nostrae aliquam lucem allaturam. Tu itaque rescribe, quid de hac re sentias et an tibi jam quidquam notum sit de illa Cyrillo vetustiore slavonicae gentis clericorum institutione. Salutat te plurimum Zlobiczkyus et professor Alter; mihi vero sub principium

anni veniam daturus es epistolam longiorem et properanter scriptam homini occupatissimo mittenti. Vale quam optime et me amare perge!

Quae de symbolis conferendis scripsi, raptim in chartam conjecta sunt; postquam tu responsum dederis, plura dabo meliusque coordinata et fors utiliora magisque necessaria ad institutum. Iterum vale et parce epistolam non relegenti.

LV.

1790 — 19. února. Dobrovský odpovídá na list předcházející, zmiňuje se o názvech řek *Visly* a *Odry* a kromě jiných drobnějších zpráv podává zprávu o zamýšleném vydávání »Slavie«, o poměru češtiny k lužické srbštině, vykládá *hi* a *inu*, zmiňuje se o legendě sv. Prokopa v lekcionáři Olomouckém ze XIII. století a ke konci dotýká se svého sporu o sv. Cyrillovi.

19. Febr. 1790.

Fortunato Durich Jos. Dobrowsky s. p.

Pro votis non jam gratias agam, cum mihi non licuerit eo tempore rescribere, quo paria reddere conveniens fuisset. Ad literarum tuarum argumenta paucis respondebo. Quod de Visla mones, recte mones, sed istorum omnium ego rationem habui. *Wifla* a Polonis, Silesiis, Moravis, Slavis et Bohemis (qui more suo etiam *Wifle* scribunt) fluvius is appellatur; quem Germani Weifsel olim, nunc Weichsel et romanus scriptor Visulam, appellant. Poloni, uti novisti, *wy* a *wi* accurate distinguunt; unde *Wyfla* scribi non potest, neque a quopiam unquam ita scriptum reperi. Reliqua in dissertatione mea leges, quam tibi descriptam lubens mittam, si occasio se offerret commoda. Interim scito, hanc esse summam totius dissert.: Wisulam esse Vislam, Vislam esse nomen slavicum; hanc vocem esse primam a slavicis, quarum memoria apud scriptores antiquos. Ante Pomponium nemini notam Visulam aut Vistulam fuisse, ideoque et Slavos sive hoc sive alio nomine non potuisse innotescere, utpote qui in terra incognita habitarint.

Nunc in *Oderam* inquiram, cujus nominis etymologia mox a fonte se prodit, ab *odrati*; omnia enim vastat et demolitur, alveum paulisper egressa, aquarum in eam se praecipitantium torrentibus aucta. Unde Polonis proverbium: odra se go chyćila — de homine lacero, — který ge odraný. Obodritas inde appellatos, quod trans (ob) habitarent respectu eorum, qui ad orientalem partem Odrae mansere coloni. Multa congessi pro *Odrae* historia, sed ante Eginhardum nomen hoc non invenio. Scio quidem in exemplaribus quibusdam (pessimis) Ptolomaei *Viadrum* legi, sed manuscripti certe non sic legunt, sed *Viadus*, immo forte *Vidus*; unde multis visum, *r* post *d* inseri debere, ut Viadrus Odrae similior fiat. Si tu inspicere Ptolomaeum volueris, gratam rem mihi praestabis. Unde Ptolomaeus *Viadum* habeat seu acceperit, prona est conjectura. Oderam, aut ut Helmodus Odoram, scribere potuisset, si a Slavis nomen audiisset sive proxime sive remote.

Quae tu e scriptoribus danicis adfers et illustras, probo utique laudoque diligentiam. Sed non est tanti, haec tam magno labore exquirere, cum non satis antiqua sint, quae post Saxonem Grammaticum, qui saltem stili elegantia

pro oftrow, hozeh pro ožeh. Nec tamen crediderim hanc communem fuisse pronunciationem, sed vel vitiosam quorundam paucorum aut potius malam scriptionem. Ita et *hi* pro *y*. In Alexandro boemicali semper *y*, nunquam *hi* scriptum est, *inu* seu potius *i nu* divisim, cum et *nu* solum usurpetur, interjectionem, quae etiam Germanis in usu est, non pertinere ad illustrandam conjunctionem carniolicam *inu et* facile concedes, si perpenderis *inu* carniolicum esse, croaticum *ino*, (mutant enim Carnioli *o* in *u*, uti svetlu pro svetlo) *ino* vero quid aliud est quam *y* nostrum addito *no*, uti *to* et alia similia adjici solent, uti *τῷ t* (is, hic) *en* adjectum est, unde nostrum *ten*, quamvis in fem. et neutro id non factum sit. Nostrum *ano* utique ex *a* et *no* aequo modo ortum est. Tales simplicissimarum vocum compositiones in grammatica mea exponam. Utinam mihi otium majus suppeteret!

Postilla Slovenska — rarissimus certe liber est; sed ex corruptiori dialecto parum praesidii est sperandum pro reliquis purioribus, inter quas nostram bohemicam antiquam referendam tu non dubitas. De prosthetico *w* quod notas, non nos a Serbis, verum illi a nobis hauserunt, cumque serius scripserint, *w* frequentius scribunt quam nostri auctores, qui etiam Moravorum et Slovacorum pronunciationem et antiquorum monumentorum consuetudinem pensi habere solent. Nam haec solum de serbica, immo vero potius serbolusatica seu mixta — et quidem plebeculae superioris Lusatiae communi dialecto, quae singulis pagis variat, valere possunt. Inferioris Lusatiae pauciora ex bohemica habet magisque ad polonicam accedit. Kassubiorum in Pomerania dialectus, uti et omnium septemtrionalium Slavorum fere ab Odrae et Vistulae fontibus polonicae propior est, quam aliis. Immo et nos Bohemi olim ex parte polonissavimus, Brecizlaus seu Bracizlaus pro Břetislaus, et alia multa, quae nunc non urgeo; byczy pro byti in Bohemar. frequentius.

Nuper in cod. sec., ut puto, XIII. incidi, qui est PP. Dominicanorum ad S. Michaelem Olomucii olim degentium — *Lectionarium* — incidi. In hoc etiam legenda de S. Procopio novem lectionum continetur. Quantopere gavisus sum, nunc constare recentiores vitas de hoc sancto esse fictionibus plenas, quo velim referas illud studium famosum linguae slavonicae in arce Wissehrad. Nihil enim plane aliud continet antiqua legenda haec, quam compendium quoddam, retentis plerumque verbis et phrasibus, eorum, quae Sazav. monachi Cosmae adjecerat, unico miraculo excepto, de caeca quadam muliere, quod ad rem nostram prorsus non pertinet. Et sane miror Dobnerum, qui fraudem adoratus olim, nunc contra me pugnans figmentis fidem conciliare vult, ac si, quae in codd. sec. XIV. habentur figmenta, quorum in antiquioribus nequidem ulla mentio, jam fidem mereantur. Plura certe jam sec. XIV. figmenta pro historica veritate venditabantur quam seculis consequentibus.

Ad illustrandum locum *kyrmicze* in frag. vetusto valet locus apud Pulkavam p. 237.: wffem lidem na nie hlediecze (pro hlediecým). Cum *kyrmicze* *pyrwy* scribatur in fragm., utique non inferes tunc ita pronunciatum fuisse cum etiam apud Cosmam Zribia, Suatoplik, Dirfislaw scribatur pro Srbia, · plk, drži . Immo vero Germani plane non capiunt, quomodo syllaba carere vocali possit, ita ut *e* saltem inserendum putent, uti Croatae

jam *e*, jam *a* scribunt in vocibus, in quibus neque *e* neque *a* auditur. Sed haec missa faciamus.

Sane miror summopere ac vehementer, unde tu conquirere potueris monumenta idonea ad probandum id, de quo dissertationem paras, mihi inscribendam. Mihi amicitae pignore nihil carius, opera tua certe nihil gratius est; itaque lubens ac summa aviditate excipiam, quaecunque miseris, typis nostris non sat elegantibus exprimenda. Si clericorum seminaria non sint *Fuldae*, Hamburgi, Juvaviae, aut Spalatri seu Salonae quaerenda, nescio ubi terrarum quaeri possint. Habent ea, quae mihi nota sunt, aliquam speciem veri; tu vero justis argumentis rem stabilire vis — extitisse ante Cyrillum Slavorum seminaria. Audiemus te de hoc cupide. *Milosrdie* Cyrilli non esse ad normam graeci vocabuli expressum, sed ad latini *misericordia* jam forsitan advertisti — unde, uti et ex aliis multis, certum redditur, Cyrillum jam invenisse vocabula usu recepta apud Slavos, quae sacerdotibus latinis, in Slavoniam Juvavia missis, debentur. Addam locis a me nominatis Laureacum et Patavium — et jam fatebor, si tu alia noveris, me plane sine omni attentione legisse monumenta vetusta, — nisi forte tu in monumenta mihi atque aliis ignota incidisti. Vale et mihi vix latine et praepropere scribenti da veniam.

LVI.

1790 — 29. května. Dobrovský diví se, že nedostává odpovědi na svůj list, podává zprávu o třech rukopisech Mikulovských, o překladu české bible Olomoucké z roku 1417 a vůbec o českých překladech písma svatého, žádá o různá čtení ze Strakovské české bible, podává několik drobnějších zpráv a některá zvláštní čtení českého překladu písma svatého.

Die 29. Maji 1790.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Nescio, quid causae sit, quod a te tanto tempore nullum responsum accipiam. Fortassis te arthritis excruciat, aut, quod magis optem, jam digerendo et redigendo in ordinem operi tuo insudas.

Dissertationem tuam, quam mittere volebas, vellem mitti per currum publicum. Curabo eam, si successerit, uti spero, Pragae imprimi; eo enim ad ferias excurram circiter 10. Julii.

Dn. Zlobickyo nuper descripsi cod. boh. duos bibl. Nicolsburgensis, quam descriptionem tibi communicari volebam. Nunc reliquorum biblicorum tenuem licet notitiam cape, quam etiam communicare poteris dn. Zlobiczkyo, ut saltem hac ratione ab eo facilius obtineas descriptionem priorum.

3. Codex chart. continet partem praef. Hieronymi. Textus incipit a verbis 2^{di} cap. Genes.: »ſe odtad dieli we čtyři hlawne prameny« — usque ad finem Psalterii. Est recentior sec. XV. exeunte scriptus.

4. Chartaceus in 4to an. 1470 scriptus Mezirzicii piſarzem Janem z prahy. Continet N. Test.; incipit a verbis 1^{mi} cap. Matth.: pronieſti gie chtieſſe tainie puſtiti. — Epist. ad Laodicenses deest. Sequuntur ad finem N. Test. poſtnie epiſſtoly, prawidlo (registrum). Marc. ult.: s pomahagiecziem pana a rzieczij potwrzugieczim *potomnimi znamenimi*, sequentibus signis.

5. Membranaceus cod. in fol. literis majusc. auro obductis eleganter exaratus. Libros continet omnes, excepta epist. ad Laodicenses. Libri Esdrae genuini una cum apocryphis in 5 divisi sunt, uti n. 2. in lit. dn. Zlobiczkyi. Eandem divisionem in 5. libros habet codex V. Test. Dlabaczii Pragae.

Psalm. 50, 1.: chwalte geho w twrdofti moci geho. Ezech. 27, 5.: aby tobie tue zle včinili — ita etiam codex Nicolsburgensis 2dus.

Marc. ult.: s panem pomahagicim a řeči potwrzugicim zazraki.

Continet, ut paucis judicium feram de antiquitate non tam codicum ipsorum, quam textus ipsius, recensionem recentiorem, eam nempe, quae in codd. medio sec. XV. scriptis reperitur.

Tot jam codd. visis, multis in locis collatis et lustratis, mihi nunc certa inhaeret sententia: cod. lycei primo ab an. 1417 antiquissimam contineri recensionem seu versionem. Nuper evolvi cod. hunc integrum et praecipue lect. var. et notas (licet paucas numero) in marginibus notavi omnes — et cum altero cod. lycei paulum recentiori, antiquiori tamen, quam plurimi alii sint, Strakianum certe textus antiquitate superantem, contuli non indiligenter — consulto cod. lat. sec. XIV., qui fuit Ernesti, nunc in bibl. lycei ex Brunnensi Jesuitarum bibl. translato, qui notis Rabani hinc inde instructus est — et deprehendi, omnium lectionum antiquarum varietatem in codd. boh. antiquissimis obviam e cod. latinorum varietate derivatam fuisse. Immo, quod mireris, hoc reperi, lectiones bohem. codd. non mox fuisse refictas ad recent. codices latinos aut editiones, sed diu, immo usque ad Melantrichi editiones harum vestigia quaedam mansisse.

Hoc etiam puto me jam deprehendisse, qui nam libri V. Test. serius ac quidem ultimo versi sint; cum jam in voces inciderim, quas reddere boh. interpres aut plane nescivit aut inepte reddidit. Vestigia v. slav. nulla, plane nulla, inveni hactenus. Syriacae autem vers. posterioris locum seu lectionem eam, quae est apud Griesbachium Act. 25, 24. nota (u). Talem locum vel unicum si proferre quis posset ex vers. slav. utique concluderet, vers. boh. factam ex vers. slav. Sed ego nondum concludo vers. boh. factam ex syriaca posteriore, cum constet, eadem additamenta etiam in lat. codd. reperiri, ita quidem, ut Wetstenius praecipitanter judicarit, vers. syr. corruptam fuisse secundum lat. codd.

Quod a te summopere flagito, nobisque multum proderit, in origine vers. boh. investiganda, illud est, ut cod. Strakianum a cap. ad calcem usque pervolvas eosque margines perlustres, in quibus notas marg. observaveris easque notas, quae ad lect. aut vers. boh. varietatem pertinent, excerpas. NB. non eas, quae *hebr.* aut *chald.* praefixum habent, aut non nisi ex glossa ordinaria desumtae sunt. Has notas, quarum certe vix 50 erunt, si mihi miseris — (solet illis *als* praemitti) me summopere obstringes mittamque tibi, si volueris, notas cod. lyc. Olom., quae quidem numero paucae sunt, verum dubia multa solvunt obscuraque illustrant. Diligentissime enim cod. hic a scriptore, qui in margg. notavit, quae imagines pingendae essent, cum latino collatus fuit, — et loca notata, in quibus a lat. discrepat. Haec ego loca conferens — reperi in aliis lat. sic legi, uti boh. vers. textum expressit. Tanta ergo fuit reverentia boh. vers., ut non mox discrepantia loca a codd.

lat. his vel illis, quamvis scriptor discrimen observasset, refingerentur, ac latinis tunc exstantibus conformarentur.

E. gr. in marg. ad Act. 25, 24 notavit: »*non concordat in latina.*« Et tamen additamentum hoc etiam in cod. lyc. 2do adhuc legitur, fortasse etiam Strakiano.

Ad Ezech. 21, 20: »do Jeruzalema nayohrazenyeyffieho« notavit in marg. »*attende etc.*«; inspecto cod. altero reperi in eo legi: w Jeruzalemie naymenfi. Prior bene legit munitissimam, alter *minutissimam* male. Illud igitur *attende* in marg. indicat perpendendum esse, utrum munitissimam, an minutissimam legendum et vertendum sit. Plura de his alias.

Codex slav., cujus v. lect. excerptas tenes, uti ex Calendario colligere licet, est certe XII. seculi aut saltem initio XIII. scriptus. Nam festa serius invecta non habet, uti 28. Oct. non habet Parasceviae (an. 1239 secundum Assemannum inducti festi), 12. Decemb. S. Sabae 1250 deest. 27. Septem. Sergii 1292 deest, uti et omnia serius inducta festa, quotquot ex Assemanno conferre licuit. Habet autem 16. Augusti translationem non manufactae imaginis an. 944; habet item 25. Januar. non 30, uti apud Assemannum, commemorationem S. Gregorii theologi an. 1086. Cyrilli et Methodii festum non habet, uti nec Calendaria et Missalia nostra, id est boh. et moravica ante sec. XIV., immo constat jam, quo tempore in Moravia festum istorum SS. in Moravia statutum fuerit.

Adelung in Lexico germ. lit. K. p. 1519. citat librum *Kelila und Dimne* germ. editum Ulmae an. 1483. Fortasse tibi nondum nota est haec editio vers. germanicae. Vides iterum Germanos praeisse Bohemis.

P. Alterum salutabis humanissime dicesque ei, tom. II. p. 1067. Nov. Test. lit. *GG* revera Gregorium significare, nam locus citatus exstat lib. moral. ult. c. 15., quem etiam citat de la Haye in Bibl. maxima tom. 16. p. 899., ubi epist. ad Laodicenses ex alio cod. edita est. Boh. versio hujus epist. magis convenit cum *Anselmiana* v. ibidem. In cod. lat. Ernestiano eadem epist. ad finem totius bibliae exstat, multum consonans Scoti exemplari.

Quod p. Alterus pag. X. praef. de lingua *wallica* et *wallachica* habet, aliter se habent. Nam in citato libello, uti aliis libris, qui polyglottam vers. orationis dominicae habent, erronee *wallice* pro *wallachice* positum est, quem errorem correxit quidam doctus vir in exemplari centum versionum orationis dominicae, quod possidet vicerector noster P. Pollaschek. Re melius examinata agnoscet discrimen non nisi in orthographia esse; et orationem *wallicam* non wallicam, sed wallachicam esse. Nam wallice (Angli nominant *Welch*, *welch*). Pater est *tad*, coelum *nef*, terra *dacar*. Confer Grundriss einer Geschichte der menschlichen Sprache (auctore *Rüdiger*) p. 50. et ibidem cognatas eidem linguas. *nef* utique cum nostro *nebe* convenit, ex quo uti aliis evincitur, linguam slavicam uti et populum slavicum esse europaeum et Europae aborigines — non primum sec. IV. aut V. immigrasse a Maeotide.

Hist. linguae bohemicae inseretur dissert. Societatis nostrae,*) quarum tomus, qui nunc sub praelo sudat, regi nostro novo dedicabitur. Si tu cupis

*) Viz »Geschichte der böhmischen Sprache (Neuere Abhandlungen der k. Böhmischen Gesellschaft der Wissenschaften, Band I. (1791), pag. 311—364.«

dissertat. tuam latinam reddi a me germanice, praestabo id lubentissime, sicque inseri poterit adhuc forsitan tomo huic, qui paratur.

Joci causa tibi, cum spatium suppetat, perscribam lect. quasdam vers. boh. antiquae, unam, quae ortum debet pruritui cujusdam scioli, alteram, quae ignorantiae interpretis, tertiam, quae scribae somnolentiae.

Joh. 10, 41. legit cod. lyc. 1^{mus}: »zze geſt yan czynyl mnohee diwy a znamenyee« pro »že Jan zagiſte nečinil y žadneho znamenie, uti legit cod. lycei 2^{dus}. In marg. 1^{mi} notatur: *non concordat latinus* — et tamen non mutavit secundum latinum.

4. Reg. 14, 9. Carduus libani misit ad cedrum — carduum — sic reddit 1^{mus} lyc. Cardínís (pro Carduus vitio scriptoris) libanſky poſlal k cedrowemu drziewu, — 2^{dus} pariter: Kardus libanſky — potlačila kardvma (1^{mus} plane Cardinila). 1^{mus}: day dczerz ſwu, 2^{dus}: day dczeru ſwu. — A nom. dczerz manet, dat. dceři — pro dceře, qui esset a *dcera*. Vides originem hujus anomaliae.

In lyc. 1mo nihil insoliti versiculi alicujus voces bohemice ob difficultatem non redditas, relicto in linea spatio vacuo, e. gr. 2. Macch. 12, 15: jenž bez...... (vacuum), a bez prakow, sine arietibus et machinis — in marg. minori charactere »*bykow*«. 2^{dus} legit: bez prakow a bez beranow. Ezech. 26, 9, uterque *arietes* reddit kočky (germ. Sturmkatzen). Vides alium fuisse interpretem libri 2^{di} Macchabaeorum, quam Ezechielis, qui certe longe prius versus erat, quam Macchab. libri verterentur.

Ezech. 17, 22. 1^{mus} lyc.: a vezmv z wyſokeho cedra *trzi drziewa*, in marg. »al. ſtrzzenu« de medulla cedri sublimis, hic scribae error mansit in cod. 2do, qui pariter legit: trzi drziewa pro ſtržena a nom. ſtržeň.

Vide, quaeso, quid habeat Strakianus. Perge me amare et mihi favere.

LVII.

1790 — 3. června. Durich odpovídá na předcházející list, zmiňuje se o některých vydáních a překladech spisu »Directorium vitae humanae«, o lat. passionálech Teplských, o listech psaných Konradu Celtesovi, z nichž přepis listu Haselíny z Křitenic zasílá, podává zprávu o svých studiích ve dvorní knihovně Vídeňské a výpisky o Slovanech z cizích spisovatelů.

Viennae 3. Junii 1790.

Josepho Dobrowskyo suo Fortunatus s. pl.

Primum quidem ne tibi molestus essem; porro in hac rerum commutatione, quid futurum sit, exspectabam: cum etenim scripseris, te adeo occupatum esse, ut nec amicis respondere valeas, mihi tamen ad te scribenti responsum dedisses etiam occupatissimus, distuli scribere. Habes causam, non adversae valetudinis, sed boni animi erga te propensionem, quo malo desideratissimis tuis literis carere, si has commode ad me dare nequeas. Nunc vero summas tibi habeo gratias, dum valetudinis meae curam gerens officii me commones et mecum communicas rei nostrae literariae monumenta mirum in modum lucem adferentia historiae, quam nos excolere cupimus. Summopere delector fixa cod. illius slavonici ad XII. vel saltem initium XIII.

seculi aetate, qua illum *scriptum* putas, atque hac ratione mones vel innuere vis, quod ad lectionum indolem attinet longe antiquiorem esse. Editionis Ulmensis 1483. — ad calc. das Buch der Weisheit der alten Weisen — exemplar in membrana excusum et optime servatum est heic in Bibl. Pal. Hesterna die professor Alterus aliam a. 1501 Argent. excusam in mensa d. de Sonnenbusch, scrip. bibl., conspicatus mox ad me accessit, ut eam in adversaria referrem; et ipse Sonnenbuschius ante paucos menses quandam in folio sine anno et loco typis excusam identidem germanicam edit. monstravit: praeter istas nosco adhuc duas Argentinenses a. 1525 in fol. et 1539 in fol. typis Jacobi Froelich et ejusdem typis 1545 adeoque 4. Argentoratenses edit. germ. anno 1558 in 4to sine loco. Francofurti ad Moenum a. 1565 in 8. Ex graeca vero vers. germanica est Lipsiae 1778 in 8° edita. Heic itaque lubens admiserim Germanos plus egisse, cum nos unicam editionem habeamus. Sed quod ad archetypum versionis nostrae attinet, ut nosti ex inscriptione interpretis, ex latina Joannis de Capua factam fuisse, ita suspicor *Passionalia* nostra ex archetypo latino facta quoque, etsi nesciam, an rhythmorum etiam imitatione: nam dum omnia ad diversum genus *Passionalium* seu Martyrologiorum apud nos pertinentia conquiro, et cl. Ungar: Versuch einer Geschichte der Bibliotheken in Böhmen (Abhandlungen der böhm. Gess. des Wiss. zu Prag. [1785]. 2. Abth.) lego pag. 238 in vetusto indice librorum a b. Hroznata et comparatorum: *Item duo passionalia*, pag. seq. *Passionale novum*, quam vellem! Si Pragam veniens opera cl. Ungar a Teplensibus canonicis rescire posses, an de vitiis Neronis identidem ante passionem S. Jacobi Majoris habeantur illa, quae in antiquiss. fragmento Bibl. Pal., quod a me descriptum tibi donavi; et quae sit oeconomia laudatorum *Passionalium*, an rhythmo, an soluta oratione sint scripta? quam aetatem praeseferat Passionale novum?

Ad historiam linguae bohemicae (quam summopere desidero legere) puto spectare epistolam ad Conradum Celtem nobilissimae virginis *Hasilinae*, quam mecum benevole (ut semper solet) communicavit cl. Denisius, immo totum opus, cujus haec est inscriptio: »Libri epistolarum et carminum societatis literariae ad Conradum Celtem.«

»Utinam talis essem, qualem illi me predicant.

»Malo tamen vel falso laudari, quam vere vituperari.«

Literas hasce | ab anno MCCCCXCI ad annum MDV | exaratas | ab situ et oblivione tandem vindicatas | redemit | anno MDCCXC | Conr. Celtis memoriam veneratus | Mich. Denisius.«

In hoc MSS. cod. chartaceo in 4to, in quo autores 126 epist. 263 continentur, Augustini Moravi epist. sunt numero decem, Johannis Schlechtae sunt duae, Johannis Albi a Ciconiis, civis Pragens., una, quae quidem, si stylum spectaveris, ad seriem obscurorum virorum pertinet, si in rem ipsam, cum primis *chartariam* in patria nostra circa a. 1491 cultam inquisiverimus, lucem dabit. Habemus cl. Denisio ob id grates referendas, quidquid servatae rei literariae ad nos pertinentis in hoc MSS. cod. invenitur, quem ille ab oblivione suae bibliothecae vindicavit, quaque de re nostra literaria memoriae prodenda quoties codicem quendam, ex perditis in Bohemia bibliothecis,

heic servatum, retractat post Gentiloti recensionem, semper ferme melius isto meretur. Illius itaque indulgentia tecum heic communico epistolam bohemicam, quae fol. 121. pag. 2 et seq. in hunc modum servata orthographia continetur:

Haſilina z Krzytenicz a na Kepſſtaynie Doctorowy Celtiſowy, Skladately, niekdy przitely memu etc. Geſt przieſlowy, ze mlade ſſtieniatka tepu, aby wieczi tiem ſſtiekaly. Newim, komu gyz geſt wierziti, poniewadz ty, kterzyz gſu ſprawczy, doctorzi, Magiſtrati a Vczitele ginich a uczi ge czti a mrawy naſliedowati a take zachowawati wdiecznoſt proti tiem, od kterych gſu wzaly dobrodyni, a ſami zachowawati zanedbawagy. Jakoz y ty, pane doctorze, ſy geden takowy A wieß ſam dobrze, ze geſt wohiſdno, kdyz kdo koho w czem uczy a ſam toho zanedbawa naplniti. A protoz znam to, czožt nyni piſſy; geſtlis dobrze uczinil proti mnie, bud tiem ſam ſudczem. Nebt kdyz gſy w Krakowie byl, ukazalat ſem dobrodyni a przatelſtwij wedle me moznoſti, yakoz pak y tebe tayno nenie etc. Wiedieti dawam, ze woneda prziſſel do Krakowa miſtr geden z Wiedny, ktery ſie take wydawal za ſkladatele; ten geſt przebywal u czneho hoſpodarze; y byla ſem ya powolana k ſwaczinie k tomu iſtemu hoſpodarz(i). A w tom kwaſu, yakoz pak geſt wobyczey wzdyczky ſie na nowyni ptati na czyziech lidech, hoſpodarz geſt byl uczinil zminku a ptagicze ſie miſtra, czo ſu za lide ty ſkladatele a czym ſie wobchody, Miſtr odpowiediel a rzekl, ze pyſſy, czoz ſie kdy mezy kraly, kniezat(y), pany a mezy gynemy lidmy przijhody. A potom hoſpodarz, yako neuczeny, nerozum(ie)l tiem wieczem, zadal geſt toho miſtra, aby gemu ukazal, yakym wobiczegem ty wieczy ſkladagy; tehdy miſtr wzal kniezky a czetl latinie a potom czeſky wykladal, prawycz, ze nieiaky doctor Celtis, weliky ſkladatel, kdyz geſſtie w krakowie byl, gmiel nieiaku pieknu fregirzku a milu, Wo ktere Ty wieczy ſkladal; gmenowal gmeno me w tiech kniezkach czaſtokrat A powiediel wſſeczko, czoz ſie kdy mezy mnu a geho, Celtiſſem, dalo, gakzto mezy tiemi, kterzyz ſu ſie welmi milowali. Ale hoſpodarz any zadny tomu neporozumiel, ze to ſkladanie wo mnie bylo. A tiem ſie(m) byla rada. Ale nepochibug, ze ſem byla welmi truchlywa a ſmutna a ſediela ſem yakozto mezy zywym uhlym, neb ta ſwaczyna, acz byla nedluha, zdala my ſie dobrze czely rok; y protoz, pane doktorze, wieß dobrze, kdyz gſme ſie rozluczyli ſpolu, yak ſy byl wdieczen toho dobrodieny a przatelſtwy, kterezt ſem pak wiernie przala a ukazala, y ſlybils my, ze to wſſeczko mam wſſym dobrym użijti. Ale gynacz ſie promienilo, nebt gyz za wieru newieru a za mu weliku laſku gied dawaz, kdyz tak wo mnie pijſſeß, Any ty na mu cznoſt any na twu ſie rozpomeneß. Y proſim za tebe, acz geſtie ktera giſkrzyczka laſky ke mnie w tobie geſt a mu czeſt wochraniti chczeß; neb zagiſte wieß a znaß muog rod wyſoky, geſſto by mnie y mym przatelom k welike neczti bylo, Aby to ſkladanie, kterez wo mnie uczinil, potupil a zawrhl. Yakoz pak tu wieru wſſdy k tobie gmam, ze gynacze neuczyniß A na mu laſku a dobrodyni ſie rozpomeneß A tu laſku, kteraz mezy nami byla a przatelſtwy, aby to za wdiecznoſt przijgial, geſſtot ſem zadnemu zywemu na tomto ſwietie kromie tobie neukazala. Gyni lide przigiali by takowu wiecz za Wdiecznoſt weliku a mlczeli by k tomu. Ale ty, czoz rozumym, ne toliko pyſſeß neb

ſkladaz wode mnie, ale take ſpywaß a na lautnie y na krzedle huſli kazeß. przeſtan, przeſtan, doctorze, toho, A myſl, czoz ſie mnie a tobie powinnowati. Dan w Crakow(i)e anno seculari 1500.

Quod a me fieri summopere flagitas multumque profuturum in origines versionis nostrae boh. investigandas arbitraris, faciam, cum primum potuero. Nunc jam ex illo pistrino (lectione totius catalogi Palat. Bibl. typis edit. codd.) eluctatus sum; nec me poenitet hujus laboris suscepti nacta praesertim notitia tot cum primis cyrillicae literaturae typis editorum codicum, ut origines et progressum hoc genere characterum libros edendi multum illustrare possim. Etiam omnes indices MSS. codd. usque ad collectionem Schwandtneri perlegi et ultra quadringentos codd. adnotavi ex omni propemodum classe scientiarum ad Bohemiam quocunque modo pertinentes et plura sane opuscula vel fragmenta me inventurum spero, postquam ipsos codd. tractavero manu mea, meisque oculis perlustrati fuerint; experimento enim didici, quid cl. Denisius post Gentilotum observaverit, me semper hujus rei commonito, ut heri in cod. theol. MSS. chart. N° 787 in 8°, in quo b. Arnesti, I[i] archiep. nostri, bohemice duo folia scripta latent factae ab eo constitutionis circa usurarios, adductis etiam in eandem rem »Prawa prazſka«.

Sed, ut ad priorem tuam epistolam aliquid responsi dem: primum gratias ago pro communicatis mecum notitiis ad nostras res literarias pertinentibus et tui erga me animi significatione causa dissert. *de primis ex slavica gente clericorum seminariis seculo IX. institutis. Miraris summopere ac vehementer, unde conquirere potuerim monumenta idonea ad probandum.* En fontes: 1 Vita S. Anſcharii a Remberto, coaevo et idoneo scriptore, S. Anſcharii discipulo et in archiep. successore scripta, cujus editio tomo I. Scriptor. rerum danicarum medii aevi a Jacobo Langebek, Hafniae 1772. fol. notis illustrata, me, ut tibi ingenue fatear, in hanc diss. induxit, nota a) ad cap. XII. »Legatio ad gentes septentrionales.« — Varias dein hujus vitae legi editiones, ut mihi ad institutum idonea colligerem, Acta quoque ss. ord. S. Benedicti. Locus in meam rem *classicus* est cap. XIV. vitae S. Anſcharii ab Remberto scriptae: »Coepit quoque ex gente Danorum atque *Slavorum* nonnullos emere pueros, aliquos etiam ex captivitate redimere, quos ad servitium Dei educaret. Quorum quosdam hic [Hamburgi] secum retinuit, quosdam vero ad Cellam praedictam Turholt nutriendos posuit. Fueruntque cum eo hic ex societate vestra (veteris Corbeiae) sancti patres nostri et magistri, quorum doctrina et institutione feliciter nobiscum religionis divinae crevit opinio.« Cap. XXX.: »nonnullos pueros ex Nortmannis vel Sclavis emptos in eadem *Cella* [Turholt] causa discendi ad sacram militiam nutriendos posuerat.« Habes Slavos, utique clericos, habes magistros, quorum docendi modum investigavi in veteris Corbeiae historia et in capitul. C. Hujus rei causa etiam ex sec. IX°. de *institutione clericorum* libb. tres Hrabani Mauri (edit. usus Argentor. 1511 Georgii Symler, qui in praef. jam tum nostri aevi mores depinxit) diligenter perlegi. Item Galliae Christianae tom. X[mum]. ob vet. Corbeiae notitiam. Identidem causa rei liter. tom. IV[um] Histoire Literaire de la France pag. 15. et pag. 231. seq. Qualdonem monachum, qui in vita S. Anſcharii, de praelibatis rebus nostris ita decinit:

»Et pater et cuſtos Adalhardus nobilis Heros.
Hic tuus Anſchari, bonitate magiſter in omni
Exſtitit, hoc dulces hausisti ſonte liquores,
Queis inroraſti Sclavos Danosque rigasti.«

De fide historica S. Remberti non dubitabis, quem laudat Adamus Bremensis lib. I. cap. 31 etc., et auctor hist. archiv. Brem. ap. Lindebr. p. 71. — *vitam veridico sermone* descripsisse ait. Quae S. Rembertus cap. 34. scripserat, haec Qualdo aliquanto clarius (vid. P. Lambec. Orig. Hamburg. lib. I. pag. 46) ita reddidit:

Sed comites habuit, ſibi quos Corbeia miſit,
Sanctorum genitrix monachorum cella beatrix;
Hamburgenſis schola queis edocta magiſtris,
Crevit et ad florem perducta refudit odorem.

Post annum Domini DCCCXXXIII., quo Cella Turholtenſis Anſchario concessa est testante Adamo lib. I. cap. 17., repono origines seminarii istius.

Estne tibi notus »Ludovici Cresollii Armorici e Soc. Jeſu Myſtagogus de sacrorum hominum disciplina opus varium. Lut. Pariſ. sumtibus Sebast. Cramoiſy a. 1629. fol. Liber II. παρασκευαστικός de dispositionibus ad ordinem hierarchicum necessariis, mihi profuit ad historiam scholarum in coenobiis cognoscendam, cum primis ad institutum meum vid. secul. IX. Mihi videntur: »Regii seminarii graeco - catholici Viennae ad Sanctam Barbaram recens fundati leges, atque institutiones.« [sine loco, anno, et nom. typog.] ex Creſollio ut plurimum derivatae. Sed jam sufficiat dixisse quaedam de illa dissertationis materia et argumentis, ut sperare tantum de oeconomia et elocutione valeas, si successerit.

Nunc aliquid de etymologia *Oderae* et communione linguae boh. cum septen. Slavis: quod ad I. attinet, vide, ne fallaris etymologia, hanc ad *Ob-odritas* transferendo; quae opinio jam a. 1772. idoneo argumento refutata est a J. Thunmanno pag. 177.: »Ihr Name bedeutet nicht Anwohner der Oder, wie der H. V. meinet, der um deswillen den Namen Obotriten, wie ihn alle die Schriftsteller schreiben, die von der wahren Aussprache hinlänglich unterrichtet sein konnten, in den weniger auktorisirten Obodriten werwandelt. Vide quoque pag. sequentem de Obotritis in Dacia genere Slavis eorumque legationibus a. 818 etc.

Quod ad Ptolomaei MSS. Bibl. Caes. attinet, in tab. geogr. »*ΜΕΓΑΛΗ ΓΕΡΜΑΝΙΑ* (scriptum ad ostia sinistro litore tabulam aspicienti) — ὕιαδοσ [o] — confirmatur itaque tua opinio auctoritate MSS^{ti}. Sed arctioris quidpiam communionis linguam habere nostram, utique vetustiorem, quam equidem noscimus, cum septentrionalium Slavorum, cujus fragmenta in Ditmaro Merseburgensi collegi haud obscure video, si singula vocabula spectes; e. g. lib. VI. pag. 381. edit. Leibnit. ad locum, qui *Dobraluh* dicitur; duo hic observo: 1um nomen subst. лугъ more boh., quod ad ult. lit. attinet, pronunciatum utique, sicut Ditmarus scripsit; 2° identidem gen. f. adjectivum praefixum formae *nudae*, ut in fragm. antiquiss. ta zlob; vel si mavis, in utroque veterem consensum slavonicae linguae accipe. Pag. 388: »Wolmirſtidi, slavonice autem *Vſtuice*,

eo quod Ara et Albis fluvii hic conveniant, vocata.« Vlta, ut nosti, et in cod. th. 480. leta bozieho 1414 w Vltí. — It. pag. 382.: »Saepe cum Slavis in *Wiribeni* juxta Albim positam;« pag. 386.: »ad curtem meam slavonice *Malisin* dictam. Utinam tibi constaret esse apud veteres nostros scriptores idem vocabulum, cujus Ditmarus ita lib. V. pag. 366. meminit: »in ea parte, qua satellites habitant, dicti slavonice *Wethenici*; pag. 389.: »ductores erant duo *Wethenici* ex suburbio.«

Sed jam coarctor angustia chartae ad scribendum plura; itaque superest, ut veniam des proxime suppleturo, quod moram induxit, ne tu meum responsum acciperes. Mone, quaeso, sed nulla mentione facta, unde d. Zlobiczky ominari possit, me auctore id factum, mone, inquam, me accelerationis ad describenda necessaria ex tuo codice exempla; nam ex mense Octobri jam codicem tenet, ubi ego istis longioribus diebus, cum ad lucernam difficulter lucubrari possim, multa excerpere potuissem, et in illustrando fragmento progredi. Sed nosti ingenium, prudenter age et vale quam optime meque amare perge.

P. S. Salutat te profess. Alterus.

LVIII.

1790 — 31. července. Dobrovský odpovídá na list předcházející a kromě některých drobnějších zpráv vyslovuje svou pochybnosť o užším spojení Čechů s polabskými Slovany, objasňuje některá slova v listě Durichově uvedená, žádá o navrácení svého rukopisu (t. zv. Hradeckého), zmiňuje se o služebníku r. 1554 v Benátkách tištěném, o slově »blatenský«, o zamýšleném vydávání Slavie, přeje si obdržeti nějaké místo ve dvorní knihovně, a zakončuje svůj list zprávou o grammatice kurdské a Michaelisově bibliothece východní.

Olomucii 31. Jul. 1790.

Fortunato Durichio suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Res et tempus jam urgent, ut literis tuis 3. Jun. ad me datis paucis saltem respondeam.

1. Indicem librorum a b. Hroznata Praemonstratensibus Teplae donatorum, uti in fragmento membranaceo Teplae asservato exaratus exstat, ipse manibus tractavi, dum eo excurrerem ante annos non multos. Libri ipsi, adeoque nec ipsa memorata Passionalia, non amplius exstant. Itaque neque per cl. Ungar notitiam ejus rei consequi poteris, quam cupis. Rhythmo certe pauca Passionalia latina conscripta repereris, plura germanica a sec. XII. ita, ut nihil dubitem, nostros a Germanis versuum pangendorum rationem didicisse, quales in frag. Vindob. boh. leguntur.

2. Hasilinae epistolam, qua delectatus sum, confictam a Bohemo quopiam crediderim, tum quod Hasilinae nomen et alterum Kepstein (*kep.* enim vulvam denotat) appellatione sua auctoris ingenium et alia adjuncta fictionem prodant; tum, quod boh. idiomate, inter alias latinas plures, unica haec sit.

3. Gratulabor tibi et gaudebo mihi, si tu e penu tua aucta perlustratione codd. Bibl. Caes. Palat. multis suppleveris hist. l. boh., quam adumbravi, uti fragmento boh. scripto constitut. Ernesti 1^{mi}, quam tamen serius in boh. conversam autumo.

4. Dissertationis tuae de primis slav. seminariis desiderio jam teneor — cum adeo felici tibi esse licuerit, detegendi loca tam clara et illustria. Similia, quamquam minus plana, reperies in libello de conversione Carantanorum, quem Salagius ex duobus codd. Caesareis tom. IV. librorum suorum de statu eccl. panonicarum inseruit. Mallem tamen, alium nunc dissertationi huic titulum praefigeres, e. gr. de primis Slavorum apostolis vel de primis Slavorum conversionibus usque ad Cyrilli adventum — vel alium atque alium; conversionemque Croatarum et Dalmatarum ante Cyrillum inchoatam attingeres. Neque ego dubito, etiam Bohemos a Caroli M. temporibus nomen Christo dedisse saltem aliquos.

5. De lectione *πόδος* inspectoque Ptolomaei codice gratias ago; ea, quae ex Thunmanno, scriptore ancipiti, mones, jam perpendi; neque tanti esse autumo, ut sententiam infringere possint, quae statuit Obodritas ab Odra appellatos, cujus ego fontes his adhuc feriis lustrabo, ad illustrandum Helmoldi seu Adami Bremensis locum de ejus origine testimonium proferentis.

6. Arctiorem communionem l. boh. cum septemtrionali Slavorum habere, quam e. gr. Slovacorum in Hungaria aut Croatarum aut etiam Serviorum, antiquam dialectum horum spectando, vix unquam efficies, cum ea omnia, quae ex Ditmaro aliisque allaturus sis, non sufficiant. Plerumque enim talia sunt, quae in utramque partem accipi possunt. Taceo, quod multa sint, quae male scripta non negabis, uti *Dobraluh* pro *Dobriluk* aut si mavis Dobrilug, Dobriluh, nam *luh* femininum esse non potest, cum *nullum* plane slavicum vocabulum fem. gen. desinere possit in *h*; uti nec in *ch* et *k*. Nam literae illae soni durioris masculinum genus indicant mutarique solent in affines sibilantes, dum femininum inde deducitur, uti a trhati — trh m. g., trž (průtrž, přítrž, etc.) fem. gen.

7. Vocabulum *Vethenici* apud nostros, quantum scio, nullibi legitur, quamvis etymologia vocis non admodum difficilis mihi videatur. *Weta* nostrum quid sit, nosti in eo adagio: giž ge po něm *weta*, actum est de eo, es ist aus mit ihm; alias náhrada, odplata — wety, pl. wet, minus usit. apud Polonos sunt cibi, qui post mensam apponuntur, Nachtisch; *wetować*, par pari reddere, vindicare, vindictam sumere, odplatiti, nahraditi — ex his reliquiis jam derivaveris Ditmari *Wetenikos*, tales nimirum homines, qui alios sequuntur in proelio, qui secundo seu ultimo loco sunt — tales nimirum, qui mortem ejus, ad cujus defendendum latus assistunt, vindicare solent; uno vero *satellites*, Trabanten, qui *vetant*, ne is, quem comitantur, laedi aut perimi possit, si quidem malis latinam vocem pro etymo assumere, cum slavicum vocabulum *Weta* nunc satis obscurum sit; Germani dicunt, sich *Wett* bauen, *Wett* machen, testante *Adelungio*. Inspice, si licet, lexicon russicum ab Academia Mosquensi philologica editum, cujus tomus 1us literas tres primas alphabeti continet, si quid praesidii inde peti possit ad explicandam vocem *Vetenici*.

8. Iterum atque iterum peto, ut mihi tandem aliquando remittas Procopii vitam seu volumen illud boh. tibi concessum feriis lapsis. Nunc enim, Pragam concessurus post abolitum seminarium, conquirendis omnis generis monumentis boh. omnem operam impendam, ut tandem possim manuscriptorum

boh. catalogum pleniorem texere, atque specimina palaeographiae illustrandae causa ex antiquioribus quibusque dare atque edere.

9. Notumne tibi est officium divinum seu Basilii et Chrysostomi liturgia, una cum evangeliis et epistolis per annum legi solitis, Venetiis 1554 in 4. typis cyrillicis edita — procurante *Božidar* (Deodato) *Wukowik*, patre Vincentii illius, qui Psalterium ibidem edidit an. 1561. Liber ille exstat in bibl. lycei Olom. titulo, uti erat catalogo Brunnae a Jesuitis inscriptus: »Missale Dalmaticum.« Lectiones ejus, contuli enim evangelia aliquot, conveniunt cum codd. servicis.

10. In nota tibi notitia (**сказаниє** de S. Cyrillo) de slavonicorum librorum interpretatione — **костєл** vocatur **кнѧѕ блатинскыи** — quid putas, est illud *Blatinsky?* quae illa regio?' Notum est Moseburgum, quae et urbs *Paludarum* a Priwina constructa, sedem fuisse archipresbyterorum Salisburgensium usque ad adventum S. Methodii — hoc castrum ad lacum Pelsonem situm docuit lib. IV. de statu eccl. pannonicae pag. 369—395 Salagius — ejusque situm convenire *Salavario* hodierno in comitatu Saladiensi etc. etc. Lacus Pelso ab anonymo vocatur *Pelissa*, a Germ. Plattensee, ab Hungaris *Balaton*, quod est ex slavico *Blatna* vel *Blatno*, a radice *blato*. Si loci *Blatna* in Bohemia situm nosti, facile concedes mihi lacus hujus Balaton dicti primam et veram genuinam appellationem *Blatna*. A Blatna est Blatensky vel Blatinsky deductum — constat igitur, quid sit Kněz Blatinsky — successit enim Priwina castrum hoc exstruenti Chezil filius, sub quo Methodius in Pannoniam advenerat.

11. Manuscriptum Vindob. Bibl., quod evangeliorum expositionem bohem. continet, de quo mihi olim, mihi summae aetatis, quoad textum, videtur. Ex eo tu notasti locum Joh. 2, 6: *naplnte ſrzyezy* (ſtřezy — ſtřízek apud Welesl. legitur). Manuscriptum lycei Olomuc. 1um habet *ſſpichy*, unde *ſſpiſſek* hodie adhuc usitatum. Facile assequeris, quid velim; diligentiorem hujus codicis collationem.

12. Cl. dom. Anton continuo urget, ut edatur Slavia. Pragam veniens tentabo, quid possint ea in re humeri ferre; modo tu aliique nos non deseratis.

Cl. Denisio et prof. Altero me humanissime commendabis illique suggeres, me vehementer desiderare locum convenientem mihi ad Bibl. Caesaream et latus illius, quem colo et observo.

(Na lístku přiloženém k tomu listu:)

Prof. Altero forte jam innotuerit *Grammatica e vocabulario* della lingua Curda composte par P. Maurizio Garzoni. Romae 1787. 8. NB. NB. NB. az apud Curdos et *ego*, in verbis lit. *m* 1^{am} personam singul., uti apud Persas, designat. Aliis omnibus rebus convenit cum persica lingua.

De notitia vers. slav., quam cl. Michaelis misi, haec ille in praefat. partis VI. Biblioth. novae Orient. et exeget.: »Die Recensionen haben so allen Platz weggenommen, dass darüber eine mir mitgetheilte, sehr wichtige Nachricht von der slavonischen Uebersetzung des A. T., die dereinst meinen Lesern sehr angenehm sein wird, zum folgenden Theil hat versparet werden müssen.« Tu igitur, cura, ut VII^{am} partem Bibliothecae novae Orient. legas, — ego nondum accepi; praestolor autem quotidie. In gratiam exterorum philo-

logorum et criticorum scriptam scito; tu certe ista, quae scripsi, melius nosti, sed tamen leges.

(Po straně listu str. 2. a 3. připsáno:)

Scripturus mihi ante 10. Septembris Olomucium mittes literas, — post illud tempus — Pragam.

LIX.

1790 — 22. srpna. Durich odpovídá na předcházející list, podává zprávu o některých tiscích slovanských, o svém zamýšleném spise: Initia eruditionis Slavorum ante divum Cyrillum a o svých studiích vůbec a zakončuje svůj dopis drobnějšími zprávami a obranou slova »Dobraluh«.

Viennae, 22. Aug. 1790.

Josepho Dobrowskyo suo Fortun. Durich s. p. d.

De tuo, ex hac rerum commutatione nato proposito, ut aboliti seminarii locum cum statione Pragensi commutaturus, conquirendis omnis generis monumentis bohemicis omnem operam impendere valeas, et gaudeo et vires perficiendo operi vitaeque productioris tranquillitatem adprecor. Hoc tamen praeterea cuperem, ut plures tuo exemplo inducerentur ad linguae nostrae popularis cultum et majorum nostrorum imitationem: nunc mihi et necessarium et opportunum, si unquam magis tempus videtur; immo turpe foret, si domesticae Musae negligerentur, quarum ore serenissimi tres archiduces Carolus, Alexander et Josephus jam jam loqui gestiunt magistro inducente d. Josepho Wershauser. Quidquid ex meis adversariis tuo instituto idoneum habuero, ut alias simplici animo tecum lubens communicavi, sic et porro majori, qua potero, diligentia facturus sum. Grati jam animi pro perscriptis notitiis literariis significatione facta, praesertim pro liturgiae cum evangeliis et epistolis indigitata editione Venetiis anno 1554 a Božidar Wukowik procurata, de qua cuperem quaedam nosse in contextu, si excerpsisti, ad historiam literariam pertinentia cum primis rei typographicae; soleo enim ipsas formulas exscribere, quibus Slavi hanc artem et illius vocabula ad institutum pertinentia exprimere solent. Ita in editione Homiliarum S. Joannis Chrysostomi, in Epistolas Paulinas a. Chr. 1623. in Laura Kiewo-Pečžeriensi, in folio, post indicem pag. 2 folio ‚гс҃: **Тимофей Александровичъ, маїстеръ худо́жества Исүа́тилагѡ — и̓ разумнїи ѡ Прототѵ́па тѵпогра́фове Стефанъ Берында. и̓ Тїмофе́й Петровичъ** — appellantur. Ex praefationibus trium voluminum, quibus laudatae homiliae continentur, multa ad rem literariam slavonicam pertinentia excerpsi, mihi prius prorsus ignota; dabo exemplum ex praef. laudati vol., cui subscriptus est hieromonachus Zacharias Kopistenskij: »Krolewaja Jadwiga cžitowala Bibliju Slawenskuju, a do wyrozumènja jei měla Wýklady Oc͞zew S͞tych [compendii causa literis commutatis scribo] Slawenskym jazýkom, kotóryj z Biblieju cžitála. Druhij priklad: za Kazimira Królja w Krakowě drukówano po Slawénsku knihi wěry i naboženstwa takowoho, jakowóe my po síi dni wedluh cžinu c͞zrwe Wschodnei zachowuemo.« In margine citatur Miechow lib. 4 c. 41. Ex his mihi videtur colligi, non tantum Psalterium Cracoviae a. 1491 editum, ut Bacmeister pag. 102: *Essai*

sur la Bibliotheque de S. Petrsbourg, adnotavit, verum etiam alios ex ritu slavo-graeco libros ibidem ab eodem Hallero editos fuisse. Egregiam licet operam dederit Kohlius colligendis monumentis slavonicis, tamen in multis eum exerrasse saepius deprehendo et errorem, quem illo praeeunte erravi, identidem agnoscens, emendare debeo. Hoc enim jam investigavi, quo factum sit, ut scriberet pag. 19. suae introductionis: »Praeter caeteros ecclesiae libros, omnes propemodum, qui ab ecclesia ruthena recepti sunt, doctores graeci, *totus Chrysostomus* — slavonico sermone — prodiere.« Legerat Kohlius illum librum symbolicum ecclesiae ruthenae sub N. III. in praef. sua)(3: Kniga o wierie etc. cujusmodi liber, sed in folio editus Mosquae a. 1644, in quo, paulo post principium post canonem Scripturae sacrae Vet. et Novi Testamenti, ponuntur: **кни́ги прпⷣбныхъ ѻ҆ц҃ъ на́шихъ па́стырей и҆ ѹ҆чи́телей все-ле́нскихъ** — initio ducto a Dionysio Areop. servatur in Bibl. Caes. XX. R. 38; atque hoc ss. patrum catalogo inductus arbitrabatur de omnibus propemodum graecis patribus slavonice redditis. Sed, quam verum sit, neque ante annum 1766 *totum Chrysostomum* slavonice redditum fuisse, ostenditur verbis praefationis ad Homilias S. Joannis Chr. in Genesim Petropoli laudato anno in 2 tomis in folio editas dialecto *paulum recedente a slavonicae linguae antiquitate,* (ot dostopočžtennoj slawenskaho jazyka drewnosti) — **переведена̀ сїѧ кни́га, кото́рой є҆щѐ въ перево́дѣ не бы́ло.** De numero autem redditorum graec. patrum: poneže chotja wesmà newelikoe čžislo prawoslawných welſkich hrečžeskich učžitelej knih na naſs jazyk perewedeno, (o čžem kak sprawedlíwo sožalět dolžno, tak možno nadějatsja, čžto so wremenem sej nedostátok nás oskorbljat nestánet) no Zlatoustaho knihi, chotja ne wsě, odnáko někotoroe čžislo na naſs Slawenskij jazyk iz' dawnych wremen perewedeny. Jam ex hac observatione critica perspicis, quam lente, etsi tam assidua opera, ut vellem in juventute talem impendisse, *procedere debeam;* sed gaudeo conquisito jam non parvo symbolarum apparatu, *quo origines et progressum typographiarum slavonicarum charactere cyrillico, glagolitico et mixto* instructarum ita describere possim, ut etiam rei literariae slavonicae amatores habeant, quo delectentur in excerptis varia historiae lit. momenta illustrantibus. Sed, ut ad tuam epistolam redeam, ut mavis, faciam; opusculo titulum praefigam: *Initia eruditionis* Slavorum ante divum Cyrillum — et mutata opusculi oeconomia, quaedam commutabo et nonnulla addam cum primis ad rem literariam Slavorum idonea. Conversionem Croatarum et Dalmatarum ante Cyrillum inchoatam attigi cap. I.: De conatibus apostolicis ecclesiae romanae episcoporum sub medium seculi VII. convertendae Slavorum genti impensis. Heic initium duco a primo Spalatensium post Salonam eversam archiepiscopo Joanne Ravennate, qui primus *Serblorum et Chrobatorum* ad baptismi gratiam perducendorum curam suscepit, quae (observante cl. viro Francisco Xav. e L. Bar. de Pejacsevics in colloquiis MSS. de statu regni et religionis Serviae ab exordio ad finem, sive a seculo VII. ad XV., de quo, nisi fallor, jam ante biennium tibi scripsi) cum pontificatu romano Joannis IV. conjuncta, inter annos 640 et 642, auctoritate codicis Barberini historiae Salonitanae, reponi debet. An tu quoque cum recentissimo auctore histor. univers. tom. 51, id, quod de Chrobatis Constantinus Porphyr. scripsit: καὶ ἰδιόχειρα ἐποιή-

sermo --, tam arbitrarie expositurus es, ut dicas cum eodem illos, ut solem literarum scribendarum ignari, pacto manuscripto signum crucis adpinxisse. Videtur mihi textui graeco vis inferri, et hoc interpretandi genere nih aptius esse ad evellendam omnem antiquitatem; neque enim vel ipse ad miserim vulgo ita fuisse cognitam scribendi artem, ut nostris temporibu passim videmus: notum enim est, quid hac in re potuerint Germani aliiqu Europae populi etiam sacris christianis diutius addicti. Sed heic de praestantioribus viris Slavorum Chrobatorum procul dubio Constantinus loquitur qui talia promittere poterant. Rex Bulgarorum Omortag pacis faciendae gratia (a. 824) ad imperatorem legatos et *literas* misit etc., vid. Oefelii Script. rerum Boj. t. II. pag. 442. Quid ipse sentias de utroque loco, rescire cupio, ut etiam de ista Montfauconii notitia Bibliothecae biblioth. MSS novae tom. 1. — Bibliothecae romanae in indice scripturarum existentium in castro S. Angeli in camera thesaurarii pag. 210. sub titulo: Sequuntur in eodem sacco transmarinarum nationum: »Epistola papyracea scripta literis ignotis, quae *dalmaticae* videntur, ab Innocente cum sigillo aureo, quam cum Armeniorum fasciculo alligavimus.«

Quod ad me attinet in dandis symbolis ad Slaviam, nosti animi mei propensionem et liberalitatem in communicando ad usum communem sine fraude occultationis, quae mihi semper ambitione vel alio quopiam vitio contra humanitatis officia induci videtur; nisi prudentia suadeat aliud fieri.

Sed ubi honesti viri eadem studia virtutis amore colunt, simplicitate magis, quam prudentia opus est. Quam ob rem non possum te non interrogare, an tibi nota sit Synopsis operis historici, continentis antiquitates illyricas, censurae principis Jablonovii oblata per Comitem di Ragnina, quondam legatum reipublicae Ragusiensis apud imper. Russ., auctore P. Giorgi, abbate Melitensi, Benedictino, equite Ragusiensi? Hanc ego nuper Nova acta erudit. Lips. anni 1773. (edit. 1776.) pag. 135. legendo ita miratus sum, ut tibi exponere nequeam: plurimas enim dissertationes heic reperi scriptas, quibus concinnandis subsidia et argumenta conquiro. Plura tamen sunt antiquitatum slavicarum argumenta, immo hujusmodi disquisitiones, ut mihi auctor assiduitate lectionis Photium superare videatur. Utinam mihi concederetur tantum has duas dissert. legere; tom. II. antiq. diss. XIX.: *Thracum lingua vetus eadem est in hodierna dalm. slavo-sarmatica.* Diss. XL.: *Lingua thracica, quae hodie slavonica, mater est et necessaria ad antiquitates cognoscendas.* — Tibi forte prodesset diss. XCI.: *Nomina novantiqua Slavorum inter Albim et Vistulam. Diss.* ultima XCIV.: *de dea Vesta.* Quia lecta synopsi Gothofredi Vockerodt consultat. II.: *de literar. studiis*, causa diss.: *de initiis eruditionis Slavorum* legi, non possum tibi non confiteri, quantopere excitatus fuerim *ad moderatius sentiendum in studiis*, ut hoc habeam perspectius usuque exploratius *solidam eruditionem ignorantiae agnitionem parere, ac veram modestiam.* Non equidem hoc dictum putes ita, ut caeco quodam impetu omnia Giorgi abbatis pro exploratis suscipiam, plura enim videntur meliori examine digna; sed quod ignoraverim majorem slavicarum rerum cum gothicis connexionem, *ut me poeniteat quaedam in diss. mea* de sl. b. vers. dixisse. Nec jam dubito cl. Ihre commentationibus eruditus etiam

formam et vim duplicis adjectivi moesogothici *emphatici seu demonstrativi*, vim habentis arthri Graecorum ὁ, ἡ, τὸ, atque *simplicis*, (quod a nostris non ita adposite per *constructum* et *absolutum* exprimitur) non tantum in lingua slavonica lit. regulariter, apud nos subinde, inveniri, verum etiam iisdem s. Scripturae exemplis confirmari. In Passionali Prag. curatius hoc proprietatis linguae monumentum observari invenio; FF. subinde hanc phrasin curasse, aliquando neglexisse observavi. *Constructio* cum verbo substantivo *sola*, regulam non firmat, ut videri potest ista *Ostrog.* edit. auctoritate. Joann. IX. 1.: **Видѣ ч҃лка слѣпа.** - - Etsi cl. Meletius in *admonitione:* **ѡ Прилагáтелныхъ Оу́сѣчéныхъ** recte adnotaverit: »Adjectiva hujuscemodi (nimirum apocopata) praestantiorem integrorum *energiam* in substantivis, quibus junguntur, efficiunt;« tamen ex collatione adjectivorum graecorum cum arthro constructorum et moesogothicorum, identidem apocopatorum *seu emphaticorum* slavicorum vim habentium, causa et origo, atque usus utriusque adjectivi melius intelliguntur. Collectanea, quae habeo, una dissertatione digeram: *De consensu linguae moesogothicae cum lingua slavonica in adjectivi emphatici potestate ad exprimendam vim arthri Graecorum.* Nescio an tibi omnino perspecta sit vis τοῦ (~), quod nominibus *titulo honoris*, non vero solius compendii causa superscribi solet, atque inde **Тітла** vocatur? Multum operae impendi huic subsidio *hermeneutico* consensu antiquissimarum ecclesiarum illustrando, quem inveni in codd. armenis opera conjunctissimi Alterii adjutus, in *copticis*, in quibus plura rebus slavicis illustrandis latent ac ego unquam existimassem, ad quem usum praesto sunt Fragmenta Nanianae bibliothecae ab Asemano edita, in ista etiam slavonica MSS. servari dicuntur, ut etiam Bononiae Psalterium MSS. In codice argenteo Ulphilae identidem veri Dei nomen, uti graecis, armenis, copticis, slavonicis cum *titla* scribitur. Alexandrinae ecclesiae tanquam matri omnium elegantiorum scholarum istam hermeneuticae particulam debemus, quae in codd. lat. Antehieronymianis adhucdum videtur, ut sunt testimonio codd. Caesariani hujates (versionem intelligo in apographis septimi vel octavi seculi servatam), quam Hieronymus Alexandriae procul dubio a Didymo didicerit, utitur enim arthro graec. in expositione, eodem modo sicut Didymus lib. de Spiritu sancto usus est, quem magistrum suum vocat. Neglectam tamen *arthri* expressionem, *quo Latini* identidem sicut Slavi et Moesogothi carent, saltem illo τοῦ (~ vel —) signo, in nova vers. Hieronymi, ex ipso Hieronymi in Matth. XXI., 11. comment. colligo. Consensus illae praestantiorum et, ut Augustini, hac in re epitheto utar, diligentiorum ecclesiarum copticae et armenae nititur antiquissimis MSS. vid. cod. I. biblioth. Coislinianae opera Monfauconii, specimen scriptionis: ΘС — ΟΥΝΟΥ — ΠΝ ΙΘΥ, cujus codicis lectiones cum cod. Alexandrino saepissime convenire dicuntur, quemque inter praestantissimos Europae Montf. numerat.

Sed jam angustia chartae me commonet, ut ad reliqua tuae epistolae momenta respondeam: Summo cum gaudio legam VII. p. Bibl. Orient. Mich., ut primum illam obtinere potero; quod vero ad MSS. Evangeliorum eclogar. bohem. Bibl. Caesar. summae, ut tibi videtur aetatis, attinet, si Deus vitam produxerit, anno futuro totum describam et philologice illustrare conabor. Quia MSS. vitae S. Procopii needum a d. Zlobiczkyo obtinui, quem ab illo

tempore, quo epistolam tuam accepi, convenire non poteram, indulgebis, ut tantisper obtento codice uti possim, et illum tibi una cum excerptis manuscriptis slavo-bibl., ut volueris, remittam. Sed scribe, quo et in quem modum epistolam ad te dirigere debeam. De manuscripto ne sis solicitus, per currum diligentiae ad P. Chrysostomum Hepky N°. 600. ad S. Valentini aedem habitantem secure perferetur. Lexicon academicorum Mosquen. non est in Bibl. Caes., vellem aliquid ex te rescire de illius oeconomia et pretio, item si quid tibi de recentioribus hujus academiae operibus ad institutum meum aptioribus constat.

Superest, ut de voce *Dobraluh* aliquid reponam: vel in hoc arctiorem communionem cum nostra dialecto contueor. Recte quidem observas nullum plane slavicum vocabulum fem. gen. etc. (tertiae declin., cujus **ѡконче́нїе є́стъ є҆ди́но (ь: и҆менъ же́нскихь)** ita ut neque apud nos ratio reddi posset, cur paradigma 3. d. **Ѯа́нокѣдь** sequantur nostra *cnost, čest, nemoc* — duram in fine habentia adeoque in **ъ** terminata praeter slavonicae linguae proprietatem; nisi constaret illam duram enunciationem recentiorem et anomalam esse, veteribus enim dicebatur, čestnosť, česť, nemoщь. — Sed numquid nosti identidem *apocopatum primae declin.* slav. casum rectum et accusativ. in sing. in MSS. antiquiss. Bibl. Caes. vers. 7.: Tey zzíe ta zlob neprsímíersí, et in gaud. 1° Mariae: A na ſpas wſemu ſwietu dan? primae declin. esse non est necesse, ut quid asseram, cum hoc pateat ex casibus obliquis et ex recto non apocopato: Spasa in cant. S. Adalberti. Si harmoniam requiras, nosti: אמר vel אמרה; גיל vel גילה; דבר vel דברה de terminatione heic tantum egi harmon. Itaque cum terminationem 1ae d. fem. etiam quaevis dura mutationem alias ante **ѣ** etc. exigens, praecedere possit, ut **снохѧ** etc. apocopata etiam in duram, desinere poterit. Ceterum *zloba* vid. apud Dalemil. pag. 147. Et. nostrum vocab. luka = **лѹгѧ** forte dictum, ut nunc **лѹгъ** in usu est; igitur tam bene apud Ditmarum scriptum est *Dobraluh*, ut apud nostros vet. scriptt.: ta zlob. Non animo contradicendi, sed res nostras ea grammaticae parte, quam nobis cl. Michaelis pro specimine in Append. dedit, illustrandi, ista profero.

Vale quam optime, ego ob claudicationem jam in tertiam diem a Bibliothecae aditu prohibeor, quam ob rem mentem meam magis, quam pedem meum doleo. Numquid studia Plinii in originibus fluviorum feliciter absolvisti? Iterum vale et me amare perge.

LX.

1790 — 24. září. Dobrovský ve své odpovědi na list předcházející mimo mnohé jiné podává zprávu o služebníku r. 1554 v Benátkách tištěném, o památkách a listinách slovanských, o počátcích křesťanství u Slovanů, o opatu Jiřím, o slovanském bájesloví, o některých mluvnických zvláštnostech, o ruském akademickém slovníku, o slově »Dobralug«, a zakončuje list svůj výpiskem z předmluvy k žaltáři z r. 1720 opata Jiřího.

Gradicii 24. Sept. 1790.

Fortunato Durichio s. pl. d. Joseph. Dob.

In gratissimis laboribus distentus ad scribendum me proripio magis, quam accingo. Delectatus sum eruditissimis literis tuis summopere, praecipue autem, quod linguae nostrae studium omnibus commendatum velis; illustribus

nunc exemplis trium archiducum discentium czechico ore loqui (Musa Čzechis dedit — ore rotundo loqui) propositis. D. Jos. Wershauser ex animo gratulor, quod ei haec provincia obtigerit. Jam et ego cogito, qua ratione possim facillimam et brevissimam methodum discendi linguam nostram edere atque archiducibus nostris dedicare. Saltem nunc juvabit monere d. Wershauser, ut Tomsiano lexico edito (fiet autem quam proxime), quod ego et praefatione et dissertatione de linguae boh. origine, natura, affinitate cum aliis linguis ornavi,*) iis legendam tradat dissertationem meam, praeter eam, quae linguae boh. historiam exponit, tomo primo dissert. novarum Soc. Boh. insertam, quem tomum Soc. Boh. scient. regi Leopoldo dedicabit, obtenta jam, ut id audeat, ab eo licentia.

Nunc jam literaria cape:

1. Liturgiam Venet. 1554 editam quod attinet, haec notatu digna sunt: titulus libri non alius apparet, quam primi folii pag. I[ma]: **иже вь стыхъ ѡца нашего, василіа великаго. поученіе къ иерейомь** — haec enim instructio primum locum occupat.

Pag. ult. libri finiunt: **съвршише се сіе бжтьвные книги литоургіе**, quibus addidimus evangelia, epistolas etc. et plane ad finem: **къ лѣ ѿ рожьства хва, ,афнд. оу венецієх** ·:· — Pag. 3[tia] a fine: sego radi i az griefsnii i mnfsi w člcech **божидарь вукович ѿ гюрик подгоричанинь.** — — (locum hunc facile rescies, si Serbos [Raitzen] Viennae consulueris). Porro: »trudo ljubznje potщach se s-stawiti **форми.** wježe byti vgodna (pag. 2[da] a fine) wfakomu pročžitajuщomu. i spifach dufse polznje knigy sie **литоургіе.** Veniam deinde postulat erratorum — post ista: Powelieniem gña božidara trudich se o fem az okaanneifsi i mnfsi w inocech **иеромонах пахоміе ѿ цркніе гори ѡ реке.** (NB. versus Cracoviam dicunt cerpať pro čerpat et in aliis vocibus *cž* efferunt ut *c* [ц]). Petit dein monachus iste — ut canentes liturgiam et ea utentes corrigant corrigenda et recordentur Božidarii (Theodati, si recte explico): pojuщeže pomenujte raba božija božidara, izložiwfsago **типари сіе.** a pifawfsago blagoslowite a neklnete. Reliqua non sunt, ut ea desideres; his, puto, contentus eris. Textúm et orthographiam servicam contineri in eo libro, jam tute perspicis; contuli cum codd. Vindob. ab Altero exceptis aliqua capita Johannis notavique var. lect., sed admodum paucas exigui fere momenti.

2. Ut tu recte Kohlium caecutientem corrigis, scribentem totum Chrysostomum slavonice versum et editum fuisse, ita concedendum, multa slavonice reddita, in monasteriorum bibliothecis delitescere. Audi Nestorem scribentem de Jaroslao duce ad an. 1037, sub quo mirum quantum aucta est Christianorum res: »Er verfasste selbst (Müllers Sammlung Russischer Geschichte p. 188, 3[tes] Stück — compendium est Theodosii seu potius Nestoris) die Kirchenordnungen, studierte Tag und Nacht, und *unterhielt viele Gelehrte,*

*) Franz Johann Tomsas Vollständiges Wörterbuch der böhmisch- deutsch- und lateinischen Sprache. Mit einer Vorrede begleitet von Herrn Rektor Joseph Dobrowský. Prag 1791. Za předmluvou následuje na str. 11—32 Jos. Dobrovského »Ueber den Ursprung und die Bildung der slawischen und insbesondere der böhmischen Sprache«.

welche ihr allerley griechische Bücher in die slavonische Sprache übersetzen mussten. Eine Menge Schreiber war beschäftigt, um dieselbe vielfach abzuschreiben*. Suspicor ego, sub eo versum fuisse Vetus Test., nam quod a Cyrillo id factum sit, nihil proditum est. De tomis aliquot hist. eccles. Baronii, quos vidisse se scripsit Kohlius, aeque dubito; quamvis Romani pontifices hoc medio fortassis allicere voluerint Graeco-Slavos, et impensis non pepercerint — dubito tamen de facto.

3. Opusculi, quod paras, inscriptio nunc placet, uti et capitis 1mi summarium; *ἰδιόχειρα ἐποιήσαντο* cum Gebhardi ita expono, ut admittam signa sua Croatas nobiliores apposuisse, quae expositio plane arbitraria non est; nam eo seculo saepe nec episcopi Germaniae nomina sua scribere non solebant in lit. publicis, sed solum signa apponere. Pervolve, quaeso, formulas a Goldasto (Rerum alemanicarum script.) editas, uti Thaculfi et aliorum. Ita seculum ferebat, ut instrumentum scriberetur a notario; testes signa duntaxat facerent. — Atqui et medio non solent testes subscribere manu sua seu propria. Unum ego confectum instrumentum, quo se Croatae pontifici obstrinxerant, arbitror. Regem Bulgar. Omortag an. 824 ad imp. *literas* misisse concedo, sed nego regis manu scriptas, verum notarii, quibus certe et Croatae usi sunt.

De Bohemorum conversione ante Cyrillum utique capite uno acturus es. Unde putas Bohemia sacerdotes Slavos accepit? Resp. per Ratisbonenses episcopos sumtos ex *Austria* et proxima Carinthia. Jamque nunc mirari desino, qui factum fuerit, ut vocabula ecclesiastica (multa sane) habeamus cum Carinthis, Croatis et aliis communes: milosrdí, milosrdný certe e latino misericors et germ. barmherzig orta sunt, quae Cyrillus ipse jam usu recepta mutare non ausus est. Taceo nunc alia. Possidebant praedia a Slavis culta sub Ludovico rege episcopi Ratisbonenses, et in specie *Baturicus*. Exstant in eam rem literae Ludovici; praedia haec sita erant in Austria ad fluv. Erlafam. De Slavis ad episcop. Pataviensem spectantibus non est, ut jugeram mentionem.

4. P. Giorgi, abb. Mel., dissertationes non novi hactenus, uti nec synopsim. Cum tu istas tantopere cupias legere, facile obtinere potius per d. *Ajalam*, Ragusinae reipubl. legatum Viennae, quem P. Stulli invisere solet. Georgius abbas idem ipse est, cujus illyr. Psalterium tibi olim descripseram. Ego certe, etsi viri istius diligentiam laudem, tamen adduci non possum, ut credam, illum recte sensisse in iis, quae de Thracum lingua, quam nemo hominum novit, scripserat. Quid enim? jamne res confecta est, si dicatur: Thraces loquebantur illyrice, illyrica lingua est slavica, ergo. — Atqui illyrica lingua vetus longe alia fuit ab ea, quam hodie Illyricum inhabitantes Slavi illyricam vocant. Illyris nomen regionis est, uti Bohemia atqui lingua bohemica (puta czechica) non est bojica, puta Bojis propria.

Diss. XCI. de Slavorum nominibus inter Albim et Vistulam ex aliis recentioribus script. compilatam arbitror. Sed eam de dea *Vesla* cuperem legere, saltem rescire, num deam Veslam ille vocet Viflam eam, de qua fabulae leguntur in Polon. annalibus. Mythologiam slavicam adhuc desideramus; habeo tamen jam collecta, quae certe nullibi impressa legas. Unde

ergo? ex proverbiis, loquendi et imprecandi formulis (gdi k diáſu) etc. etc. apud Polon. *do bisa.*

5. Cave majorem adstruas affinitatem l. slav. cum gothica, quam cum aliis dialectis l. germ. Novi ego naturam l. gothicae ex dissert. *Fuldae* lexico Adelungiano praemissa. Atqui l. germ. nostra hodierna distinguit inter adjectiva *concreta* et non *concreta*, concrescirte und unconcrescirte Adelungius vocat. Der Mann ist gross, ten muž geſt welik — der grosse vel ein grosser Mann stand da — muž weliký. — Male dixit Smotrisky, majorem energiam exprimere adjectiva apocopata (germanici grammat. vocant die Adverbialform, et recte, nam locum adverbiorum explent tum, cum sola praedicatum propositionis efficiunt, copula *sum* interjecta adeoque nondum concreta cum substantivis. De his adjectivis ego cap. integro egi in grammat. mea, et, ut judico, rem exhausi. Vim arthri Graecorum exprimunt: sed quaerendum etiam est, quando arthron et quare adhibendum sit. Widě člowěka slepa Joh. 9, 1. non est exponendum: er sah einen blinden Menschen, sed — einen Menschen, der blind war, nimirum hominem vidit, non caecum hominem, sed hominem, de quo alias constabat seu de quo praedicabatur esse caecum. Veteres Germani dixissent: er sah einen Menschen blind; quales constructiones in cantilenis antiquis obviae sunt. Si dicas: vidit caecum hominem ambulare seu ambulantem — hic *ambulare* praedicatur de subjecto seu homine caeco (quamvis subjectum istud una cum praedicato suo agat praedicatum propositionis compositae) nec slavice recte diceretur: widěl člowěka slepa choditi, sed widěl člow. slepého choditi. Latinos nostri serius imitati neglexerunt discrimen istud — paucis locis script. exceptis, uti: zdráwa včinil, ſpaſena.

6. Quae de *titla* communicasti, grato accepi animo, quamvis fere subtiliter magis, quam utiliter grammatici haec excogitarint.

7. Lexicon ab academicis Mosqu. editum nondum vidi, sed recensionem ejus in der Allgem. Literaturzeitung (Jena) legi. Pragam venturus mox primam ejus partem, quae lit. az, buki, wiedi continet, procurabo mihi.

8. Jam monui dobralug male scriptum esse pro Dobrilug vel Dobirlug, uti in diplomatibus sec. 12^{mi}, 13^{tii} et 14^{ti} scribitur. Judicas tu *lug* apocopatum pro luga; sed hoc sustineri nequit: 1mo quia nulla dialectus τῷ *lug* aliud genus tribuit, quam mascul., 2do dato, *luga* esse femininum — dico luga non posse contrahi in lug, quia in *g* (*h*), *ch*, *k* desinere feminina non possunt. Objicis zlob pro zloba, ſpas pro ſpaſa — atqui in *b* et *s* desinere possunt feminina, e. gr. laub, hlaub, quae slav. scripta requirunt ъ post *b*. Ita et *wes*, os (wos), hus etc., ubi iterum ь locum habere potest, quamvis nostri grammatici crediderint *s* natura durum, quod falsum est. Nosti enim pro *se* scribi *sie* in codd. manuscriptis. Cum igitur post *h*, *ch*, *k* jeri ь locum habere non possit, non possunt feminina desinere in istas consonantes, adeoque nec contrahi fem. in *a* post literas *h*, *ch*, *k*. Quisquis igitur Ditmarum descripserat, Germanus fuerit et dobrluh seu dobirluh mutavit in dobraluh.

9. Quid sibi velit epistola literis ignotis scripta ab Innocente, quam Montfauconius prodidit, plane nescio. Quis enim sit ille Innocens? Forte Innocentius, si pontificum unus hujus nominis, qui sigillum aureum explicabimus?

Dominum Zlobiczky continuo monebis, ut Procopii vitam reddat; tu vero uti ea poteris, quamdiu libuerit; fac duntaxat, ut in manus securiores perveniat.

Utinam hunnicae antiquae seu avaricae linguae vestigia aut monumenta exstarent. Avaribus enim permixti Slavi ad Danubium habitantes permixti erant aliquot seculis. Purior certe septemtrionalis nostra et polonica perstitit. In slavonicam et croaticam etiam gothica vocabula assumta, non dubito. Unum exemplum proferam: *diub* goth. profundum, germ. *tief*, inde croaticum *dubina*, quod vocabulum nobis septemtrionalibus plane hac significatione ignotum est. Ungari Slavos *Tot* vocant. Diocleas Slavos etiam Gothos appellat, utique quod in eas regiones commigrarint, quas antea Gothi occuparant. Quo sensu Slavi ibidem degentes etiam Illyres sunt, nimirum geographice, non genetice.

7^{mam} partem Bibliothecae Orient. cl. Michaelis meo nomine repetere poteris a bibliopola Vindobon. *Hörlingio*, mihi dein cum aliis mittendam. Nunc mihi tempore aliquo, ob negotia conficienda, Olomucii commorandum est. Diebus certe adhuc proximis quatuordecim; quo tempore, si respondere volueris, literas Olomucium dabis; postea Pragam ad domum Com. de Nostitz. Cl. Denisium, Alterum salutabis humanissime meque amabis, uti hactenus solebas.

P. S. Ignatius Georgius, abbas Melitensis, in praef. latina Psalt. illyrici Marino Slatarichio, nobili Ragusino, consanguineo suo, inscripta et Patavii an. 1729, VI. Cal. April. subscripta haec de studiis suis commemorat: »Quid quod tu (Marinus Slatarichius) me absentem sedulo juvas, meis momentis circumageris, meis rebus invigilas, et a curarum molestiis vindicatum in amplissimam asseris literariam libertatem? Si otium meum, et in lucubrationibus aliis edendis, aliis conscribendis imperturbata tranquillitas tibi debetur; quidni in te redeat et mei otii fructus. At enim vero quantum mihi boni, felicitatisque afferas, Marine humanissime, quod me tuo amore, solertia, diligentia fretum, securo liberoque a rebus domesticis animo vacare studiis nobilioribus sinas; nedum conjici potest ex mea indole hujusmodi semper vacationis percupida; verum ex loco etiam, in quo sum, eruditis meditationibus opportunissimo et vel ad tantaleam (ita dixero) τῶν φιλομαθῶν studiosorum sitim explendam accomodato (Patavii). Caeterum mihi tot ubique illustria priscorum decorum documenta pervestiganti, egregium potissimumque semper fuit sedulo inquirere; num quid praeclarissimae patriae nostrae gloriosum vel certe probabile inter tot externas memorias deprehendi contingeret: quandoquidem ita animatus sum, ut me studiorum meorum et literariae operae pretium inique immeritoque relatum putem, nisi in patriam praecipue ejusque res et decus ac nominis incrementum mea perpetuo in remotis quoque terrarum oris collimet industria.«

LXI.

1790 — 1. října. Durich děkuje za list předcházející, schvaluje úmysl Dobrovského sepsati návod k češtině, zmiňuje se o Tomsovi a mimo jiné o slov. překladě Baronových dějin církevních, o svých studiích v knihovně dvorní, podává obsah Hartknochova díla o Prusku a zakončuje některými přáními.

Viennae 1. Octobris 1790.

Josepho Dobrowskyo s. pl. d. Fort. Durich.

In sinu meo mea gaudia gaudeo legens, brevi futurum, ut otio literario restituaris; sed heic ego te ingratissimis laboribus ereptum, animo fideli atque tuam valetudinem pensi habente interpello: ut huic otio modum ponas, ne plus sis negotiosior, quam vires ferre possint. Aut enim ego ipse vires humanas necdum satis exploratas novi; vel tu illas nimium intendis: miror enim, in quem modum etiam ingratissimis laboribus distentus, tot mihi gratissimis rei literariae notitiis refertam epistolam perscribere valeas. Pro singulis primum gratias habere, tum vero ad eas, quae mihi iterum illustrandae videntur, simpliciter respondere, officiorum partes esse novimus. Igitur

1. Quod tu cogitas, qua ratione possis facillimam et brevissimam methodum discendi linguam nostram edere atque archiducibus nostris dedicare, id ego a te fieri jam pridem optavi, ea potissimum de causa, quia necessariis ad rem conficiendam notitiis, nimirum graecae et slavonicae veteris linguae cognitione, atque etiam orientalium ll. subsidio non es destitutus, ut nostri recentissimi grammatici; sed etiam probe nosti praecepta grammaticae philosophicae: *linguarum artificium et doctrinam* (Parisiis 1751). Melior occasio emendandae et supplendae rei grammaticae nostrae, exemplo cum primis Graecorum et Romanorum, vix unquam nostrae dabitur aetati: uti ergo velis, quaeso, tam opportuno tempore. Faciliorem discendi methodum, emendationem et antiqui moris restitutionem, atque latiorem usum mihi videntur habitura, si velles *ě* seu ѣ restituere in adverbiis, quando praecedens litera consonans sine commutatione mollescit seu *jotacismo* afficitur: nam ubique hoc velle inducere, etiam post literas commutatas, ut a drahý drazě, tichý tišě, wysoký wysocě, nescio, an consultum foret, quamvis mea quidem opinione optandum esset, ut nostris hominibus notius fiat, etiam *c* = ц; *z* = ʒ; *ſ* = с, ut tu ipse opportune ad institutum observasti: »quamvis nostri grammatici crediderint *ſ* natura durum, quod falsum est,« et quod innumeras a primaeva dialecto, sine, ut hoc dicam, deflexiones induxit, non alio sane defectu, nisi debitae *scientiae elementorum*, quam Quintilianus omnibus grammaticis praecipit, quaeque *exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit* l. I, 5. Nec dubito, exemplis in hanc rem inductus, commutationes illas literarum potestatis apud nostram gentem, atque orthographiae, avitae puritati sermonis crebrius obfuisse. Neque sine auctoritate loquor, quod attinet ad *ě* = ѣ in adverbiis ex adjectivis in *ý* prognatis: argumento enim est cod. MSS. membr. maximi folii, continens Graduale bohemicum in usum ecclesiae s[tae] Crucis, scriptum manu viri non indocti (ut ipse colliges ex subscriptione adjecta) a. 1568, ubi punctum diacriticum non supra literam

mollescentem, sed supra *ě* constanter ponitur, ut: hodně, ſluſſně, podobně, ſſtiastně, prawě. Nullus, si recte memini, nostrorum gramm. adducit causam, cur vel mollescant literae in adverbiis *e* *v* *ě*; [ambigua expressio, qua utitur cl. Tomsa pag. 375] vel cur ante illud *e* sint *c*, *z*, *ſſ* ex *k*, *h*, *ch* prognatae? Quid enim, quaeso, est, oſtře, nisi **ѡстрѣ**, ut et pozdě, nisi **поздѣ**? Sed cum ei haec opinio in describendo numero *elementorum* in mentem venerit, (Einige rechnen nur 25, weil sie *č*, *ř*, *ſſ*, *ž*, nicht als Stammbuchstaben, sondern nur als liquescirende von *c*, *r*, *ſ*, *z*, ansehen) ut *ř* cum originariis **ч**, **ш**, **ж** confunderet, non poterat fieri, nisi ut ambigua quaeque ex male exposita natura elementorum sequerentur. Nihil heic meritis optimi mihique etiam vicinitate popularis agri conjuncti cl. Tomsae quidquam detractum velim, cujus operibus literariis cum gratiarum actione utor optoque vires et vitae diuturnitatem, ut pluribus monumentis illius patria ornetur. Sed hoc vellem, ut tuis consiliis adquiesceret et potius servandis *continua auctoritate* vetustioribus bonis formulis et consuetudinibus, in scribendo, more omnium pene Slavorum operam daret, quam a recentioribus (*si quid vitiose multis insederit pro regula sermonis accipiendum*) vid. Quintil. l. I, 11) in usum transferret. Tua igitur opera spero futurum, ut ex slavonicis literalibus nostrisque antiquioribus monumentis res bohemica philologica ita illustretur, emendetur, atque suppleatur, ut a Kromayero in *Filia matri obstetricante*: בתמילדת לאם *hoc est*: De usu linguae arabicae in addiscenda lingua ebraea et explicanda Scriptura sacra libell. II. Francofurti et Lipsiae a. 1707. in 4° et ab Schultensio tibi alioquin noto origines Hebrr. illustratas habemus. Utinam velles clarissimum virum Hickesium imitari in conscribendo thesauro antiquitatum slavo-bohemicarum, ut in eo habeant Bohemi, quod Septemtrionales in Hickesiano possident omni aere perennius monumentum. Sed de his plura alio tempore. Summopere desidero utramque dissertationem de linquae boh. origine etc. legere, neque dubito cunctis placituram et rei novitate et monumentis.

2. In 7ma parte Bibliothecae Orient. cl. Michaelis a bibliopola Hörlingio tuo nomine repetita summo cum gaudio legi, nec miror cl. viri verba in margine posita, quibus praestantiam munusculi laudat: mea opinione vellem, ab omnibus natura versionum antiquarum ita exponeretur, ut tu illam serie numerorum et dispositione perspicua proposuisti, quam ego in usum meum transferam. Sed jam erubesco legens ea, quae ad me pertinent conscius mihi, et semper mecum repetens illa Plinii verba, quibus ille se nescire profitetur, quomodo hominem in studiis magis timor quam fiducia deceat. Etsi annis jam *quatuordecim* ea, qua potui opera in haec rei literariae Slavorum incubuerim, tamen perspicio, saepius novis rei hujus literariae cognitionibus priores notitias emendari debere, quod et lubens facio, sive meapte opera hoc cognoscam, sive aliorum benevolentia: conor enim meam ignorantiam nunquam ignorare. Hoc tamen arbitror ad veritatis studia simplicius excolenda pertinere, ut pondere rationum victi nobisque conscii de amore solius veritatis et libertate a prius concepto judicio, nec facile a discussa opinione discedamus, neque novam subito concipiamus. Utroque errore didici, laudata Plinii verba praesidio esse ad securius procedendum in studiis; tu vero nunc omnino rescies, properatam opinionem, quam de

tomis aliquot hist. eccles. card. Baronii dialecto slavonica redditis et Kohlio visis concepisti, longe aliam, immo oppositam esse. Inter codd. slavonicos typis excusos, qui Leopoli a. 1787 allati Palatinae Bibliothecae accesserunt, quosque ego praeterita aestate initio a praestantioribus ducto historice, atque etiam critice ex parte tractavi, N° 41[i] habetur illa Baronii slavonica versio hac inscriptione: Дѣѧ́нїа цр҃ковнаѧ и̓ гражданскаѧ | ѿ Рж҃тва Гд҃а нашег Ї҆и҃са Хр҃та | и҆з лѣтописа́нїй Кесара Баро́нїа | Со́бранна | Преведе́наѧ и҆ съ по́льскагѡ ѧ҆зы́ка на славе́нскїй, | кромѣ ѧ́кны ц҃рковїю правосла́вною восто́чною проти́вностей Ри́мскихъ оу҆ Баро́нїа и҆ Ска́рги ѡ҆брѣта́ющихсѧ | Повелѣ́нїемже е҆гѡ̀ Цр҃скагѡ пресвѣтлагѡ вели́чества, всерѡсі́йскагѡ Петра̀ первагѡ | Напеча́танна въ Цр҃ствующемъ гра́дѣ Москвѣ, пе́рвое: Лѣта Гд҃на ҂аѱѳї. in folio spissum volumen, quod est continuatio priorum vel prioris tomi: incipit enim post laudatam inscriptionem aere inciso cum parergis expressam numeratio folii ѱ҃ѳї, et signatura quaternionis ѵ҃а; desinit vero illa fol. ҂аѵм҃г; haec quater. р҃ѯи. Historia vero hoc vol. inchoatur: вѣ́къ седмый. — Incipit: Маѯїмїанъ и́з Ѳра́кїи еп҃пъ. Folio ҂аѵм҃а pag. 2 interpres vel editor ita opus finit (indulge, ut celeritatis gratia literis nostris utar): Zdě skoncžà wěk séj wtoronadesja(t)yj, bez dwuch lět opisátel sich dějánij, slawnyj kardinal Barónij, rimskija c͠zrkwe userdnyj zaщítnik a wostocžnyja prawoslávnyja hlawnyj rátnik etc. Doleo vehementer priorem tomum vel tomos non fuisse allatos; hoc enim volumen, quum absolute a sec. VII. incipiat, de interprete nihil discere potui: gaudeo tamen de servata inscriptione libri, ex qua Kohlius pag. 3. in not. *a)* illustrari potest, et autopsia illius, quoad duos tomus confirmari, quem forte (si versionem solam totius Chrysostomi spectare velimus et nomine editionis Kohlius idem, quod veteres, intelligi velit, quamvis ex connexione verborum de typo editis operibus lectori sensus ingeratur) male reprehendi, ab ipsis scriptoribus russicis inductus domestica, forsitan, ignorantibus, quod et nobis haud raro contingit. Vis nosse, qua ratione errorem meum subodorem?

In colligendis notitiis MSS. codd. slavonicorum occupato tomo II° Bibliothecae biblioth. MSS. novae cl. Montfauconii pag. 1045 num. 5 inter *codices slavicos* bibliothecae Coislinianae San-Germanensis, legenti: »S. Joannis Chrysostomi operum codices decem,« meus potius, quam Kohlii error mihi obversabatur, quia num. 29. adcurate »Athanasii rhetoris varia et adversaria, ter et in tribus codicibus« adferuntur; ergo Chrysostomi operum codices decem ad unum exemplar pertinent: quis non conjiciat omnia opera illis contineri, quamquam certi quid asseverare non valeam.

Quia Nestoris mentionem eodem No 2° fecisti de Jaroslao duce ad annum 1037 scribentis, sub quo versum fuisse Vetus Testamentum putas asserens: »nam quod a Cyrillo id factum sit, nihil proditum est,« videris mihi auctoritatem Nestoris non admittere, atque etiam Anon. illius, cujus est in biblioth. Nosticziana: Сказанїе &c., quod opusculum tomo, nisi fallor, primo veteris Bibliothecae russicae dignum censuit cl. Nowikow, et cum Nestoris dialecto vel proximiorum temporum mihi videtur congruere. Utinam

legere posses **Предословіе ко Патерікъ** ili Otecžnik Pecžerskij, cujus I. pars a Nestore scripta est, praemissam! Tres editiones hujus operis in Palat. Bibliotheca servantur: a. 1661 in Laura Kiewo-Peczeriensi in fol., Mosquensis a. 1759, fol. Kiewo-Pecž. a. 1760 f. omnium elegantissima cum figuris aere inciso excusis. In laudata praef. identidem agitur citatis in margine fontibus, de Jaroslai meritis in procurandis versionibus slavicis ex lingua graeca factis; sed tantum abest, ut versio Vet. Test. ei tribuatur, ut potius adcurata temporum distributione quinque diversis conversionis et baptismi Russorum recensitis epochis versio sacrarum Scripturarum Cyrillo attribuatur. Miror sane, unicum exemplar circa a. 1581 Vet. Test. slav. in Russia inveniri potuisse, cujus etiam nunc jacturam passos fuisse Ruthenos fertur; quum tamen supra laudatae Bibl. bibliothecarum t. II. pag. eadem 1045. sub N° 2 referatur: »*Vetus* Testamentum codex unus«. Ex monte Atho, quum plures codices bibliothecae Coislinianae adquisiti fuerint; existimaverim, etiam slavonicos ejusdem originis esse, et vel ideo pluris aestimandos, quia in monasteriis hujus sacri Montis et disciplina et literae melius quam alibi floruerunt; atque etiamnum in recentiori quodam hodaeporico hominis Rutheni, monachi laudati sacri Montis praeeferantur Russias incolentibus coenobitis.

3. Quae opusculo inserenda mones, faciam; et cum Austriae (*Waioariae* Slavis nostri conjungi poterunt, quorum illi jam temporibus Caroli Magni ecclesiae seu *casae Dei*, juxta *flucnta nuncupata Chremisa* ad serviendum dati sunt a Thassilone. —

4. Quo modo abbatis Giorgi et moderamine judicii aut existimationis illius dissertationum synopsim suscipiam, tu ex meis literis animadvertere poteras. Sunt tamen omnia sub examen revocanda, probanda etc. Placent summopere illa, quae de mythologicis attigisti tuopte ingenio ex proverbiis aliisque formulis sagaciter collectis. Sed nostine dissertationes Christophori Hartknochii numero XIX, quibus antiquitates prussicae continentur? Ingenti gaudio me affecisti perscriptis ejusdem abbatis Georgii verbis ad Marinum Slatarichium, dum ei Psalterium illyricum inscriberet.

5. De Titla, Dobralug, affinitate l. slav. cum moeso-gothica, postquam Pragam rediveris, perscribam.

Superest, ut tibi summam illarum dissertationum Hartknochianarum perscribam, si tibi necdum notae essent, et tamen vel nunc jam illarum complexum scire cuperes, quas noveris Petri de Dusburg, ord. Teut. sacerdotis, chronicon Prussiae, Francofurti et Lipsiae sumtibus Martini Hallervordii, Jenae typis Joannis Nifi anno 1679, in 4to edito adhaerere; sunt vero:

Dissert. I. De scriptoribus historiae prussicae. II. De antiquis Prussiae populis. III. De originibus gentium prussicarum. IV. De habitu corporum prussicorum. V. De lingua veterum Prussorum modoque scribendi. VI. De locis divino cultui destinatis apud vet. Prussos. VII. De tribus vet. Prussorum diis majoribus: Percuno, Picollo et Potrimpo. VIII. De diis secundi et tertii ordinis. IX. De sacerdotibus veterum Prussorum. X. De cultu deorum apud vet. Prussos. XI. De festis vet. Prussorum diebus. XII. De nuptiis vet. Pruss. XIII. De funeribus vet. Pruss. XIV. De originibus religionis Christianae in Prussia. XV. De

oeconomia vet. Pruss. XVI. De re nummaria vet. Pruss. XVII. De jure Prussorum. XVIII. De militia vet. Pruss. XIX. De republica vet. Pruss.

Quam vellem scire, in quem modum iste consensus coaluerit, quo omnes pene Slavi ferias tantum quinque denominent more a Graecis, Syris et Latinis diverso; quare inquam feriam 3^{iam} vocent secundam, et quintam nuncupent, quam nos sextam vocamus? Antiquissimus iste consensus esse videtur, in quem jam diu inquiro; sed necdum justas causas invenire potui. Certe nedělja saltem apud Slavos, quos S. Otto convertit, instituti est Christiani, quia in praeceptis post baptismum datis s. ille apostolus neoconversis ab opere manuum servili feriandum praecepit. Si quid habes ad hoc quaestionis genus collectae notitiae, non vero similis jam a Voigtio nostro scriptae, postquam rediveris Pragam, me commone.

Sed jam complicare epistolam debeo! Vale igitur quam optime meque in tuo sinu veterano amore serva, sanus et incolumis Pragam redito; amicos et notos saluta, te vero cl. Denisius et prof. Alter humaniss. salutant. Iterum vale.

LXII.

1790 — 22. listopadu. Dobrovský odpovídá na list předcházející, povzbuzuje Duricha k rychlejšímu vydání chystaného jím spisu, zmiňuje se o vydávání »Slavie«, o staroslavských tiscích krakovských, mimo jiné o překladu písma svatého do staroslovanštiny, a činnosti sv. Cyrilla a Methoda vůbec, o nejstarších sídlech slovanských v Rakousích, o pokřtění Slovanů, o pojmenování dnů v týdnu, o slovanských klassicích a o svých historických pracích.

Olomucii, ubi invitus detineor adhuc, 22. Nov. 1790.

Fort. Durichio s. pl. J. Dob.

Quod tu mones de valetudine tuenda, solliciti de me amici ejusque propensi in me animi indicium est. Hoc ego consilio mihi utpote ab amico me amante porrecto utar eo lubentius, quo gratius amicorum monita suscipere soleo. Nunc autem patere, ut et ego te interpellare ausim de opere tuo tandem aliquando conficiendo. Non quod putem, protrahendum a te ad aetatem eam, qua vires te deserent, sed quod opus sit iis manuductione quadam, qui nunc copiosius et impensius slavica adamare occipiunt. In quam rem habeo testimonia plurima virorum eruditorum. Spero ego, quam primum licuerit, ut *Slaviae* specimen protrudatur in publicum, (urget enim quotidie opus d. Anton quamvis Germanus) prodituros ex angulis multos rei slavicae cultores. Deest autem nobis liber, qui commendari possit et debeat novitiis lectoribus, utpote qui contineat talia, quae jam Kohlius exposuerat et alia his praestantiora, meliora, plura.

1. Quod de typographia Kracoviensi in lit. anterioribus memineras, confirmari potest ex lit. d. Ribay ad me perscriptis nuperrime: »Der Bischof, ita ille, (*Bačinsky* Munkacziensis unitorum Graecorum) versicherte mich auch, dass er ein altes slaw. mit cyrill. Lettern 1491 zu Krakau gedrucktes Buch besitze, wovon er mir eine genaue Beschreibung schicken will. Dieses veranlasste mich ein anderes desgleichen zu entdecken. Es ist ein *Octoich* 1493

gedruckt, ohne den Druckort, welches die Ofner griechisch-slawische Gemeinde besitzt. So war der erste Anfang der slaw. Druckereien nicht eigentlich in Russland, und viel früher als daselbst, welches dem P. Kohl unbekannt war.« Quae conferenda sunt cum iis, quae ex praef. homiliarum S. Chrysostomi 1623 Kioviae adnotasti.

2. Quae tu modeste scribis de laude tibi debita merito, talia sunt, ut aliis exemplo esse possint, ignorantiam suam nondum ignorantibus. Certe quo plura indies disco, eo magis mihi conscius sum, me nihil (parum) scire; pluraque superesse, quae nondum sciam et quae addiscere coner. Sed mittamus ista, quae fere modestius dicta sunt, quam verius.

Vellem ego, 7^{am} p. Bibl. cl. Mich. jam non Pragam, sed Czinkotam ad d. Ribay mitti, si tibi occasio se obtulerit, cum ille aveat legere descript. vers. slav. aliisque communicare possit, qui excitandi sunt ad symbolas conferendas. Quod quo citius feceris, eo magis gratum et ei et mihi futurum est.

3. Dubia mea de rebus subinde evictis nolis interpretari in pejorem partem, quasi ego subvertere velim ea, quae exstruxere alii. Sed methodus haec ad certius inquirendam veritatem mihi semper maxime idonea visa est, quam summus vir Cartesius commendavit. Nec mirum, cum inter tot falso asserta quotidie versemur detegamusque errorum longe majorem partem, quam cum veritate dictorum. Sic ego in omni historia dubius haereo eo consilio, ut rationum momenta semper examinanda mihi sumam etc. Utique nunc refragari non possum, quod attinet Baronii Annales slavice versos. Pronior fui jam ante in eam sententiam, quae Chrysostomi opera pleraque aut praecipua fere omnia contendebat edita seu versa, ob eam etiam causam, quod Graecorum reverentia erga ss. patres et praecipue erga hunc mihi nota fuerat. Vet. Tes. versionem a Cyrillo factam omnino nego, auctoritate Nestoris, qui eam Methodio et *popis* duobus, quorum ope usus sit Meth., tribuit. Scies jam multa olim tributa uni horum ss. fratrum, quae alteri tribuenda erant. Sec. IX. factam admitto, post obitum Cyrilli, aut abitum, ut Nestor habet. Quod ego factum censeo, jubente et inspiciente Methodio, laborantibus autem presbyteris slavicam bene callentibus. Consonat prior et antiquior vitae S. Cyrilli et Methodii scriptor apud Boll., qui »*Evangelium in eorum (Sclavorum) linguam a philosopho praedicto translatum*« nominat, nulla V. Test. facta mentione. Confirmat asserta *Thomas*, archidiac. Spalatensis, verba concilii (ante an. 1060) celebrati referens: *Dicebant enim* (patres valde indocti) *gothicas literas* a quodam *Methodio haeretico fuisse repertas* (hoc quidem male, quamvis ille utpote Pannoniae archiepiscopus eas promovendo *superduxerit* [contemserit, vilescere fecerit] latinas), qui *multa contra catholicae fidei normam in eadem sclavonica lingua mentiendo conscripsit.* Quamvis et hic judicio patrum non subscribam in eo, quod haeretica fuerint scripta a Methodio, tamen illius cura, jussu, opera scripta fuisse *multa* (puta Vet. Test. et alia) non dubito. De facto enim eis constare potuit et debuit, cum de qualitate scriptorum judicium quamquam omnino falsum tulerint. Gothos hic confundi cum Sclavis et pro iisdem habitos fuisse errore crassissimo, ex tota *Thomae* historia clarum est, uti et hodie a Croatis confundi solent. Vide notas *P. Kermpotich* in poemate: *Radost Slavonie* dicto, Viennae

1787. 8. nota *F.* obiter noto, pag. 22 hujus poematis occurrere vocem *koba* (liepe kobbi dragu i millu). Quod vero habet *Diocleas*, tempora personasque saepissime commiscens, his verbis: »Constantinus, vir sanctissimus, ordinavit presbyteros et literam lingua slavonica componens, commutavit *Evangelium Christi atque Psalterium* et omnes divinos libros Vet. et Novi Testamenti de *graeca* litera NB in slavonicam, nec non et missam eis ordinans *more Graecorum*«, NB. NB. si recte perpendantur et distribuantur, singulis personis tribuendo sua, non mihi obsunt. Nam pro Constantino aut una cum Constantino nominandus fuit etiam Methodius; Cyrillus enim presbyteros non ordinavit. Deinde Evangelium nominat expresse et Psalterium, quia horum frequentior usus et quia *singillatim* versa et exposita. Post haec reliquos libros in genere nominat, uti et missae officium, quae ordinata sunt a Methodio, Roma redeunte cum potestate episcopi, — inde tandem (non prius) exortae Salisburgensium querelae, quod cedere ejus ritui debuerint. Acta sunt haec extra Moraviam proprie sic dictam, apud *Hezilonem*, Pannoniae ducem. Serius circa an. 874 (878) in Moravia missam ordinans (celebrans seu instituens) Svatopluco ansam tribuit de fide (fidei ritibus) dubitandi, clericis profecto latinis, quorum copia latus Svatopluci stipabant, instigantibus remque ceu novam exaggerantibus. Ad hanc rem exstat pontif. epistola ad Svatopl. et Method., uti nosti.

Auctorem сказанїе non moror, omnia tribuentem Cyrillo, cum Methodii etiam meminisse oportuerit. *Inchoata* enim a Cyrillo fratre *perfecit* Methodius. Hinc patet, quo sensu *omnia* jam Cyrillo, jam *Methodio* adscribantur ab iis, qui accuratius docere noluerunt seu non potuerunt, quae partes debeantur uni, quae item alteri horum ss. fratrum in opus idem incumbentium.

4. Miraris unicum Vet. Test. exemplar circa an. 1581 inveni potuisse. Ego minus miror, cum de integro exemplari locum intelligam, qualia et nunc rara sunt. Coislianae bibl. codicem totum continere Vet. Test. valde dubito, quod vix uno cod. comprehendi potest. De codd. vet. Mosquae vide Matthaei praefat. in Apocalypsim, quam fortasse jam legeris.

5. Junge *Weytrach*, Bohemiae olim oppidum, seu locum *Swietlo* (Zwetl) per *Kamenec* (nunc Stein) Austriae cum extremis Styriae locis, facile apparebit, qua ratione ex Boh. et Moraviae partibus se Slavi in Carinthiam infuderint circa annum 570, cum Langobardos an. 568 e Pannonia in Italiam commigrantes insecuti sunt usque in loca Italiae vicina. Serius deinde factum, ut sub *Avarorum* jugo gementes, a Bavaris armis petiti coloni slavici a Danubio in interiora regionum secederent ita, ut occupantibus post excisos Avaros Bavaris regiones Danubio proximas, incolis germanicis Austria impleretur, per quam alias Carinthiae Slavi cum Bohemis cohaerebant, uti certo constat ex annalibus vetustis de Samone, Caranthanorum duce, Thuringiam cum Slavis ei conjunctis infestante. Multa ego hic de conversione Moravorum ac Avarorum dicenda haberem, quae viam pandunt Bohemorum sub Carolo M. conversioni explicandae, quae autem cum te ignorare non putem, nunc omittenda censeo. De episcopatu slavico a *Virgilii* tempore erecto, et sub S. Gebehardo, Salisburg. archiep., 1072 Gurcae renovato, lege sis vitam S. Gebehardi apud Canisium tom. III. p. 437 ex edit. Basnagii. De Abo-

tritorum conversione sub an. 780 prima, lege Pagi criticam ad h. annum n. VI. Bohemorum aliquorum conversio an. 806 seu ab hoc anno usque ad 818, quo rex Sclavorum quidam (puto ex Moravis) et quo eodem Moravi a Rinchario, epis. Patav., baptizati sunt, utpote prima, eam, quae an. 845 sub Lud. germ. facta est, praecesserat, uti 3^{tia} sub Borziwojo vel potius Spitigneo usque ad S. Wenceslaum subsecuta est. Cum igitur Slavorum conversiones praecipuae in Carinthia quaerendae sint, unde turmae presbyterorum alio commigrarint, mirum non est, tantam vocum ecclesiasticarum (exceptis iis, quae ad Graecorum vocabula effictae sunt) esse conspirationem. Huc refer appellationes feriarum, non quidem more eccles. numerando, sed tamen facili et captui rudis populi accomodo. Cum enim die dominico a labore cessandum esset, inculcabatur hoc praeceptum populo appellatione non incongrua *nedjela*, inde reliqui dies numerati sunt, puta *prima post dominicam*, — po neděli, contracte ponděli, 1da exprimendo numerum et subintellecto addito *po neděli* wtorý, vtorý, auterý; 3^{tiam} more Germanorum medium hebdomadae appellando, ſtředa (ſtřed, fred) Mitwoche; 4^{tam} et 5^{tam} numerando iterum, et Sabbatum voce peregrina exprimendo. Nec puto, aliam olim dierum compellationem in usu apud gentiles fuisse priorem, hac Christianorum ritu instituta, unde factum reor, ut omnes eam libenter arriperent, cum antiquior ex instituto gentili nulla fuisset. Germani gentilem servant usque adhuc. De mensibus ego aliter censeo; mutationibus lunae Slavi hebdomadas signarunt — diebus certe nondum signatis et appellatis. Quod S. Ottonem fecisse constat s. XII., hoc certe jam presbyteri a Virgilio, Salisb. archiep., missi fecisse ante an. 780 censendi sunt. Unum locum ex vita hic adducam, uti tibi constet, qua ratione clericorum slavice loquentium numerus et haberi et ampliari potuerit ab omni tempore, quo Slavorum conversionibus studebant vicini iis episcopi, ut puta, Aquilegiensem, Salisburg., Laureacens. seu Pataviens., Ratisbonens., Würzburgensem, Bremensem seu Hamburgensem et serius Merseburg., Magdeburg., Halberstad. etc. etc.

Explicans *Otto*, Babenberg. episc, usus interprete, quamvis alias pueros slavice alloqueretur ipse, sacramenta septem et in specie tandem sacramentum ordinis, haec subjunxit *Pyrissae*, civitate seu castro Pommeraniae: »Ad ipsum tamen sacramentum, qui moribus ac scientia magis idonei sunt, invitandi potius, quam trahendi. Unde adhortor vos et invito, quia cogere non debeo, ut de liberis vestris ad clericatum tradatis, liberalibus studiis prius diligenter instructos, ut ipsi per vos, sicut aliae gentes, de *lingua vestra* latinitatis conscios possitis habere clericos et sacerdotes« lib. 2. c. 8.

De oblatis pueris scis scripsisse Mabillonium in analectis, quales fuere Boruthi ducis filius *Cacatius* et *Chetamarus*, filius fratris Boruthi. Adde captivorum pueros saepe abductos. Exemplum oblati pueri habemus et nos in Christanno. Si principes seculares aliarum gentium ob necessitudinem cum *Slavis* linguam eorum didicere, occasionem facile nacti, cur idem factum non putemus a clericis, quorum aliquos salutem sitivisse gentium negari non potest. Vis habere exemplum, lege Pauli, Warnefridi filii, de gestis Langobardorum l. 4 c. 46, ubi cognosces *Radoaldum* ducem »*Sclavis propria illorum lingua*« in eorum sane perniciem locutum fuisse. Langobardorum

cum Slavis nexum operae pretium esset diligentius examinare, quod ego quidem jam facere institui, patebit certe Slavos jam tum Langobardorum tergis insedisse, cum hi an. 525 Moraviam et Austriae loca ultra (h. e. cis) Danubium desererent et in Pannonia consedissent.

Multa sane luce indigere veterem Slavorum historiam, tute perspicis. At quis est, qui tam arduo labori se accingere velit? Otium fortassis mihi suppetet, ut possim et desiderio tuo et votis aliorum satisfacere aliquando. Nunc totus in eo sum, ut chronica vetusta excutiam, in quibus Slavorum aliqua mentio. Licuitque mihi esse tam felici, praeter Jordanem et Procopium detegendi scriptorem ejusdem sec. 6[ti], qui Slavorum in Thraciam irrumpentium aliquot locis mentionem facit. Epocham illam, quae a Slavorum ad Danubium inferiorem sedibus in Moldavia et parte orientali Wallachiae captis usque ad Carolum M. effluxerat, illustrandam mihi sumam, quam primum per otium licuerit. Collectanea jam nunc tot et tanta praesto sunt, quanta vix unquam colligi potuisse putabam. Post Caroli aevum jam omnia sunt clariora ob chronicorum copiam, gesta tanti imp. enarrantium. Sed et domestica mihi negligenda non sunt. Quam ego sentio hominis vitam esse brevem, locum angustum nimis, corpusculum grave, quando transvolare ingentia temporum et locorum spatia cupit animus!

Ad rem tuam pertinere videtur illud, quod nuper ad an. 823 in chron. *Ademari*, monachi S. Eparchii, (quod desinit an. 1029) in Labbei bibl. manusc. tom. II. p. 159. legi de *Ceadrago Abodritorum* (sic enim scribitur contra ac voluerit observasse Thunmannus) duce: »accusatus est ibi (Franconofurdi), coram imp. *Ceadragus*, dux Abodritorum, quia infidelis erat Francis, et quia vocatus ad mallum imperatoris, contempsit venire per semetipsum, sed legatos ei miserat. Tunc imperator direxit ad eum *epistolam*, ut veniret, quod ille per legatos promisit se facere citius.« Moneo hic, epistolam hanc, ut conjicio, latine scriptam fuisse, habuisse ergo Slavorum duces homines, qui latina legere et exponere possent. Idem conjicio (de Svatopluco enim certum est) de nostro Bořiwojo, quem inter an. 874 et 882 baptizatum esse assero, nam an. 881 Method. a pontifice Romam invitatus fuit tertio, quem paruisse vocanti pontifici nullum est dubium; anno certe 890 jam Bořiwojus obiit. Probabilius igitur censeo, Bořiwojo *latinum* clericum adjunctum fuisse, quod rationes negotiorum id exegissent magis et quod etiam hi (Latini) parere jussi sint archiepisc. jubente sic pontifice. Si hist. politicam Boh. et. Mor. consulueris, (non equidem ut nunc illam habemus, sed uti ex chron. et ann. erui debet,) videbis, esse rationes omnino graves, chronologiae aliter ordinandae. D. Pubitschka secutus Balbinum rem subodoratus est, quamvis rationes illius omnino leves sint, cum ego Christanni opus supposititium partum esse censeam. Si igitur tu nostra conjungere volueris cum hist. eccles. aliorum Slavorum, cave, ne sequaris duces tales, qui rem nondum acu tetigerunt. De anno *uno* aliquo concertare velle res est ridicula et magni ausus. Spatium aliquod temporis assignare omnino necessarium.

LXIII.

1791 — 25. ledna. Dobrovský oznamuje svůj návrat do Prahy, zmiňuje se o Molitvoslovci z r. 1714, a o katechismu tištěném v Tubinkách r. 1564, podává zprávu o Strahovském *Listě s nebe seslaném*, a zakončuje mimo jiné zmínkou o Zlobickém.

Die 25. Januar. 1791.

Fortunato Durichio suo sal. pl. d. Josephus Dobrowsky.

Pragam feliciter veni die Jan. prima hujus anni; neque dubito amicitiae foedus, quo jungimur, locorum distantia labefactari posse. Cum frustra exspectaturus essem literas tuas, nisi te certiorem redderem de loco commorationis meae, ideo paucis te interpellare mihi e re visum est.

Quid de me futurum sit, nondum scio, neque etiam multum angor, cum et mensa et tectum mihi sint praesto. Reliqua ipse curabo. Amicorum salutatione nondum peracta, adhuc cursitationibus multis impedior, quo minus me operi alicui accingere possim. Sed haec pro oblata occasione se dabunt satis bene.

Per transennam nunc tibi exponam ea, quibus tu unice caperis. Apud r. d. Jos. Bartsch, presbyt. eccles., qui a multis annis librorum supellectilem colligit variam, incidi in libellum slavicum formae 16[tae] aut 24[tae]. Est libellus precatorius »**мл҃вословецъ повседне́вный**«, cum calendario, in monasterio S. Trinitatis Czernjegowii an. 1714 impressus. Moneo ista solummodo ob locum typographia instructum. Rarior est libellus in 8[va] forma minori croaticus Tubingae 1564 impressus titulo: »Katehismus. iedna malahna kniga, v koi yeſzu velepotribni i koriſztni Nauczi i Artikuli prave krſztianſzke Vere, ſz kratkim tlmatsenyem za mlade i priproſzte lyudi. I ta prava Vera od ſztana boſyega, ili bitya u ſzuetoi Troiczi, od ſzvetoga Atanaſia ſzloſena. Tere yedna lipa Predica, od kripoſzti i ploda prave krſztianſzke Vere, ſzada naipruo iz mnozih yazik v' hruaczki iztumatsena. V TVBINGI. M. D. L. XIIII. cum figuris ligno incisis pluribus, G plagg. seu usque ad J literam. Estque prorsus, quoad contenta, idem libellus, quem lit. boh. tom. I. p. 135 descripsi. G III. (pag. versa) Truberi sermo hanc latinam praesefert inscriptionem: Primi Truberi sermo croatice redditus. De vocabulo fidei et de motibus seu affectibus, quos vera fides excitat in homine super haec Christi verba: O mulier, magna est fides tua, Matthei 15. Prodika ſzvrhu ovih Iſzukrſztovih beſzid etc. (NB. Prodika pro Predika). Omnes paginae libelli sunt columellis ornatae et cinctae, säulenförmige schwarze Einfassung. Sed quod notatu maxime dignum, sunt verba pag. 2[dae] ante praefationem: »Regula: Bogolyubni Tstacze ovo Hrvaczko tstenie z latinſzkimi ſzlovmi piſzano, tstati budeſſ po obitsayu Glagolſzkich ſzlov, kako vidiſſ va ovom zdola piſzanom Ekſzemplu, takoſze hocheſſ brzo ſz tvoim razumom naputiti i pravo po ovoi Ortografij tstati:

v	s	z	y	ſz	u	h	ch	ſſ	yu
Ⰲ	Ⱄ	Ⰸ	Ⰼ	Ⰷ	Ⱆ	Ⱈ	Ⱍ	Ⱎ	Ⱓ

»In praefatione interpretes, qui se subscripsere:« **Anton Dalmatin, Sztipan** Iſztrian monent lectores:

»Pritom yoſſche znaite, da vſza Biblia, toye ſztari i novi Teſſtament, NB. ako bude Bog hotil, hoche biti Hrvaczkim Yazikom tlmatsena: i z glagolſzkimi i Latinſzkimi ſzlovmi ſſtampana.«

Quod quidem quoad V. Testam. praestitum non est. Precantur deinde, ut errata lectores eis benevole indicent etc.

Folium membranaceum, quo librum impressum coopertum in bibliotheca Strahoviensi detexerit r. P. Dlabacz, judico esse sec. XIII aut minimum inchoantis XIV. Continet Epistolam e coelo missam (non manu hominis scriptam, uti Petrus, episcopus civitatis Galatan, juramento affirmat) de servando die dominico et decimis sine fraude persolvendis — jubenturque presbyteri legere hanc epistolam coram populo — quod illi lubentes utique fecere, secus non vertissent in sermonem bohemicum — nec multum doleo, eam non esse integram. Orthographiae et linguae specimen nunc cape:

U seu yu pro nostro *i*: wyerzyuczy — kupokanyu (Moravorum more pokania gen., pokaniu dat. et praep.), burzyu (bauři) — dawagyu (semel etiam dawagy in 3^{tia} pers. plurali) — nanebyu (nebi) — newyerzyuczy lyudye — prſzykazyu — lyudmy — nepokazyu (nepokáží 3. pers. plur.) — bozyu (boží) — trogyczyu — marzyu (Mariam, uti vulgus nostrum) — matku bozyu — lyudſku — instrum. wnedyelyu decies sic, tyſſyucz lyuda — wehnutyu oka (w hnutí) — *agyu* pro *ám* in 1ma pers. praes. seu fut. — czakagyu — prawyu (prawím) — rozplozyu (rozplodím), prſzyſahagyu (alias: puſtym, otworzym aperiam). *o* et *uo* pro *ů*: boh, prorokow, apoſtolow, buoh, buoh iterum, buoh tertio, boh 2do, chlebuow, trona, gen. (*uo* esse antiquissimum pro *o* longo, observavi in Prophetis sec. XIV^{ti} bibl. Clement. ac alibi).

z valet *z* et *ž*; *ſz* valet nostrum *ſſ*; *ſ* et *ſſ* nostrum *s*, *ſ*; *cz* nostrum *c* et *č*.

Post *r* scribitur *z*, si ante *r* sit vocalis, si *p* scribitur *ſz*: prſzykazyu (pro *ř*), prſzyed bis, prſzygal — prſzygity, (nota *gi* nam alias semper *gy*) prſzyſahagyu, et *ſ* prſyeſtala geſt — (prſzygal 2do, gſta prſzyſzla dual.) trſetyeho. Post *k*, si pronunciandum sit *ř*, scribitur *rz*, uti alias: krzeſt. — *Prsi* scriptum reperi in nominibus propriis: *Prſibizlaus* et *Prſibico* in literis venditionis latine exaratis et datis MCCCIII (1303) ex archivo Frauenthalensi. Quo monito non volo illud, quod Dobnerus voluit, *ř* non fuisse sec. XIII. in usu, quamvis raro scriptum sit, sed solum hoc primo post *r* scribi coepisse *ſ*, saltem post *pr*, quam *rz*.

In syllabis vocali carentibus, ubi *r* vicem vocalis sustinet, inter consonam praecedentem et *r* solet *y* inseri: dopyrwe hodyny — ſkyrzye quinquies sic, nakyrmyl, praeteritum omisso geſt, z myrtwych, myſtyr pro miſtr, naypyrwe, tyrzen (tr- žen).

Alia notatu digna sunt fere: yaz sequente *ſem* (sine *g*), wy accusat., gmyety czeſty, habere partem, wyeky wyekoma, na wy (pro na was), leſtnye bis pro lstně, mu sine *g*, dativus.

zwas, genitiv vel accusat., držewerzeczene, circellus medius super *z* — alias non conspicuus — waſzy dnye, nominat., yaz ſem, 2da vice nykte pro nykto errore scribae — epiſtoli nota *i*, pro quo alias semper *y* — *yaz* petr, 3^{tio}, ya cum *z* (*ž*); yaz petr, iterum, gedennacz pro gedenact, *ſu* sine *g*, uczynyl sine geſt, sic saepius, ſwyetye marzy dat. erronee pro swyetey — lazarz la-

zarus, wſkrzyſſzen, ſtata punctum nota pro *stiata*, byeze, errore pro byeſze — ktoy pro ktery vel kdo, uti alias in manuscriptis antiquis *y* in fine additum reperio — mu sine *g*, wſſdwyzen, elevatus — addito *geſt* ante et *byl* post, tyrzen punctum ad *r* appositum quasi divisionem denotans.

Parce jam tam minuta prosequenti, quae quidem vix parva censebis tu, qui orthographiae omnis aevi specimina conquiris.

Vindobonensibus omnibus, praecipue viro integerrimo Denisio, diligentissimo Altero et curiosissimo Zlobickyo me commendabis. Dabitur forte occasio, ut et mihi tam felici esse contingat, nimirum ut ad Bibliothecam Palatinam accessus et ingressus pateat.

Gebhardi historiam Venedorum pervolvi — verum non est ad gustum, multa indiscussa, plura omissa, plurima sine ordine exposita sunt. Schlözeri *Lithuania* priori tomo, 50mo, proposita, magis placet.

Societatis nostrae Dissertationes jam praelum desuere. Praelato Steinbachio commissum fuit, ut regi offerret 1^mum^ novarum dissertationum tomum — illo nunc graviter decumbente non scimus, quid factum fuerit. Poteris commodo tempore interrogare Zlobiczkyum, amiculum ejus. Res illius, ob debita contracta, quibus solvendis non fuit par, jam judicis sententia conscribuntur, utinam non plurimos mendaciis, fraude et dolo malo (falsis etiam chartis) decepisset homo iste nugax et leviculus. Tota civitate personant judicia pessima de illo et, ut scio, non falsa. Haec tibi. Tu me ama porro et fave mihi.

LXIV.

1791 — 15. března. Durich odpovídá na list předcházející, zmiňuje se o svém zamýšleném nákresu, podává zprávu o některých svých filologických pozorováních, o svých nových nálezech z oboru české literatury ve dvorní knihovně Vídeňské.

Viennae 15. Martii 1791.

Josepho Dobrowskyo suo s. pl. d. Fortunatus Durich.

Pragam salvum te advenisse vehementer gaudeo! Animus fidelis amici firmamento fidei nititur; nihil ergo foedus amicitiae rumpere potest: nam, si qua rumpitur, vera non fuit, virtus semper sibi constare debet. Quia nondum salutatione peracta amicorum, cursitationibus multis impeditum te esse scripseras, distuli longiori epistola amicitiae officia turbare. Nunc jam exacto mense puto te tibi restitutum, ut commode operi alicui te accingere valeas: ergo etiam meas literas possis legere opportune.

Gratias ago pro notitiis slavico-literariis mecum communicatis: Catechismus ille croaticus Tubingae 1564. editus a Dalmatino una cum Truberi sermone exstat in Bibl. Caes., sed ista loci et *anni* inscriptione [NB. alius croaticus lat. lit.]: **Штампана Ѹтубинги. годище** — ҂а. ф. ѯ. д. 8^0^ min. Omnium gratissima mihi fuit notitia membranae ab amico plurimum r.^do^ Dlabacžio (quem data occasione humanissime meo nomine salutatum cupio) delecta, e qua tu veterem nostram orthographiam egregie illustras, cum primis *uo* antiquissimo usu pro *o* longo, collatione aliorum MSS. Quod ad syllabas vocali carentes attinet, ubi *r* vicem vocalis sustinet, interserto *v* inter con-

sonam praecedentem et *r*: dopyrwe hodyny — puto me quid simile in Micalia legisse. Quod ad *yaz* attinet, non utique jam dubitaveris in tuo Procopio &c. MS[to], quod opus adhucdum servat cl. Zlobiczkyus, qui me hujus rei causa quietum esse jussit propter epistolam ad te jam datam, atque etiam propter dissertationes Societatis infelici Steinbachio commissas. Legi tuam dissertationem lexico Tomsae nostri optime meriti de literis boh. praefixam. Placuit; fors mallent quidam bohemice scriptam quoque sibi fuisse; otium quoque, ut plura, quae promittis, in lucem emittere valeas; non dubito mecum plures esse, qui cupiant. Desiderium, quo teneor, legendi tuam linguae patriae historiam auget ratio studiorum meorum, quorum *sciagraphiam* tibi proxime mittam: etsi quotidie metus crescat majusque fiat semper, quod ausurus sum; tamen consilio illius, cujus heic verbis utor, (Quint.) jam quoque tuo incitamento non differam, et fructus quoscunque etiam virides, dum venia et spes est, promere conabor; si quid defuerit operi, supplebit aetas. Duo praecipua ad historiam linguae veteris et porro toti Slavorum genti communis et literalis momenta inveni, horum primum est certa et fixa antiquitas verbi substantivi **є̓смь**, quod ad **є** attinet: Optime consentis cum viris philosophiam cum studio etymologico et historico conjungentibus; et quantopere vetustioris linguae graecae et latinae notitia historiam linguae slavonicae adjuvet, tute nosti. Itaque non diffiteberis **τὸ є̓самь** esse idem cum **є̓смь**, illud dalm., hoc liter. Apoc. I.: **а̓зъ є̓смь а̓лфа и̓ ѡ**; heic equidem *u* post *c* exclusum; ibi vero cum **а** commutatum; aequale igitur et forma et significatu cum vet. Latinorum formula: *esum*, de qua Varro VIII. 57: »Sum, quod nunc dicitur, dicebatur *esum.*« Slavonica lenis aspiratio tantum abest, ut obsit, ut potius futura sit illustrationi veterum linguarum. Jam quod ad aetatem certam et fixam attinet, nosti Varronem natum a. V. C. 638; diem obiisse nonagenarium; minima igitur sed certa supputatione **τὸ є̓смь** aetatem Christi nati annis 115 superat. Nec scio ullam vocem slavonicam, quae tam certa antiquitate nitatur; quamquam non diffitear longe antiquiorem esse linguam slavonicam, vel potius srbicam cum Antis communem; sed heic agitur de certis monumentis superstitibus dialecti slavonicae aut srbicae antiquissimae. Utique Slavi sec. IX., immo neque post a. 115 ante Christi natum **є̓** illud *τῷ sum* praefixerint; sed consensus iste cum *esum* glossemate Varroniano superiorem aetatem redolet. Affinitatem hanc etiam aliae quaedam hujus verbi substantivi formulae e. g. **бы́хъ — бѹ́дѹ**: ejusdem radicis cum φύω vel *fuo*; commutatione, ut nosti, ejusdem organi literae **б** cum φ, quod Slavi non amant, haud obscure produnt. Sed de hoc plura commodo tempore.

Alterum momentum est consensus terminationis verbi slavici in **ѹ** cum Tzaconibus (montanis Peloponnesi) dicentibus *κατοικοῦ* pro *κατοικῶ*, et fere semper *ο* et *ω* in *ου* vertentibus, quam rem cum cl. Alter, qui te humanissime salutat, in praef. ad Homerum cl. Villoison edit. 1788. observasset, mecum benevole, ut solet, communicavit. Ipsa nomina locorum, quae laudatus Villoison recenset, Sclavochori, alias Amyclas — Kastanitza et Sitina — quo spectent, mea animadversione non eges. Promisit praefatus Villoison grammaticam et vocabularium linguae Tzaconicae; ajit hos in suis asperrimis et fere inaccessis

montibus multas antiquas voces et formas *doricas* caeteris Graecis recentioribus novas et inauditas retinuisse, quam ob rem puto slavicae linguae complura ex dialecto dorica inhaerere; qualis etiam vetustissima Slavorum vox est oko. His rebus inductus sum, ut *excerptis* diffidens, ipse integra opera legerem Jordani, vulgo Jornand., Procopii Caesar. et Constantini Porph. (utinam etiam reliquos instituto meo idoneos totos legere tempus sufficeret!) causa vel maxime vocabulorum slavonicorum et historiam slavicae linguae illustrantium: nec me poenitet exacti temporis vel impensi unico vocabulo recte intelligendo, v. g. Const. Por. p. II. de A. J. cap. IX. *τῷ-πραχ* in vocibus: *Ὀστροβουνίπραχ* (II) et *Βουλνηπραχ* (V) aequivalenti, vel potius eidem cum sl. **прагъ**, unde Russis cataractas, **пороги водяныя** esse scimus. Sed, cum imperatori de voce, non scripta genuine, sed fors audita tantum, constaret; notum vero sit, quam vel nostri homines in scribenda litera g = г finem dictionis occupante exerrent v. g. scribendo Bůch pro Bůh; in laudata voce *χ* pro *γ* imperatorem posuisse manifestum est: quia ipse priorem vocem (II) exponens dicit significare *τὸ νησίον τοῦ φραγμοῦ*, in qua si vel ipse paulum attentior fuisset observassetque aspiratae *φ* in tenuem п mutationem slavonicam, procul dubio scripsisset *πραγ*, quod est *φραγμός* sublata terminatione, id est *locus praeruptus*. Sed etiam de hoc errore ab imperatore commisso ita gaudeo, ut cl. Michaelis de errante Hieronymo aut 70 int.: illo enim errore haud obscure proditum habemus: quartum elementum Constantini aevo Slavos per *h* enunciasse. Non dubito, istam observationem etymologicam suo fundamento niti. Commutatio certe aspiratae *φ* in tenuem *π* vel ex nominibus propriis Scripturae sacrae etiam apud nos certa est: unde enim Neptali? Illa jam **тѣ прагъ** expositione discussa video cohaesionem utriusque significationis apud Slavos obtinentis, qua et *cataractam* et *limen* intelligimus; utrobique enim *locus praeruptus* est; sed, quod natura prius est, primariam videtur habere significationem. A cataractis *Kr-chlěbi* seu *Žlěbi* in provincia Cžaslaviensi nuncupari vix dubitaverim duplici argumento: ψ. 41. ꙁ҃: **въ гласѣ хлѧбїй твоихъ**; et: der Wasserfall von *Roschislap* [žlab] abb. Fortis p. I. p. 183, item p. 223: Riche tey yose nad *slap- riba* slavom slove. Dices, quorsum ista? quia etymologiam Pragae, quam tu studiis tuis, eidem restitutus ornaturus es, originatione ampliori illustrare possunt, si quod monumentum ad hanc rem historicum accedat: novimus enim, quam fallax sit sola etymologiae consectatio, etsi aptissima videatur. Quid, si vulgo recepta Pragae etymologia tantae sit auctoritatis, ut scimus esse illam omnem historiae nostrae priorem partem fabulis interpolatam? Fuitne aliquando sub illa rupe castri Wissehrad cataracta naturalis seu primario significatu apud Facciolatum intellecta? Sed parce longius digredienti! Saltem eo dicta esse possunt, Pragam non solum *limen*, verum etiam *cataractam* posse significare.

Nostrum vetus vocabulum *dußnik* originationem graecam habere etymologice translatam *ψυχάριον* [**душевка**], vid. Gloss. G. Du Cangii; — an vero medii aevi Graeci illo significatu istam vocem usurpaverint ita, ut idem Constant. Porph. scripsit: *κατὰ τὰ ζάκανα* (**ꙁаконa**), non ausim asseverare; hoc enim aperte slavicum est, observante Bandurio. Quid ergo tu sentis, cui dialecto gr. proximior sit lingua slavica? et quid tibi observatum sit in hanc rem,

collatione archaeologiae graecae cum antiqq. slavicis, qua parte studiorum ego nunc occupor?

Sed nunc superest jam, ut tibi notum faciam, me scripsisse jam pridem d°. Ribay, vellet assignare certum locum, quo ei mittere possem illam cl. Michaelis recensionem, ut eam certius et securius obtinere valeat, quam ego duos slavicos libros, quorum usum benigne mihi favere volebat; quemque ego jam pridem quoque monui, laudatos libros ad bibliopolium Trattnerianum non fuisse perlatos; nec tamen ille d. Ribay quidquam respondet usque in praesens tempus; servo itaque, ne incaute quid agam. Responde, quid me facere oporteat, cum hac in re, tum quod ad tua adversaria slavica attinet var. lect., an illa sola, cum *Procopium* non habeam, tibi remittere debeam.

Si quid ad tua studia symbolarum conferre possum, velim, jure amicitae utaris; praesertim quod attinet ad glossemata bohemica, cum velis noster Du Gangius esse; quod omnino optandum est, ut a te fiat subsidio vet. linguarum cum primis orientalium instructo. Ut sine ullo specimine vetustioris nostrae literaturae praesens epistola ad te non perferatur, quaedam heic adjungam, etsi forte minora sint.

Exemplum epistolae in forma quarta adglutinatae interiori parti tabulae, qua tectus est codex MSS. chartac. theol. Bibl. Caesar. N° DCCCCXXXIII, continens opera Wicleff, manu sec. XV scriptus; lineae lineis et apographum originali orthographiae respondent: Sluzba ma vſtawyczna, myly towarzyſſy, a ſlyſſalt ſe(m), ze ſye, daly buoh, dobrzye maſſ; tot ſrdecznye rad ſlyſſal ſem a za tot wzdy buoha proſſy, by my ſye dobrzye myel a kraſſnu a bohatu ſobye pānu pogyal anebo wdowu nynye w tyto czaſſy, Proto nebt ſu naſſ ty wykleffowe pohrzyechu k kobyle podobny uczynyly. A wyecze proſſymt, moy myly towarzyſſy, myſtrze Hawle, by my take byl pylen o nyekake ſluzbye gedyne, at by bylo blyz, przy tobye, zet bych przy tobye rad blyzko byl a tobye poſluzyl, na czemzt bych ſye hodyl y twe myle. Hawel myſtr ſ welykym noſſem rad tepe zeny. (O)braczyſſ . . . ſſoy A ſ tyem bud mylemu buohu poruczen y geho myle matczye. A buoh day ſye dobrzye myel tak, yakozt bych ya przal. A ta gyſta twa mylelyczka ſ tyem ſynem ſ twym, gakoz gyegym dopomohl, tat ſye dobrzye ma y ſ tyem twym dyetyetem; a geſtyt ten ſyn, daly buoh, pyekny a welmy ryczny pacholyczek, ale tebet geſte dobrzye nezna. Protoz zawytay k nam tyem ſpyeſſ a wohledaſſ nayprwe matku, potom syna:

Martyn z turnowa
twoy ſluzebnyk a twoy myly towarzyſſ.

An Martinus iste sit idem cum illo, qui inter auctores *cantionum* (vid. Boh. doct p. II., pag. 300 refertur »B. Martin Turnowſky«, vehementer dubitaverim; primum ob dictam pericopam contra Wicleffitas, dein ob stili vetustioris et orthographiae, cujus constantiam miror, rationem; ut si nihil argumenti causa tibi placuerit, tamen philologiae nostrae quibusdam monumentis non displiceat. Sed, quod huic servato civis mei monumento deest in praestantia argumenti, alio fragmenti literarii genere ab interitu vindicato in cod. theolog. N°. DCCCCXXXIV. inscripto: Pastorale Wicleffi etc. sub finem

continetur, nimirum pars libri de conflictu vitiorum et virtutum, qui tomo VI. Operr. S. Augustini edit. Paris. 1685. appendicis pag. 219 exstat, et Ambrosio Autperto, abbati, ab editoribus tribuitur, bohemice reddita a cap. I. usque ad dimidium V^i, a quodam sene ita decrepito, ut nec ambulare valuerit; veritati colendae addicto, qui se ista obsequii causa ad presbyterum Bedrzichonem misisse scribit, nulla temporis et loci memoria prodita. Ex illo virtutum et vitiorum conflictu quaedam exempla heic excerpam: »proti bazňý boží | geſſitna chwala — Proti poſluſſenſtwí ſtarſſím pohrzenie — Proti milowaňie družce nenawiſt | Proti ſwobodnemu družce w noczí [sic erat scriptum] potreſktaňí. pokutne zp̄awowaňie a proti pokornemu trpeňi hňiew. Proti tíchoſti plachoſt | Proti dobremu przikladu purnoſt | proti duchowniemu weſſeli swietſka žaloſt | proti dobremu czínienie rozmarženie žaloſt a lenoſt | Proti vſtawicžnoſti nevſtawicžnoſt | Proti nadiegi zuffanýe | Proti netbaní ſwieta lakomſtwo | Proti miloſrdenſtwie twrdoſt | Proti newýnnie leſt a kradež | Proti p̄wdie lež a leſtna omluwa | Proti ſkrownemu gedeňi obžerſtwi | Proti ſkrownemu truchlení neſličžne weſſele | Proti ſ rozumem mlcžeňý | mnoho mluweňie Proti cziſtotie ſrdcze, duchownie ſmilſtwo Proti milowaňí bydla nebeſkeho žadoſt tohoto ſwieta . . . . Radíegi ſie znaſſ w tom, czož neyſſi, než w tom czož gſſi. (Verba Script. s. in hunc modum laudat): die piſſmo: Widiel ſem ſathana iako bleſk z nebe padnuce | točiſſ iako z ſwatoſti v pychu.

Haec interim de novis observationibus rei liter. bohemicae in Palat. Bibl. sub finem superioris anni factis sifficiant; reliquas futuris temporibus per epistolam tecum communicandis servo.

Estne in bibliotheca cap. Pragens. vel in regia: »Tractatus magistri Cunssonis de devolutionibus non rapiendis? In Bibl. Caes. exstat in cod. theol. MSS. N° DCCCCVII. inscripto: Hussi varia opuscula et epistolae aliquot, folio 123—132. In biblioth. Borovanensium canonn. inveniri dicit Balbinus B. d. p. II p. 176. Tractatus iste in MS. Caes. in 6 capitula divisus est, videturque mihi non parvi momenti esse, cum primis justitiae atque humanitatis causa. Quam vellem, *Cunsso* idem esset cum Cunszicone de Turnow, identidem canonico Pragensi, qui liter. Arnesti, I^i archiep. Prag., (a cl. Ungar vol. 6 der Privat-Gesell. in Böhm. pag. 195 — editis) subscripsit. Nec oberit forte agnomen de Trzebowel a Balbino in indice erect. positum, neque in MSS. Caes. cognomen invenitur; heic enim inscriptio talis est: Reverendissimo in Christo patri dno Johanni, s^{te} pragensis eccl. archiepiscopo, apostolice sedis legato. Cunso custos et canonicus pragensis, V. P. indignus vicarius et decretorum doctor minimus obedientiam debitam.«

Salutant te, quos tuo nomine salutavi. Vale, quam optime, et tuo Museo restitutus fruere otio philosophico, meque amare perge. Me commenda nostris optimis Pelczelio, Ungar ceterisque notis. Iterum vale.

LXV.

1791 — 22. března. Dobrovský odpovídá na předcházející list, zmiňuje se o některých svých pozorováních rukopisných a filologických, o slově *Praha* a *psáti*, o Kunešovi z Třebovle, o příbuznosti jazyků, a zakončuje některými přáními a zmínkou o překladech podobenství starých mudrců.

Pragae 22. Martii 1791.

Fortunato Durichio suo s. pl. d. Josephus Dobrowsky.

Desiderio meo satisfecisti longioribus literis, varia eruditione refertis, et quod summum est, animum integerrimi amici erga me optime affecti exprimentibus. Fave nunc, ut paucis respondeam, dum nova adferre non licet.

1. Dlabaczii membrana (qui gavisus est summopere audiendo a me salutem) praeter *yas* etiam semel exhibet *ya* (a ya budu), non igitur alio sensu istud *yaz*, sive hic sive in manuscripto Procopiano accipio, quam nostrum *gáť*, ego, equidem. Solet *ž* euphonicum aut emphaticum in manuscriptis saepius vocibus addi, quibus nos jam non solemus adjungere, e. gr. in *Tristrami* carmine epico an. 1449 descripto, quo nunc occupor, voci že, zez (lege žež pro nostro žeť). De *r* cum *i* scribendo etiam tum, cum vocalis pronuncianda non sit, monuit *Micalia* in praefatione eo casu *r* repetendum, ita ut *smrrit* scribi velit pro smart vel smert. Recentius hoc est Micaliae inventum. Aut jam Cosmas noster seu qui codices descripserunt sec. XII. et XIII., *Sribiam* pro Srbia, *Drisimir* pro Drsimir (Držimir) scripserunt. In Procopiano manuscripto meo *r* geminari solet, sine vocali. Dissertationes Soc. nostrae, quibus inserta est *hist. l. boh.*, mittam tibi, si copiam habere non potueris Vindobonae. Pleniorem aliquando scribam, tuo judicio edoctus, quae emendanda vel latius exponenda forent. Sciagraphiam operis tui avidissime exspecto, magis autem opus ipsum.

2. Momenta ad hist. l. veteris Slavorum inventa a te non possum non probare calculo meo. Semper ego nostrum *gſem* cum lat. *sum* conferre solebam, sed placet locus Varronis, quo voci *eſum* sua asseritur antiquitas. Graecum εἰμὶ non dubito huc pertinere — excluso nempe σ pro ἐσμὶ — uti pluralis ἐσμέν, ἐστί documento est. Par ratio militat pro antiquitate vocis *gdu*, slavice et moravice *idu* (quo etiam *gedu* nostrum pertinet), collato imperativo ἴθι ab εἶμι pro ἴω vel ἔω — cum nostro *gdi* (idi) — est nempe ab infin. *giti* (iti) formatum praesens *i-ju* interjecto *d* aut commutato *j* cum *d*. Solent enim desinentia in *u* purum: *žigu* — primum *j* interjicere — deinde pro *j* commutabilem literam assumere — *žiwu* pro *žigu* — etc.; ita et *idu* pro *i-u*, unde in praeterito sive verbi gdu, sive gedu *d* illud excidit: *ſſel*, *gel*.

Confer quoque εἴαρ (ἔαρ gen. ἔαρος, contracte ἦρος) cum nostro *jaro* et latino *ver* et plura alia, quae hic enumerare longum foret. Alterum momentum quod attinet, gaudeo tandem exemplo aliquo hoc nunc constare, nostrum *u* 1ae pers., aequivalere Latinorum et Graecorum ω, seu potius esse homines graece loquentes, qui *u* ament pro ω; cujus rei suppetunt jam exempla in aliis vocibus: volo-vult, volumus, vultis-nostrum kopa et kupa, Hanacorum pronunciationem languidam τοῦ u 1ae pers., ut vix discernas,

utrum *o* vel *u* pronuncient: beru, litugu audias ut bero, litugo pronunciantes. Herodotus, uti Jones alii, amat ου pro ο, non quidem in prima pers., sed in aliis vocibus, οὖρος pro ὅρος etc. etc. Quamquam alias doricae dialectus proprietates magis exprimat lingua slavica, quantum quidem mihi hactenus observare licuit. Interim leges permutationum adeo variant, ut jam hanc, jam istam dialectum in slavicis obtinere diligentius tibi scrutanti constare debeat.

De voce *Prag*, *Prah*, quae communicasti, gratissima fuere, quamvis mihi ex Schlözeri hist. septemtr. jam nota. Est certe ad Pragam (fuit certe olim, antequam construerentur obstacula [gezy]) cataracta sub arce Pragensi (non Wissehradensi, Wissehradum enim serius exstructum post conditam Pragam, non Pragae nomine, sed specialis urbis seu castri nomine venit, — respici hic tempora ante civ. novam conditam debent) ita quidem, ut nostris molitoribus constet, quot ulnis aqua decidat — infra Pragam comparatione facta cum ejus altitudine supra Pragam — (od gezů novoměstských až k gezu poříčskému nebo pod ním), quod nobis an. 1784 perruptis obstaculis observare licuit. Quamvis et significatus τοῦ Prag, sive liminis sive cataracta — est enim cataracta liminis instar — transferri commode possit ad fluviolum Bruska, Brusnicza apud Cosmam, sub arce Pragensi ruentem in Vltavae fluvium.

Alia ex Porphyrogenito observata non carent pondere suo. At ego jam malim ex bibliis slavicis ceu fonte haurire, quam iis, qui slavica literis pure graecis scribunt ac saepe corrumpunt, nisi forte talia liceat reperire vocabula, quae in bibliis desiderentur. Ex scriptione πραχ non puto tuto colligi posse, Slavos Constantini aevo lit. г pronunciasse ut *h*. Nam in fine syllabae, uti nostrum *h*, ita et aliorum *g* asperius sonat, sive igitur Slavi pronunciarint alias (initio syllabae, ante vocalem praeprimis) *g* ut *g*, sive ut *h* nostrum, vocem πραχ non aliter, solam sequens pronunciationem, scribere potuit Constantinus. Slavi certe aulae Byzantinae proximiores semper г ut *g*, nunquam ut *h* pronunciarint, nam utraque in sedibus jam pristinis Slavorum locum habuit; uti adhuc nostro tempore usu venit. Atqui et Germani variant, in paucis nimirum vocibus: Zug uti Zuch — ziehen uti ziegen, pro gezogen — multi gezohen scribunt — quid inde colligere liceat —? adeo nimirum in literis *h*, *ch*, *g* variant gentes etc. Poloni et *g* et *h* habent; primum quidem frequentius, alterum rarius.

Ad antiquitatem τοῦ gsem stabiliendum (seu potius formae *m*) verba in μι Graecorum valere possunt, nam slavico more speciali Hanaci in Mor, gsu, sum, dicunt, negligentes antiquam formam in *m*.

Quantopere gaudeam, me originem vocis *pisati* detexisse, tute judicare poteris quam optime. Volo autem, conferas significatum primum vocis γράφω — deinde latinum *pingere*. Indagandum jam erit, an non alicubi derivata a *piſati*, uti *piſmo*, *piſanie*, sumantur pro picturis.

Wenceslao 2do regi circa annum 1290 quandoque lectas fuisse missas slavicas in Auloreg. Chron. legeris — quid inde putas concludi posse?

Epistolae argumentum satis ridiculum est, quam communicasti, in qua w praepositum τῷ *o* in voce: a wohledaff observaveris — epistolam hanç cirçą annum 1420 scriptam autumo.

Libri de conflictu virtutum et vitiorum (vulgo Augustino adscripti, sub quo titulo octies in bibl. Clementina inter manuscripta habetur) titulum bohemicum, rogo, ut tibi transcribere placeat; quo eum in Bibl. boh. manuscriptorum inserere possim; wnoczí, lege wuoči (woči) *palam*. Mag. Cunssonis tractatum in Prag. bibl. regia non reperi, — in bibl. Capituli exstare non dubito — cujus mentionem fecit Balbinus etiam p. III Boh. doct. p. 149 refertque eandem inscriptionem, quam tu communicasti. Fuit is Cunsso de *Trzebowell*, uti ex serie vicariorum generalium apud Berghauerem t. I. Protom. poenit. p. 405 et 406 certo colligere poterant editores parum diligentes.

Graecis cum slavicis conferendis cum nunc occuperis, latina certe jam exhauseris, cum quibus ego majorem semper convenientiam detexisse me puto. Utinam linguae thracicae vestigia exstarent plura — hanc ego inter latinam et germanicam quasi medio loco pono, ut per eam nexus slavicae cum latina explicari possit facilius. Armenam utinam aliquis — praecipue formas nominum et declinationum atque conjugationum flexiones examinaret diligentius — et cum slavica conferret! Persicae fere nullus est usus, uti nec orientalium multus. Hunnica et avarica quis hominum novit? Ungarica plurimis vocibus slavicis ditata est, sed toto coelo differt a slavica. Cambro-britanica (vetustissima Europae lingua) non habet majorem affinitatem cum slavicis, quam saxonica vetus et danica. Latinorum duplices verborum formas, e. gr. *video*, widím, et *viso*, *wizu* Hanacorum, unde imp. noster *wiz*, jam fortasse observaveris. Verbis in μι non carent Latini, sed solum in fut. et conjunctivo locum habent: amem, doceam, legam, leges, ut legam, as — audiam, es, audiam, as. Supina Latinorum in *tu* et *tum* habent nexum cum infin. slavico *ti*. Participia praet. pass. *tus*, atus, itus — sunt nostra in *t* (bit), quibus Graeci plane carent — Germani et *en* et *et*, gestorb-en, gelieb-et, amant, uti nos.

D. Ribayi libros praestolari oportet. Adversaria slavica, si placet, transmitte nunc Pragam ad P. Chrysostomum.

Procopium repetes a dn. Zlobiczkyo, quam primum totum descripserit. Symbolas tuas mihi humaniter oblatas, rogo, ut brevissime consignatas mittas — eas nempe, quae glossemata bohemica tangunt, notato auctore aut libro, in quo voces singulae (rariores) notasti. Frequentius obvias non nisi levissime attinges, sola *voce* perscripta, ut conferre prius possim, an non eam jam notaverim ipse. Multum me hac benevolentia tibi obstringes.

Parabolarum aut sententiarum antiquorum sapientum a Joanne de Capua in lat. l. conversarum, uti et germanicae editiones, gallicae et italicae exempla descripta habes in »Götze's Merkwürdigkeiten der Dresdner Bibliothek, in der 3ten Sammlung des 2ten Band. p. 254. numero 339, 340, 341, 342, 343. Suntque auctores, qui de versionibus et editionibus hujus libri agunt, bene multi ibi laudati.

Cupio jam, ut quam optime valeas mihique faveas. Salutem plurimam dices honestissimis et humanissimis viris, quos convenire soles in Bibl. Caes. Dn. Zlobiczkyum monere suaviter poteris, ut tandem descriptionem Procopii mei acceleret mihique scribat, cum nullas adhuc Pragae ab eo receperim literas.*)

*) Na následující stránce, prázdné, připsal si Durich některé výpisky z Ostrožské bible a filologické poznámky.

LXVI.

1791 — 21. dubna. Durich odpovídá na list předcházející, podává podrobnou zprávu o slově *pisati* ve smyslu *malovati*, zmiňuje se mimo jiné o poměru latiny k řečtině, o rukopise staroslovanském v Ambrosianské knihovně v Miláně a o latinském nápisu tamtéž.

Viennae 21. Aprilis 1791.

Josepho Dobrowskyo suo Fortunatus Durich s. p. d.

Amicitiae officium religiosissime custodiendum studia ipsa praecipiunt. Dices: me quaesito apud Plinium uti epistolae initio. Utor, sed non sine causa mox praecedentis ejusdem Plinii ad Romanum epistolae; vellem enim scire, an videris fontes *Vislae*, cujus descriptionem, si equidem proxime vidisti, ut tecum constitueras, jam videor mihi legere talem, qualem heic l. VIII, 8. Clitumni fontis dedit meus Plinius. Utinam adjacens aliquod priscum slavicae rei monimentum invenisses aut simulacrum, suo nomine ***inscriptum!*** Arbitror, non tantum simulacris suorum deorum Slavos nomina inscripsisse, ut *Graeci* facere solebant et Latini, et ex idolis templi Rhetrensis (vide die gottesdienstlichen Alterthümer der Obotriten, aus dem Tempel zu Rhetra am *Tollenzer-See*. Berlin [1771] in 4to) ab Andr. G. Maschio descriptis omnino constat; verum etiam vehementer gaudeo, te tibi originem vocis *pisati* detexisse, quam ego non tantum eandem et vi ac potestate, cum verbo Graecorum γράφω jam anno 1788 lectione *Passionalis* bohemici Prag. 1495 f. cognitam in mea adversaria retuli, atque in hanc rem penitius intelligendam incubui ex illo tempore, conferendo eam cum Graecis, Latinis &c., sed videor quoque mihi invenisse ipsam verbi **пиcати** = psáti, (vetustiori, ut nostra est, enunciatione) etymologiam in ψάω, ψαύω, radicitus contentam. ***Palimpsesti***, a πάλιν et ψάω dicti, notiores tibi sunt, sed tu indagandum mones: ***an non alicubi derivata a pisati***, uti ***pismo***, ***pisanie***, sumantur pro picturis. Prius, quam excerpta, quae lib I° historiae lit. continebuntur, tecum communicem, fors tibi non ingrata erit notitia libri, si hunc necdum nosti, ex quo ego plura, quam ex quibuscunque aliis, quod ad nostram rei antiquariae pictoriae ejusdem cum scriptoria propositionem attinet, grato animo didici; habet autem hanc inscriptionem: Über die Malerei der Alten. Ein Beitrag zur Geschichte der Kunst. Veranlasst von B. Rode. Verfasst von A. Riem. Pr. zu Berlin. Berlin 1787. Bei Friedr. Maurer. 4to maj. nitida edit. cum figg. pagg. 163. Ad rem nostram scripsit auctor laudatus pag. 81. »VI. Erste Art zu zeichnen. Linearische Malerei: 1. Selbst schon in der Etymologie des griechischen Worts, womit man Malerei ausdrückte, in dem Worte *ΓΡΑΦΕΙΝ* liegt der Ursprung der Verfahrungsart bei der Zeichenkunst. Dieses Wort, welches im ältesten Style schon Schreiben bedeutet, erläutert also sehr Vieles: denn ohne die auffallendste Aenlichkeit zwischen der Schreiber- und Zeichenkunst würde die Anwendung dieses Worts auf etwas mit der Schreibekunst Verwandtes höchts unstatthaft sein«. Sed apposite observavit cl. Ludov. Cresollius e S. J. Mystagogi sui, edit. Paris. 1629. f. lib. II. cap. XXIV. de linguarum peritia disp. critic. sect. IV.: »Quis nescit, quin **γραφεῖν** et scribere et pingere significet? Neque tamen ubi ea vox reperitur, **utrumlibet**

commode accipies ad autoris mentem explicandam.« Exemplum dein malae versionis adducit ex S. J. Chrysost. in I. Tim. hom. 1. de silentii picta imagine, ubi interp. vertit: silentium inscriptum est.

Sed apud nostros *veteres* Slavos non invenio distincta verba, quibus pingendi et scribendi artes tam denominate, ut nunc latinus obtinet usus, significentur; sed eodem verbo **писати**, sicut verbo Graecorum *γράφειν*, utraque ars designatur non tantum in slavonica edit. bibl. principe Ostrogiensi, verum etiam in Paterico Pecžeriensi, cujus auctoritatem philologicam nosti. Itaque loca quaedam celebriora primae auctoritatis adducam primum: Jeremiae XXII, 14: **іже рече съзижду себѣ до́мъ простра́ненъ и̓ горницы широ́ки, и̓же ѿтко́рнтъ себѣ ѡ̓кна̀. и̓ сътвори ско́ды кедровы, пи́шетъже черве́цемъ.** *καὶ κεχρισμένα ἐν μίλτῳ*. Vides heic Slavum interpretem vim et potestatem sensus, non vero verbi graeci hebraicam vocem referentis, cum Vulg. syr. et chald. vers. expressisse. Sapientiae XV, 4: **ниже стѣнїю писаны;** *οὐδὲ σκιαγράφων* [**стѣнь** = stín, cum t. epenth.]. Ecclesiastici XXXVIII, 28: **Та́ко вса́къ древодѣла и̓ худо́жникъ и̓же но́щи ꙗ̓ко дн҃и провожда́етъ. дѣ́лающи и̓стука́нїа печа́тїи, и̓ прилежа́нїе е̓го и̓змѣни́ти разлнчїа, срдце свое дасть вподобити живоописа́нїа** — *ζωγραφίαν*. II. Machabb. II, 30: **такоже подписати научившимся** — *ζωγραφεῖν*. Haec interim loca ex edit. Ostrogiensi 1581 slavonica literali excerpta sufficient tuo desiderio. Sed accipe ad idem institutum pertinentia monimenta ex parte II. *Paterici* Kiewo-Pecžer. edit. ҂аѱ҃з. fol. р҃ѳе: **Житїе Прп. Ѻц҃а на́шегѡ А̓лѷ́мпїа** (vides *Alexandrinismum* aut *Copticismum* **M**) **і̓кѡнопи́сца. И̓же безъ мзды́ и̓кѡны къ ѥ҆ре́кламъ писа́ше — і̓кѡнопи́сными валы — написа́шася — и̓ ви́димо а҆́гг҃лъ и̓кѡ́ну написа̀.** Artem pingendi a graecis pictoribus didicit, qui Constantinopoli Kioviam venerant Pecžeriense templum picturis ornandi causa, quibus condiscendae laudatae artis ratione a parentibus suis traditus, postea in eodem monast. Pecžer. in monachum tonsus est a. Chr. ҂аи҃з, mundi ҂ѕфч҃е. Formulae loquendi de illa arte pictoria in vita illius: **къ науче́нїе і̓кѡ́ннагѡ и̓зѡбраже́нїа . . . до́брѣ написа̀ во ѹ̓мѣ свое́мъ . . . ѡ̓́бразы напи́санными.** Superest, ut eundem vocis usum apud nostros veteres Bohemos idoneo testimonio comprobem. Itaque adducam loca duo ex meorum Adverss. a. 1788. duern. ш. 2, prout illa excerpsi ex laudato *Passionali* bohem. Tu contextum ipse conferas *signat.* C. 14: Obraz . . . matky božie, kteryž geſt byl ſwu ruku ſwaty Lukaſs *napſal*. In vita S. Sylvestri Z. 6: Obrazy *napſane*. Sed etiam in vers. boh. Novi Test. ad Galat. III, 1. *I. X.* *προεγράφη* FF. reddiderunt: byl wypſán — non equidem ex animo, vetere significatu, sed felici errore, quem et nos sequuti sumus ignorantes optimam expressionem, quam Syrus interpres ܕܨܝܪ ܗܘܐ significantius reddidit; nec puto aliud Vulg. interp. reddere voluisse verbo: *praescriptus est*, quod etiam Arabs intellexit. Heic Harenbergius ad imagines in Romanorum vexillis pictas alludi putat in Bibl. Brem. t. VIII. p. 387 sq.

Addam illustrando verbo *psati* quaedam ex sermone S. Johann. Damas. de sacris imaginibus, slavonice reddito edit. Venetae 1763 in 4to ad calcem: **Православ. И̓сповѣданїе Вѣ́ры**; fol. р҃зі: **Четве́ртый вра́въ і̓кѡ́ны, писа́нїа, на-**

чертáнія и óбразы и тýпы; fol. **рѳі** pag. 2.: **но и Бга чертáнія и ікóны писáніє и́мать**. Jam quaero ex te: unde sit ille consensus in verbo *psáti* v. **писати** apud omnes praecipuos slavonicae originis populos ad exprimendum artis scribendi significatum? Nec Bohemi a Ruthenis, nec hi ab illis, neque a Dalmatis et sic porro nec isti a Bohemis scribere aut *pingere* didicerunt et tamen singuli in verbo *pisati* consentiunt; vetustissimam vocem arguit consensus antiquissimus, quem ego, antiquiore quadam origine, mihi videor videre in verbo פסל ܦܣܠ et ࠐࠎࠋ atque porro in ψάω; *tangere* enim ac *contrectare* oportet illum, qui *dolat*, *sculpit* cestro aut viriculo, in ligno, ebore &c. Pensi igitur habitis gradibus, quos rude adhuc hominum ingenium fieri patiebatur, quibusque a primis in sculpendo linearum rectarum ductibus ad monogramma, ad monochróma, ad polychróma; item a scriptura kyriologica usque ad illam, quae singulos individuos vocis sonos suis characteribus et formis elegantibus exprimit et quasi depositum reddit legentibus, perventum est ad artis perfectionem: etiam gradus vocabulorum, quibus incipiendo a simplicioribus et communibus ad perfectiores rerum appellationes mens hominum deducta est, observandi veniunt. Scimus, in quem modum unius linguae originariae idem vocabulum *externam* quandam in cognatis dialectis mutationem, etiam in significatu contrahat: heic tamen ubique substantia antiquissimae radicis *πς* = פס atque significatus *tangendi*, *contrectandi*, *dolandi*, *sculpendi*, *scribendi* atque *pingendi* vel in una dialecto ita remanet, ut antiquitas aeque ac vetus quaedam communio promicare videatur. Quid, si slavicus sermo ita perditum vel obliteratum verbi ψάω significatum 2^i generis in verbo *psáti* eadem ratione custodiret, qua radicem perditam lat. *sipo*, integre servat usu verbi *sypu*? Etsi haec, quod ad vetustam radicem **пс** attinet, philologica observatio discussione adhuc egeat, atque comparatione cum antiquissimis graecae linguae monumentis; tamen a veritate mihi videor minus esse remotus, si asseveravero: in lingua Slavorum vetustiore, antiquissima quaedam monimenta mihi observata esse aetatem Latinorum superantia, atque potius ex consensu cum Graecis, quam cum illis vel ideo repetenda, quia ipse latinus sermo a Graecis, cum primis ex dialecto aeolica, repeti debet. Profiteor tamen me necdum isto observationum commeatu provisum esse, ut calculum subducere valeam atque decernere possim alterutrius partis praestantiam ponderis, quae me convincat, magis ex Latinorum quam Graecorum monumentis Slavorum philologiam repetere. Sed ita me in hoc genere studiorum compono, prout ille cl. L. Lanzius in suo praeclaro opere Aug. Caes. Leopoldo II° inscripto: Saggio di Lingua Etrusca. Romae 1789. in 8° 3 vol. Cum primis tom. I. p. I., ubi praecipue cap. 4. et seqq. necessitatem vetustioris linguae graecae, ac porro latinae, nec non variarum circumstantiarum extrinsecarum explicandae veteri linguae Slavorum in eundem modum idoneam, facta linguae etruscae cum nostra comparatione, intelligo, prout vir clariss. commentatus est. Graeca aeque ac latina palaeographica, ut ex illo apud Varronem servato *esum* vel tibimet placenti apposite colligo, rem nostram illustrare valent; recentioris aevi monimenta minus idonea sunt, quibus in errorem etymologicum sine historiae veritate deduci

possumus. Sed de hujus auctoris in conatus meos subsidiis bene, ut arbitror, ab hetrusca l. ad slavonicam translatis aliquid retulisse sufficiat, ut noveris, non tantum illarum, quarum tu velles linguarum comparationem cum slavonica institui, me quidpiam collationis jam tentasse, atque non contemnenda specimina invenisse; verum etiam aliarum, quarum non commeministi, indolem cum slavonica contulisse. Miror sane tibetanum Jata [illegible] et nomenclatura et vi ac potestate (si substantiam spectes) convenire cum ъ et ь. Cum Armenis, quos peculiares declinationis casus habemus, cum illis eadem nomenclatura eosdem habemus; etsi plures illi nimirum decem numero habeant. Recte animadvertisti diligentioris Armenorum linguae cum slavica comparationis utilitatem; sed non tantum sermo illorum, verum etiam versio, cujus heic MSS. habemus, interpretationem slavonicam adjuvat et illustrat: Alter meus nunquam intermittit me commonere occurrentis hujuscemodi subsidii; mihi vero iste consensus, ut plurimum conspirans, mirum in modum placet. Sed rebus copticis slavonica magis illustrantur, ut ipse experimento didici ex cl. Woide; Assemani junioris fragmentis Nanianis; utinam »Fragmentum Evangelii S. Johannis graeco-copto-thebaicum seculi IV.« — immo illustrationem historiae eccles. Coptorum et criticae sacrae ejusdem ecclesiae, opera cl. viri Augustini Antonii Georgii, erem. Aug., a. 1789 ed. Romae 4[to] ad manum haberem! Sed nimium a proposito epistolae, qua tuae nuper ad me datae respondeam, amore literariae Slavorum rei secessi.

Primum itaque velim perdilectum Dlabačžium meo nomine salutatum, et literas slavo-bohemicas amantem, tuis studiorum subsidiis ac methodo, quam diuturno usu comparasti, adjuves, ut cultus l. slavicae maturius promoveatur et transferatur ad plures. Desiderium legendae tuae *Historiae l. boh.* ferre non possum, neque copiam habere possum; egeo tamen et necesse habeo, nisi hiatum relinquere malim tomo I. cap. VII. »De praecipuis characteribus dialecti literalis Slavorum, quibus haec a slavo-bohemica discernitur« et mihi profuturam persuadeo. [illegible].

Sciagraphiam operis mei, quod quatuor voll. in 8° edere, cum quibusdam tabulis aeneis, mecum constitui, Deo favente, ut primum potuero, talem ad te mittam, ut primi voluminis totam substantiam animo complecti, et judicio tuo discutere valeas, quo perfectius *fronte pumicata* opus meum prodeat. Benignitate nobilissimorum virorum, ducatus Mediolanensis nunciorum, opera cl. Denisii interpellatorum nuper obtinui ex biblioth. Ambrosiana a cl. viro Cajetano Bugato, collegii Ambrosiani doctore, desideratas duas rei liter. slavonicae notitias, quas quum in praesentiarum integras tecum communicare non possim, substantiam illarum dabo breviter descriptam.

I. Recensio codicis chartacei in folio parvo literis cyrillicis conscripti seculo XV° exeunte vel ineunte XVI. 4. Evangel. complect. cum specimine ruth. characterum, descripto Matthaei initio et fine, et identidem Joannis. Mentionem hujus codicis fecit Montfauconius Diarii Ital. part. 2. cap. 19 &c.

II. Quod ad inscriptionem slavicam attinet in ecclesia S. Gregorii, ut volebat idem Montfauconius, cl. Bugatus corrigit complures Montf. errores, duos praecipue: quod, primum, ecclesia dicenda non sit S. Gregorii, sed *S. Georgii ad Palatium;* porro: inscriptionem non esse slavicam, sed latinam, characte-

ribus graeco-barbaris exaratam in hunc modum: + *TIΘH ΔA ΠΩPΘAKΩ ϤTHPNΘTB' TCΘA̅* (NB. NB. Glagol. ♇ antea apertum. Superscriptum *H* ego intra lineam omisi et correxi); unde exsurgit latinus versus hexameter, si graecis literis latinas substituas: vitę da portam deus o quęrentibus istam.

Adversaria tua slavica, quo certius perferantur Pragam, per curatorem diligentiae currus, ut primum his glossemata bohemica tuis usibus, prout vis, perscripta jungere potero, ne homini distinctis vicibus molestus sim, ad P. Chrysostomum mittam. Interim scribe, an etiam illa gloss. ex edit. princ. N. T. boh. excerpta describere debeam. Quid intelligis nomine vestigiorum linguae thracicae et quibus auctoritatibus?

Salutant te humanissime, quibus salutem tuo nomine dixi. Tu quoque optime valere jube amicos Pragenses. Reliqua, quae a me fieri vis, proxime perficiam. Sed jam epistolam complicare debeo. Vale et redama veteranum tuum amicum eique fave.

LXVII.

1791 — 23. května. Dobrovský odpovídá na list předcházející, podává odvození jména Visly a jiných řek, zmiňuje se o slově psáti, o poměru latiny a řečtiny, jakož i jiných jazyků k slovanským nářečím, o žaltáři Klementinském, o Přikrylově mluvnici brahmanské, o některých literách hlaholských, podává zprávu o tiscích Skorinových, o české bibli Vratislavské a končí ukázky ze žaltáře Klementinského.

Mieschicii 23. Maji 1791.

Fort. Durichio sal. plur. Josephus Dobrowsky.

Pulcre Plinii verbis epistolam inchoasti; mihi tamen non licuit esse tam felici, ut Vistulae originem viderem. Sed nunc proxime ad Albis nostrae fontes properabo, cum ante annum *Odrae* ortum lustraverim. Vistulae appellationem non explicavi in dissert., uti nunc illustrare possem. *Is* enim, uti *jis* et *vis*, *viz* — multis ac variis in linguis antiquis Europae aquam fluviumve denotat. Fluviorum certe appellationes olim erant appellativa nomina, uti Albis, *Albe*, *Elbe* lingua veterum Germanorum nil aliud sonat, quam fluvium et quidem magnum; Dani hodie fluvium *Elve* vocant. *Isla* pariter lingua prussica antiqua, ut Müllerus, Petropoli prof., docuit, fluvium denotat, quamquam ňondum auctoritatem habeam talem, cui refragari non liceat. *Istri* nomen certe ab *is*, aqua, linguae fortassis thracicae proprium, deducendum est. Sic et *Viserae* seu *Visurgis, Gizerae* nostrae ac aliorum, syllaba *is*, *vis*, *jis* inchoantium fluviorum. Vistulae fontes tres, qui polonicis gaudent nominibus, nam lingua Tessinensem ducatum inhabitantium ad polonicam proxime accedit, optime expressi sunt in charta geographica majori Silesiae a Wielandio adornata. *Moravae, Moldavae*, *Vltavae* appellationes origine germanicas docebo alias. *Aupae* (*Opavae*) nomen appellativum est apud Lithuanos *Upě*, fluvius; non ab upad (aupad), ut ii fabulantur, qui minus talium rerum curiosi sunt.

Egregie tu, quod desiderabam, praestitisti illustratione vocis *psáti*, quam ego cum latino *pingere* non solum significatu, sed et origine soni *pig* (pictum eliso *n*), gutturali *g*, ut solet, mutata in sibillantem literam *s*, malim conferre

quam cum graeco *ψάω*, quamquam omnino non improbem. *Pisati* tamen antiquius esse judico quam pſáti, ob aliarum dialectorum constantem conspirationem (immo ob rusticorum ad Klattoviam *pisati* pro pſáti enunciationem) et ob praesens *piši*, pro quo Moravi quidam dicunt pšu, pšeš, pše, uti iidem pcháti, pchal pro nostro pſchati, pſchal, enunciant, accelerando et contrahendo syllabas. Multa convenire cum Graecis non abnuo, plura tamen cum Latinis omnino mihi persuasissimum est. Lege sis in hanc rem: »Uiber das Alterthum der Slaven, — et Verſuch über die Aehnlichkeit der Slaviſchen Sprache mit der Sprache des alten Latiums,« quae ex *Levesque Histoire de Russie* Berolinenses transtulerant jam an. 1783 et Promptuario suo inseruerunt. Vide Berliniſches Magazin der Wiſſenſchaften und Künſte. Ersten Jahrgangs viertes Stück. Ibidem 1783 in 8. pagg. 56—86. Pluribus ego rem istam, de qua etiam Kohlius dissertationem paraverat, demonstrare possem, sed Gelenii nostri lexicon symphonum quoad harmoniam singularium vocum interim sufficere potest. Grammaticarum formarum ratio idem confirmat. Immo vero hoc jam observatum initio seculi XII. a scriptore vitae Ottonis, episc. Babenberg., qui Pomeranos Christi doctrina imbuit. Locum citare non possum, exstat autem, ni fallor, libro primo ad finem capitis (cujus? nunc non recordor). *Concinas* ille Pomeranorum ethnicorum templa explicat et deducit a lat. *concinnando,* male omnino, additque slavicum sermonem multum congruere cum latino. Thunmannus *Concinas* a pol. *gonta* explicare tentarat minus feliciter. Ego končina pronunciandum censeo, more Polonorum *kon* efferendo pro *ku*, tam *kučina*, quid sit, docere te poterit P. Stully; kuča (kucha) enim Illyriis *domus* est.

Latinus certe sermo, etsi a Graecis multa mutuaverit, uti nos a Germanis, tamen tota structura nominum ac verborum differt a graeco; puta, ut de verbis loquar, in formatione temporum etc. etc., quae Slavis multo magis appropinquat. Quid enim est *amavi*, *amavisti*, *amavit*, quam *amafuit, amafuisti*, *amafuit*, ergo *ama* praeteritum simplex est — nostro *sta* etc. simile; et *amavit* praet. compositum nostro *stál byl* omnino congruens; idem esto judicium de plusquamperfecto Latinorum audiveram, amaveram. Certe illi quo modo audierat pro audiverat, amarat pro amaverat dicere possunt ac solent, sic amafui, amafueram contraxere in amaveram, amavi. Conjunctivum in *em*, amem, *am*, doceam nosti nostrae formae verborum in *ím*, (olim etiam *em*) *am* convenire. Quid si olim et apud Slavos formae hae distinctae (ad designandos modos aut tempora) fuerunt, postea confusae, ut ex. gr. *daju* praesens, *dám* vero fut. notaret. Sed haec peculiari expositione indigent; hoc solum monebo, olim et apud nos Bohemos frequentiores fuisse formas in *u*, *ju*, quam in *ím*, *am*; utrasque tamen in usu. In Psalterio certe antiquissimo in membrana eleganter scripto, nuperrime a me inter libros in cumulum congestos detecto, cujus aetas folii Dlabacziani antiquitatem superat, formas in *u*, *ju* semper obvias observavi.*) Non possum exprimere verbis gaudium meum, quod sensi, cum librum aperirem et ex literarum ductibus antiqui-

---

*) Durich připsal po straně: Vid. epist. 34 (v otisku 64), ubi cl. Dobr. putat esse saeculi XIII. aut inchoato XIV. illud fol. Dlabacz.

tatem conjectarem, tandemque reperirem, eum bohemice scriptum esse. Hic tu jam scire aves, num vestigia vers. slav. saltem in hoc codice inveniantur aliquot. Ego certe loca quaedam inspiciens nihil reperi, unde conjici posse putem, alio fonte profectam versionem, quam latino, aut voces antiquatas aliunde derivandas, quam ex proprio ac nativo thesauro bohemicae linguae. Exscribam proxime psalmum (žalma gen. fem. dictum) unum aliquem locaque singularia omnia, quaecunque indicaveris mihi.

Utinam plures ex nostris amore studii linguae slavicae caperentur, utinam suam non spernerent aut negligerent! Verum tu jam vota mea in comparatione aliarum linguarum cum slavica implevisti, immo superasti. Addam tamen, fortassis quidquam ejusmodi, quod tibi cognitum non sit. *P. Przikril,* Jesuitae, Reginohradecii mortui, Grammaticam ling. brahmanicae Goanae amicorum benevolentia nactus sum.*) Hanc legens observavi in formatione verborum et quibusdam aliis convenire linguam istam, alias omnino dissimillimam, slavicae nostrae. Et quidem primum habet ista lingua casum instrumenti, qui formatur addito *na* sing., *ny* plur. Habet pronomen demonstrativum *to*, *ti*, *te*, ille, illa, illud, — format deinde praeteritum in *lo*, *li*, *le* ex. gr. *soditâ*, quaero, *sodi*, quaerebam, praet. sodi*lo* masc., sodi*li* fem., sodi*le* neutrum. Praet. perf. 2dum repetit illud *lo*: sodi*lalo*, *lali*, *lale*. *ſsi* format 2dam personam in omnibus temporibus. *Aſsì*, sum, ostendit vocalem ante *s* uti **єсм** eſum. Litera *i* addita nominibus significat *etiam*: *Amyi*, nos etiam, *Tucai*, tibi etiam. In reliquis fere omnibus differt haec lingua, unde satis mirum in istis convenire eam cum slavica. Nulli autem alii adeo similis est slavica, quam lithuanicae (letticae et prussicae veteri), quas cum veteri dacica atque adeo thracica multam habuisse affinitatem puto. Dacicam autem seu thracicam similem fuisse latinae ex wallachica hodierna, quae thracicae vestigia plurima servavit, patet clarissime. Ubi enim Thraces aut Thracum veterum reliquiae, nisi Walachorum progenies? Scis Epirotas hodiernos seu Albanos esse veterum Illyriorum propaginem eorumque linguae vestigia servare. Idem judicandum de Walachis. Unde jam clarum est, cur Italos item et Walachos vocemus Wlachos, cur latinum idioma Croatae et Dalmatae *dyaczki* yazik vocent. (Apud Jambressich, cum Croatarum mentio facta sit, quaere voces *pingere*, *pictura*, ad confirmandam sententiam tuam.)

Te undique collatis symbolis juvari, uti a cl. Bugati, gaudeo mihi, tibi vero gratulor. Quam vellem, ut omnes superare possem. Placuit inscriptio ea, quae credebatur esse slavica, sed in litera ɤ (ɤ̑) non possum glagol. **Ⱃ** nunquam certe superne aperti originem videre; ɤ enim majuscula **И** est, quam cyrillicum alphabetum **И** retinuit; glagolitici auctor ad latinum Ɽ sec. XIII. reduxit huicque conformavit, uti plures alias literas, puta **Д** dobro, **Р** vel **Ⱃ** pokoi etc.

Sed jam tempus urget, ut, quae nuper edoctus sum, communicem. Francisci Skorinae, medicinae doctoris, operâ initio sec. XVI. prodiisse Pentateuchum slavicum nosti — de loco (Praga in Polonia) nunc dubito. Vilnae enim eum artem typographicam exercuisse ex formulis libelli slavici, qui

*) Rukopis tento nalézá se nyní v knihovně musejní pod sign. 4 F 17.

minutiores plures complectitur, quibus omnibus eadem fere formula subjicitur, cognovi. Ad finem libri mox describendi lego tria folia, in quibus catalogus impressorum opusculorum texitur:

1. Psalterium, cum decem canticis ex veteri et novo Testam. selectis.
2. **Ѵасословецъ**, qui varia officia complectitur.
3. Acathistus ad sepulcrum Domini et resurrectionem — die dominico.
4. Acathistus sancto archangelo Michaeli et omnibus coelestibus ordd.
5. Acathistus S. Joanni, praecursori et baptistae Domini, die Martis.
6. Acathistus purissimae Dei genitrici Mariae, die Mercurii.
7. Acathistus sanctis apostolis Petro et Paulo et caeteris, die Jovis.
8. Acathistus sancto magno thaumaturgo Nicolao.
9. Acathistus honorificae et vivificae Cruci Christi, die Veneris.
10. Acathistus dulcissimo nomini Domini nostri Jesu, die Sabbati.
11. **Шестоденецъ** per totam hebdomadam.
12. **Светци кратние** — divisionem temporis continentes.
13. Notitia de festis, de eclypsibus lunae, solis, dierum longitudine etc.

Libello autem, e Russia Pragam allato, qui dono cujusdam popae 1730 Mosquae acceptus fuerat, continentur omnia nunc recensita praeter num. 1um et 12. et 13um; quamvis hinc inde mutila. Est autem liber usui et commodo eorum excusus, qui stationes Jerosolymis ad Mosquam obeunt. Cžasoslowecz continet folia bis 28, sic enim numerantur primum 28, deinde sumto initio iterum 28, summa 56. Fol. **кн** legitur formula rubro colore: Dokonan jest cžasoflowecz, imeja dennuju i noщnuju službu. Praczeju i pilnostiju doktora **Ф**ranцiska Skoriny (**скорины**) s poloczka u welikoslawnom mjestje wilenskom, anno non expresso. Post canonem de sepulcro Domini fol. **ӥ** legitur: skonan jest . . . doktorom franciskom skorinú s polocka. Sequuntur acathisti per totam hebdomadam et quidem: pochwala grobu gospodnju 12 foll. non numeratorum, ad finem: *dokonan . . . praceju i pilnostiju doktora franc.* Skoriny iz slawnago grada polocka. Canon archangelom 8 foll. iterum: dokonan jest . . . pilnostiju doktora franc. Skoriny s polocka. Acathistus de archangelo Mich. in marg. super. *radosti archangelom* fol. 12. non signatorum; ad finem: »*dokonan* jest . . . praceju i pilnostiju doktora w lekarskich naukach, Franciska Skoriny, iz slawnago grada *polocka.*« Canon de Joanne praecursore est mancus, deest enim 1um, 3tium et 8vum folium, quorum reliqua literis et rubro signata sunt. Sequitur acathistus seu radosti de eodem 12 foll., in quorum ultimo: dokonan jest akathist . . . praceju i pilnostiju w lekarskich nawukach (**навукахъ**) doktora Franc. Skoriny iz slawnago grada Polocka. Sequitur *canon* de b. Virg. 8 foliorum, quorum inscriptio, uti aliorum canonum columnaris minio excusa est; ad finem: dokonan jest kanon . . . wyloženy iz grečeskogo na *rusky iazyk* doktorom Franciskom s polocka. Acathistus seu radosti sine rubro colore et notatione paginarum seu foliorum, uti alias, excusus est fol. 12, in cujus fine, uti et sequentium canonum et acathistorum, similis formula legitur. Post canonem 8 foll. de apostolis nihil speciale; post acathistum foll. 16. hoc speciale: učenago muža doktora Franc. *Skorinina syna* iz slawn. grada Polocka. Canon de S. Nicolao 8 fol., acathistus seu radosti 12 fol. Canon de Cruce J. Ch. 8 foll., quorum aliqua desunt. Acathistus seu

pochwala de eadem una cum Passione secundum Joannem 16 foll. Canon de nomine Jesu foll. 8. Acathistus seu pochwala 16 foll. Hebdomadarium seu fsestodnewecz foll. 36., cui adnexa sunt canon pokalny — 4 foll. et canon Sabbati 4 foll. Reliqua tria folia indicem exhibent, de quo supra. In hebdomadario continentur Evangeliorum et Epistolarum partes plures, idiomate magis dalmaticis codd. proprio quam russicis. Hinc ego conjicio, Skorinam et libros et characteres Venetiis repetiisse, cum formae multum a russicis differant, qua re forte factum fuit, ut minus in acceptis haberentur libri ab eo procusi. Primus certe ille fuit extra Russiam minorem (et Cracoviam), qui libros characteribus slavicis impressit. Liber hic in 8vo minori servabatur in archivo Comitum Wratislaw de Mitrowicz Pragae minoris — nunc est in manibus meis; nondum certo scio, utrum donatus an concessus mihi fuerit.

Biblia Wratislawiana, quae nunc domi servo, describam oblata occasione. Continent textum antiquum, multis in locis ab alia manu rasum et correctum, quarum correctionum ante annum 1420 rariora sunt vestigia; postea omnino plurima, ita ut usque ad an. 1475 emendationum variarum saltem epochae quatuor statui possint et debeant.

Glossemata ex edit. an. 1475 excerpta non puto describenda esse, cum ea jam apud cl. Ungar viderim et quaedam notaverim, nisi fortassis a te aucta fuissent. Rarissima solum quaeque peto mihi describi — vix enim existimo fore multa, quae nondum ipse notassem. Habebo tamen pro omnibus, quae tibi debebo, gratiam plurimam.

Ne te sine specimine aliquo vetusti Psalterii dimittam, cape versum Psalmi CL. »*Chwalte hofpodina* w ieho fwatich, chwalte ho w twrdofti moci ieho; — item: chwalte gey u bubnye a w korzie, chwalte gei *w frdcyu* a w warchanyech«; *w frdcu* pro frdcy — in corde pro chordis — sic etiam alibi w *mořsu* pro w *moři*, uti hodieque Moravi. Sed jam vale et vive felix.

LXVIII.*)

1791 — 30. září. Durich odpovídaje na list předcházející, zmiňuje se o Klementinském žaltáři, ujímá se překladu: »zbav nás od zlého«, a formule »ve jméno«, »ve jménu«.

Viennae 30. Sept. 1791.

Josepho Dobrowsky s. p. d. Fortun. Durich.

Jam tibi te restituto et Musis slavicis, exactis solemnitatibus, non ero importunus praesentibus literis, quas omnino maturius ad te dedissem, nisi me opinio de tuis occupationibus cohibuisset, ut ne scriberem. Primum itaque gratias tibi habeo maximas pro communicatis mecum notitiis literariis bohemicis et slavicis; cum primis gaudeo vehementer tibique gratulor de Psalterio illo antiquissimo bohemico membraneo, a situ, oblivione et fortassis etiam ab interitu vindicato. Nihil equidem slavic. vers. vestigiorum, loca quaedam inspiciens, reperisti, unde conjicere possis, alio fonte profectam versionem, quam latino; aut voces antiquatas aliunde derivandas, quam ex

*) K tomuto listu připsal Dobrovský: Nicht abgeschickt worden.

proprio ac nativo thesauro bohemicae linguae. Postquam ipse majori diligentia per otium (nam inspectis tantum quibusdam locis illud te asseverare posse opinaris) codicem retractaveris, atque non tantum vocibus, verum etiam formulis loquendi, quae a nostris quibusdam scriptoribus, immo et a temetipso erroris redarguuntur, cum slavicae vers. exemplis ex archetypo graeco (vel maxime tunc, quando graeca lectio diversa constructione nititur, et vim quandam in se continet in Posthieronymiana recensione s. codicis non expressam) translatis, mutuo collatis; cuperem dein et ego aliquot selectos psalmos philologico-critice per singula, ut ipse Hieronymus volebat, considerare. Subinde tu quaedam vides mihi non visa; subinde vel te approbante observavi ego aliquid tibi non observatum, quod tuam summam diligentiam vel effugit vel tu observatione dignum non reputabas. Scio te meis non satis exploratis observationibus ad meliora monimenta inductum contentione sciendi; et me identidem tuis scio in hunc modum profecisse; an vero in conatibus hujus versionis slavo-bohemicae melius cognoscendae, quos solius veritatis causa jam ex anno 1778 nobiscum communicamus, temetipso nuper occasionem praebente.

Dissert. Geschichte der böhmischen Sprache § 6. pag. 326: »Bei diesen Umständen darf man sich nicht wundern, wenn die *Böhmen* täglich wider den Syntax beten: zbaw nás od zlého, libera nos a malo, wo sie sonst das verbum zbawiti nie mit der Präposition *od* gebrauchen. Ihre ersten Lehrer sahen ihr *Latein*, aus Mangel hinlänglicher Sprachkunde, für ein Muster an, nach welchem sich jede andere Sprache bequemen müsste.« An, inquam, te heic mihi occasionem praebente, vestigium quoddam antiqui nexus versionis slavicae cum bohemica recentiore olim reficta invenerim, Matthaei XXVIII, 19 et quibusdam huic loco similibus exemplis, ut I. Cor. I, 13—15 collatis cum locis omnibus, quibus in vers. Posthieronymiana constans formula semper occurrit: in nomine; sed in archetypo graeco: *εἰς τὸ ὄνομα*; Marci vero XVI, 17: *ἐν τῷ ὀνόματί μου*, in slav. identidem: **во и́мѧ** — (in argenteo cochleari b. Helenae alias Olgae, quo s. eucharistiam sumebat) in edit. Ostrog.: **въ и́мѧ**, quod ad locum Matth. attinet, sed Marci laudato loco: **и́менемъ мои́мъ**. Tuam heic non jam dubito, postquam omnia in hanc rem argumenta mea perlegeris, futuram opinionem aliam, quam viri ingenui, qui rei tam illustratae et patenti reluctari non possit. Sed prius meam observationem in id, quo mihi occasionem praebuisti ea, qua semper consuevimus, simplicitate mentis, tecum communicabo. Videris mihi, ut ipse confessus es in illa diss., quae lexico bohem. praefixa est, tantum otii non habuisse, ut formulam: zbaw nás od et naturam verbi zbawiti, cum formula unanimi in vetustissimis cod. cyrillicis et glagoliticis: **и҆зба́ви насъ ѿ** ... **ⰺⰸⰱⰰⰲⰹ ⱀⰰⱄⱏ ⱉ** ... atque cum usu laudati verbi slavonico aliis Scripturae locis conferre valeres; ita enim minime fieri potuisset, ut erroris solos Bohemos vel soloecismi Slavum interpretem, cum primis Ruthenos hac forma utentes redargueres: nam ista loquendi formula similis est illis, quas nonnulli in Vulgata vers. latina damnant, quae tamen a doctis viris Alberico Gentili, Filesaco, Augustino Maria de Monte idoneis auctoritatibus vindicantur. Jobi V. 20: *ῥύσεταί σε ἐκ θανάτου*, Slavus vertit: **и҆zба́витъ тѧ ѿ смр҃ти**. Identidem Tob. XII, 9: *ἐκ θανάτου ῥύεται*, **ѿ смр҃ти**

и҆зба́вла́етъ. Sapient. XVI, 8: **ꙗ҆́ко ты̀ є҆си и҆збавла́ѧй ѿ вса́кого ѕла**. In omnibus his locis vers. boh. loco **и҆збавити** utitur verbis wyſwoboditi, wytrhnauti. Sed quod ad naturam verbi **и҆збавити** = zbawiti attinet, ex collatione plurium locorum colligo: propriam illius significationem esse: *educere*, loco dominicae Orationis, ubi proxime praecessit: *et ne nos inducas in tentationem,* maxime congruam; atque, si mavis adhuc etymologiae proximius accedere: pro verbo *educere* substituam: praepos. e *v.* ex, *et agere, gerere, tractare*, quod Slavo interpreti graeci verbi: *εἰσφέρω* naturam scienti, ob elegantiam oppositae significationis placuisse videtur; nam Baruch II, 14: *καὶ ἐξελοῦ ἡμᾶς*, — Vulg. l.: *et educ nos* vertit: **і҆ и҆збави насъ**. Plura in hunc usum collegi; sed tibi ista sufficiant, ut mecum non ambigas: zbaw nás od — formam esse loquendi antiquissimam non presbyterorum latinorum, a quibus Rutheni fidem Christianam non didicerunt, neque Scripturae sacrae versionem in acceptis habent, sed universae Slavorum gentis ingenio coaptatam in eundem prope modum, sicut recte dicimus: zdržowati ſe od zlého vel zlého. Usu tamen magis laudatum verbum *zbawiti* slavicum est, ut supra monui, quam bohemicum; sed ut fieri solet, ut formulae quotidiani usus atque continui celebratissimique, ut est Oratio dominica, commutationi minus expositae sint, *zbawiti* heic non tam facile cum alio verbo, quam aliis locis commutari potuit, immo etiam vetustior slavica syntaxis servata est, etsi vulgari sermone idem verbum cura praepos. *od* non construeretur. Non succensebis mihi slavo-bohemicam formulam ab errore vindicanti: nam L. Aelium literis ornatissimum in te respicio gratissimusque est mihi error tuus, quo ego ad notitiam diu desideratam melius deductus sum, quam alia quacunque ratione vocabulorum scitissima. Itaque tua hac § 6. observatione recordatus loci similis, quo cl. vir Georgius Constantius Limae l. boh. pag. 5. et seq. antiquissimum morem, in quo, post tot secula, nihilominus varios et pertinacissimos novatorum et antiquitatum corruptorum effugit conatus formula slavo-bohemica signationis S. Crucis, ita emendare satagebat, ut nec animadverteret, unde ista diversitas formularum *we gmeno* et *we gmenu* apud nos in antiquissimis exemplaribus bibl. et quotidiano usu prioris formae usurpatus accusativus cum praep. *we* ortum ducat; nec idonea exempla critica e s. Scriptura, neque e scripto profanis rationem ad vindicandum attulerit; incepi omni conatu investigare in causas diversitatis et primum contuli omnia loca graeci contextus ubi *τὸ ὄνομα* occurrit; versionem slavonicam ed. Ostrog. consului; hermeneutice expendi accitis criticis sacris, e quorum numero Grotium cum primis in cap. XXVIII, 19 Matth. et Cameronem in I. Cor. X, 2 velim perlegas.

Tandem inquisivi in vers. Antehieronymianam et gavisus sum lecto Tertull. loco de baptismo cap. XIII. edit. Pamel.: »Lex enim tinguendi imposita est, et forma praescripta. Ite (inquit), docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti.« Discrimen hoc in reddendo archetypo graeco: *εἰς τὸ ὄνομα, ἐν τῷ ὀνόματι* — accurate observatum est in vers. Antehieron., in vers. slav. et Fratres Boh. identidem vim diverse locutionis intelligentes, priorem formulam: *we gméno*, secundam: *we gménu* — reddiderunt, sed non adeo constanti observatione, nisi aliud in exemplari viderint, vel oscitantia editoris factum sit. In principe N. T. edit. boh., quod ad illa loca classica

attinet: Matth. XXVIII, 19 habetur: we gmie otcze, — I. Cor. I, 13, 15: we gmeno Pawlowo... we gmeno mé. Sed I. Cor. X, 2, ubi Slav. et FF.: *εἰς τὸν Μωσῆν*, — redd. **оу мѡусеа** — w Mogžiffe. Edit. princ. jam est interp. vers. Hier. in Moyse — w Moyžieffowi. At vero Marci XVI, 17: *ἐν τῷ ὀνόματί μου* — quod Slav. recte atque FF. habent: **Іменемъ моимъ**, we gménu mém — ed. princ.*)

LXIX.

1791 — 15. října. Durich mimo jiné podává zprávu o rukopise Hayrenbachově, odporuje tvrzení Dobrovského, že překlad: »zbav nás od zlého« jest chybný, jakož i tvrzení Konstancovu strany »we gmeno«, zmiňuje se o slově *psáti*, podává rozvrh svého zamýšleného díla a zakončuje zprávou o dvorní knihovně Vídeňské.

Viennae 15. Octobr. 1791.

Josepho Dobrowsky suo Fortun. Durich s. p. d.

Exactis solemnitatibus et te Musis slavicis tibique restituto praesentibus literis minus importunus ero, quas omnino maturius ad te dedissem, nisi me opinio de tuis occupationibus concepta cohibuisset a scribendo. Nec frustra opinabar, nuper publicis ephemeridibus edoctus, quid praesente rege nostro senaculum academicum ingresso praelegeris: dissertationem meo judicio dignam memoratu, quae possit gentem slavicam in vinculo societatis humanae, quo maxime homines conjunguntur, diutius adhuc, quam *annis quinquaginta* fovere.

Utinam tibi ad manus fuisset MSS. dissertatio germanica: »*Slaven in Oesterreich*; eine diplomatische Abhandlung«, cujus auctor est cl. Hayrenbach, custos Bibl. Pal. Vindobon. a. 1779, quamque ego nunc in usum meum lego et indulgentia cl. Denisii, qui procul dubio in locum defuncti Schwandtneri succedet, summo cum gaudio relego, atque locorum diplomaticorum usum eundem admiror, quae mihi ante annos quatuor collegi, paucis exceptis, a cl. viro ex MSS. ineditis, cum primis isto ex tabul. Cremifan. monast. prolato: »tres hobas dominicales juxta rivum *Scalaha* in comitatu Arbonis, quas prius duo *Sclavi* Wartman et Saxo nuncupati tenuerunt« ex MSS. liter. donat. Arnulfi imp. an. 888. Snelperoni abb. datis. § XX°: »nur kurz gefasste Sätze, aber richtig erwiesene Sätze sind es, was von dieser diplomatischen Abhandlung der Universalgeschichte zu statten kommen kann:

I. Schon von den Zeiten des grossen fränkischen Feldzuges her finden wir *Slaven in Oesterreich.* II. Sowohl *diesseits*, als jenseits *der Donau.* III. Im Lande *ob der Ens* waren sie noch vor der Errichtung der Ostmark. IV. Die Slaven waren bei uns so zahlreich, dass sie noch im X. Jahrhundert als eine der zwo Hauptnationen (Baiern und Slaven) in Oesterreich betrachtet werden. V. Sie lebten da *nicht* etwa nur als Knechte der Deutschen, VI. sondern sie waren eben so wie die Deutschen zum Theil *freie*, VII. *eigentümlich begüterte Insassen,* VIII. und genossen die Rechte und Freiheiten der Deutschen Landleute. Bis hieher reicht die historische Gewissheit. Unsere Sätze sind diplomatisch erwiesen . . . nachdem nun die Hauptsache versichert ist,

*) List tento nebyl dopsán.

mag eine zweite Verwendung über die Annalenprobe versuchet werden.« Habes igitur heic totius dissertationis summam, quae in Bibl. Palat. servatur, cujus author ingenui hominis solam veritatem amantis officium implevit, nullo praejudicio suae teutonicae gentis abreptus.

Sed prius tibi pro tot literariis muneribus gratias habere debebam, quibus me per d. profess. Werschhauserum donasti; necque scio, in quem modum singula demereri possim, qui me inopem esse novi; nisi rursus literariis obsequiis et, si Dominus vitam produxerit facultatesque concesserit, libellis meis *historiam literariam l. slav. literalis continentibus*, de cujus praecipuis quibusdam momentis, iis vel maxime, quorum eadem notitiae ratio in unam opinionem veritati consentaneam nos usque in praesentem diem inducere non potuit, tecum, ut veteranos amicos decet, sincere conferre conveniens esse puto. Subinde tu quaedam vides mihi ignota; subinde temetipso approbante observavi ego aliquid tibi non visum, aut quod tuam summam diligentiam vel effugit vel tua observatione dignum non arbitrabaris. An in conatibus in versionis slavo-bohemicae naturam ac indolem, cum primis originem cognoscendam impensis, jamque ex a. 1778 mutuo communicatis, sequens observatio, cui tu nuper occasionem praebuisti (dissert. »Geschichte der böhmischen Sprache« §. 6. pag. 326: zbaw nás od zlého —) meliorem locum sit adquisitura et lucem prioribus datura, non satis scio. Vestigium tamen ejusmodi, quale in quadam ad me data epistola desiderabas, immo magis criticum et illustrius mihi invenisse videor, quo nexus versionis slavicae cum bohemica, non minus quam cum graeco textu slavicae versionis nexus comprobatur et philologia nostra ab erroribus vindicatur.

Itaque Matth. XXVIII, 19 formulam nostram antiquissimam: *we gmeno* — quam, aeque ut tu ejusdem Matth. VI, 13 illam: *zbaw nás od* — vitiosae locutionis contra syntaxin Constantius Limae suae pag. 5 seq. redarguebat, critice, philologice, atque hermeneutice, ea, qua potui diligentia, examinavi: primum omnia loca similia conferendo, ut I. Cor. I, 13—15 etc. diligenter observavi, ubi in archetypo graeco ponitur: *εἰς τὸ ὄνομα*, ut supra laudato Matth. loco, et ubi: *ἐν τῷ ὀνόματι*, ut Marci XVI, 17 etc. animadverti in vers. Posthieronymiana constantem sine discrimine formulam: *in nomine*; immo nec ipsum Hieronymum hujus diversitatis in bibl. divina rationem habuisse. Inquisivi in Antehieronymianam v. lat. et inveni apud *Tertullianum* de baptismo cap. XIII, edit. Pamel.: »Lex enim tinguendi imposita est et forma praescripta. Ite (inquit), docete nationes, tinguentes eas *in nomen* Patris et Filii et Spiritus sancti.« Contuli antiquissima exemplaria slavonica utriusque characteris cyrillici et glagolitici, in quibus formula signationis s. crucis occurrit, item adhibui ad universum examen criticum edit. slavon. bibl. Ostrog. et inveni *εἰς τὸ ὄνομα* redditum Matth. XXVIII, 19: **[illegible]** — identidem in cochleari Olgae, primae Russiarum principis Christianae, quam ex Constantino Porph. nosti **[illegible]** in glagol. antiq., ut in *[illegible]* Bindoniano opera ei Lambecii in Bibl. Pal. servato: **[illegible]**, identid. in missali Rom. slavon. Romae MDCXXXI, in nostra principe edit. boh. N. T.: *we gmie*. — FF. Boh. vero diversae locutionis intelligentes exigente contextu graeco jam: *we*, *gmeno* [illegible] *[illegible]*, et *[illegible]* = *ἐν τῷ ὀνόματι* *passim* reddiderunt

quod alterum Slavus Ostrogiensis instrumentali casu reddit: и҆́менемъ мои́мъ. Edit. boh. princ.: we gmeno — non assecuto sensu, sed vet. vers. slav. commutata. Act. vero XIX. v. 3 et 5 primum ex Vulg. l.: W cžem ſte *ſe* tehdy *krztili.* a oni weczechu w Janowie kržtu — commutando slav.: въ что́ оу҆бо крти́стеса, (heic tamen observanda vetus passivi slavonici cum reciproco nostro seu *medio* slav. = Graecis non confundendo formula) pro qua FF. boh.: načež tedy pokřtěni gſte? — vers. 5. autem servata ratione tex. slav.: въ и҆́мѧ гн҃ѧ і҆с҃а = we gmeno pana gežiſſe = *εἰς τὸ ὄνομα* (*var. l. vid.*). Editores principis edit. non miror, sed Constantium, qui, si solos FF. cum graeco textu contulisset, ratio non tantum discriminis, verum etiam criticae causae meliores illis, quas laudato Limae suae loco adduxit, in promtu fuissent: neque existimaverim eum in illa persuasione fuisse, praepositionem *we* cum accusativo casu construi non posse, quum dicat: »si quidem praepositio *we* hoc loco (spectata vers. lat.: in nomine) regit casum localem«: nam alibi, dum v. g. commutatio quaedam et transitus in aliam rem aut modum vel locum significatur etc., recte cum accus. construitur eodem plane modo, ut in literali l. Slavorum. Neklan w Lucko ſe vwazal. Dal. cap. 21; въ свидѣ́тельство и҆̀мъ — Matth. X, 18; w zbrog oděni ſtáli. Judd. XVIII, 16. Igitur spectata formula accusativi tum veteris *w gmie* = в҄ и҆́мѧ, tum recentioris *we gmeno.* non potuit haec constructio ex latinis codicibus fluere, quin codd. boh., quos habemus, Vulg. Hieronymianam redolent, etsi, ut vidisti, Act. XIX interpolatam: nam Hieronymus nunquam posuit formulam *in nomen*, sed *in nomine*; et tamen nos adhuc post correctionem a Constantio inductam nihilominus publice in ecclesia dicimus: *we gmeno*, et universa Slavorum gens: во vel въ и҆́мѧ et ⰲⰺ aut ⰲⱏ ⰻⰿⰵ, non въ и҆́мени *we gmeni,* qualiter procul dubio vertissent *τὸ*: *in nomine* presbyteri latini: nam si Dalemili temporibus passim vetus slav. declinatio observabatur, e. g. in recto {*i* – / *gmie*} cap. 1, 2, 13 etc. in Gen. *gmene* cap. 16, tanto magis sec. IX. aut X., proin temetipso judice laudati presbyteri potius ad literam vertissent: *we gmeni,* — *nam ve gménu* est longe recentius tam heic quam in gen. gména, recti gméno. Quam, quaeso, adferes rationem: cur Act. XIX edit. princeps habeat: w Moyžieſſowi pokržtieni ſu; — sed I. Cor. I, 13 et seq.: we gmeno Pawlowo kržtieni ſte, — Act. IV. 7. w kterem gmenu to ſte wy vcžinili?

Exemplaria antiqua hujus edit. princ. auctores vel auctorem ante se habuisse omnino certum et exploratum est mihi rationibus idoneis; immo ex quibusdam locis tale quoddam exemplar illum respexisse invenio, ut etiam Ті́тла, quum *honoris* (надписа́ніе чести) *superscriptio* est, ab eodem pensi haberetur; in syntaxi quoque slavonica et idiotismis non peregrinum, sed proprietatis dialecti suae omnino gnarum fuisse istis formulis comprobatum habeo: nemohli ſu odolati mudroſti. — Chtieſſe ſe zprawiti lidu. — K Czyeſarzi ſe odmluwam. — Wyboy cžiniech proti niemu etc. etc. Viderit itaque in suo antiquiori MSS[to]. cod. [nihil heic definire volo, fueritne Slav. purus, an Slavo-Boh.] jam *we gmie*, jam etiam we ménu [immo *we gmeni*], nec valens eluctari solo contextu Vulg. lat. vers. ubique form. in nomine — ponentis, non arbitrabatur se ab officio interpretis aut editoris recessurum, si

alterutram formulam poneret, quia veteres Slavo-Bohemi identidem fecerunt. Quam pauci sunt nostrorum popularium, qui vel nunc recte distinguere norint, ubi praep. *we* cum accusativo sit construenda, nec miror pluribus locis in edit. princ. positum we gmie, *we gmeno,* quia praecipuis locis, ut Matth., Act., I. Cor. X putabat edit. Vulg. interp. form. *in nomine* — in antiqq. recens. popul. antiquitate et auctoritate niti. Accedebat quotidianus *signationis* (ut Tertulliani vocabulo utar) usus *we gmie* (sequiori tempore we gmeno) *Otce* — cum Ruthenis conveniens et cum reliquis Slavis a Cyrillo et Methodio instructis primis christianae fidei rudimentis, ut est illud laudatum signaculum et Oratio dominica, cujus tu illam particulam: zbaw nás od = ѝзба́ви на́съ ѿ = ⰺⰸⰱⰰⰲⰹ ⱀⰰⱄⱏ ⱁⱅ — pag. 326 ita quotidiani contra syntaxim erroris redarguis, ut id, quod tantopere sub finem §. 4ti [»ohne Rücksicht auf den serbisch-slawonischen Kirchendialekt — weil sich der Einfluss des letztern auf die erstere historisch nicht erweisen lässt«.] negas; heic necessario admittere, consensu omnium Slavorum dialecto literali utentium, debeas: esse quendam huncque antiquissimum istius dialecti in bohemicam influxum, usque in praesentem diem apud nos superstitem in antiquissimis christianarum institutionum formulis; immo diplomatice certus est laudatus *influxus:* »quanto ex vestri presentia et monasterii vestri . . . conspicimus et boemice nostre lingue decores *amplioris* claritatis honoribus decorari« lit. Karoli IVti apud cl. Pelzl No. XCIII. Sed jam ante Karolum IV. Bohemi dicebant cum Slavis laudatis: we gmie otce — zbaw nás ot — igitur antiquissimis temporibus, non a latinis presbyt. priorem formulam discere potuerunt, quae spectato textu graeco, non latino, vere slavonica est; altera vero te judice non est bohemicae syntaxi conveniens, ergo est serbico-literalis et glagolitica. Immo etiam auctoritate plurium a me collatorum locorum verbum ѝзба́вити magis, *usu* utriusque cod. s. slavonici et bohemici slavonicum est, quam bohemicum, construiturque omnibus locis, quae quidem ego per otium conferre potui, cum praep. ѿ, ut Jobi V, 20: ѝзба́витъ та ѿ смр҇ти. Tob. XII, 9: ѿ смр҇ти ѝзбавлаетъ. Sap. XVI, 8: ꙗ́ко ты ѐси ѝзбавлаѧй ѿ вса́кого зл҇а. Nostri codd., quos consului, utuntur verbo *wyswobođiti*, *wytrhnauti* loco *izbawiti*. Velim, etiam naturam et indolem *τοῦ* ѝзбавити consideres, quam intelliges considerato contextu Baruch II, 14: і ѝзбави насъ себе ра́ди; *καὶ ἐξελοῦ ἡμᾶς ἕνεκέν σου* Lat. V.: »et *educ* nos propter te«. Compositum esse verbum nosti; nosti etiam бавлюса — his omnibus spectatis non minus intelliges verbi laudati naturam, quam illud verbum Alcibiadis ab A. Gellio redditum l. I. c. 17: *domo non* **exigeret.** Elegantia itaque oppositae significationis placuit Slavo interpreti: избави на́съ ѿ, qui prius oravit: невведи на́съ во. (ⰲⱏ)

Sed quod ad vim formularum *εἰς τὸ ὄνομα* et *ἐν τῷ ὀνόματι* attinet atque usum hermeneuticum, quaeso, legas H. Grotium et Cameronem in criticis sacris supra laudatis locis Scripturae. — Valla non intellexit: *in una Sabbatorum* pro in unam *εἰς*, — quamvis prius dixerit: »*εἰς τὸ ὄνομα* — qui casus aliquid diversum facit.«

Jam scio, quo modo factum sit, ut in Passionali bohem. non tantum scribere, verum etiam pingere verbo *pſáti* exprimeretur, et complures slavonicae phrases verbaque et nomina in vulgaribus libris non usurpata (neque

enim tu laudatum pſáti, etsi multa MSS. boh. legeris, nosti prius, quam ad me scriberes commonendo ad investigandum) elegantiaeque slavonicae literalis dialecti reperiantur posliminio reductae: »Take y mnichu toho umieni z Seneže dobyl, aby čechy tomu včili« = »In scribendis libris *legendarum* et cantus nobilis lingue slavonice« infra: »vulgaris slavonici«. — lit. Caroli IV. No. CCCXLIII. nonne cohaerent?

(Na zvláštním lístku připsal Durich:)

(\ꙋ/) Quoniam nosti, verba: *liberare* et *privare* ita esse diversa, ut sunt *ῥύομαι* et *ὑστερέω* invicem distincta, collatis s. Scripturae locis invenies: verbo **і**-*zbawiti* cum gen. c. a nostris constructo significatum *τοῦ* *privare* reddi; sed in slav. v. *prioris* verbi naturam exprimi, quod duobus classicis locis comprobatur Ps. 141. v. 7: **і҆збáви мѧ̀ ѿ гонѧ́щихъ мѧ̀**, boh.: Wyſwobod mne od ſtihagicych mne. Ps. 83, 13 (sl. v. 11): **гдⷭ҇ь не лишитъ**, boh.: Hoſpodin: Nezbawjť — nec scio, an unquam alibi in vers. boh. usum verbi *zbawiti*, quo verbum *liberare* reddatur, aut in slav. v. **і҆збавити**, quod alicubi *privare* significet, sis inventurus; tantoque minus in nostra vers. constructionem cum praep. *od*: igitur habes duo vestigiorum monimenta antiquissima slavonica apud nos in significatu ac usu verbi **і҆збавити**, et in constructione: nam quod ad usum attinet, neque in loco paral. II Tim. IV, 18: »Liberavit [*ῥύσεται*] me Dominus ab omni opere malo« — verbo laudato usi sunt FF. boh., sed reddiderunt: A wyſwobodjť. — Quare ergo zbaw nas od — mansit Matth. VI, 13? quia contra usum tam antiquum, universalem, quotidianum et irremissum, non valet conatus, ut tu ipse exempla nosti, etiam summa auctoritate pollentium novatorum.

Non eam ob rem talem, ut vides, diligentiam impendi, ut tibi resisterem in contrariam opinionem contendenti; sed historiae nostrae ecclesiasticae causa et animo commonstrandi, quam sit ling. lit. slav. comparatio cum nostra dialecto necessaria et quantum prodesse valeat veritati eruendae et firmandae. Scis, quantopere Protestantes doctores, praecipue *Michaelis*, version. syriacam *latinissantis* indolis insimulaverint et quid nunc ab eis scriptum sit: igitur si quid in laudatis duobus vestigiis Matth. VI, 13 et XXVIII, 19 in nostris boh. codd. slavo-graecissantis indolis aptius inveni, tibi occasionem praebenti ex animo adscribo; si quid minus aptum tibi videtur, mone, ut vel emendare vel illustrare possim. Jam hoc mecum, Deo favente, constitui, ut toto historiae lit. opere in quinque volumina in 8ª forma distributo: I° introductionem in hist. singulis quatuor reliquis singulos libros describam, quorum II° liber Iᵘˢ indolem et propagationem, IIIⁱᵒ liber II fata et cultores, IV. lib. III rem bibliothecariam et usum, V° l. IVᵘˢ apparatum et specimina linguae liter. Slavorum in se contineant. Sciagraphiam introductionis una cum reliquis reculis per currum diligentiae, ut primum d. Ricželius assumere potuerit, ad P. Chrysostomum mittam; in septemdecim philyris typis elegantibus meisque sumtibus et amicorum hanc introductionem, pro tentamine futuri operis universi, sub principium futuri anni dare volo, visurus, in quem modum exemplaria ementur a slavophilis intellecto totius historiae conspectu, ut vel inceptum opus prosequi aut ab incepto desistere sine damno valeam. Plura, quod ad hanc rem attinet, proxime perscribam. In Bibliotheca promotio, ut mihi cl.

Denisius dixit, fiet successione graduum, atque hac ratione locus ultimus *officialis*, ut vocant, seu promi condi librorum tantum assumtione novi cujusdam subjecti supplebitur.

Salutat te cl. Denisius, prof. Alter omnesque noti etiam, qui mecum sunt, et, ut optime valeas, mecum bene precantur. Vale iterum meque amare perge amicosque saluta.

LXX.

1791 — 23. října. Dobrovský odpovídá na list předcházející, žádá o doplňky k Tomsovu slovníku, odpovídá na výtky o větě »zbav nás od zlého« a »ve jméno«, zmiňuje se o českém překladě písma svatého, o překladě žaltáře Klementinského, o Vramcově postille a končí list drobnějšími zprávami.

Mieschicii 23. Octob. 1791.

Fortunato Durichio Jos. Dob. s. p. d.

Cum jam calamum arripere vellem diuturnique silentii causam percontari, subito exhibitae mihi sunt literae tuae, quibus perlectis avide gavisus sum de valetudine tua prospera non minus, quam de proposito, propediem edendae introductionis in hist. lit. slavicae literaturae. Sciagraphiam praestolabor, et, si tempus suppetit, supplementa quoque ad lexicon bohemicum Tomsae, quod defectu hoc laborat, ut multa in eo desiderentur vocabula, uti omnes fere, qui judicio hac in re pollent, conqueruntur. Rogo autem, etiam tui commodi causa, ut non nisi indiculum vocum a te collectarum seu ordine alphabetico digestum seu sine ordine, ad me transmittas prius, quam a te postea plenius de hoc vel illo vocabulo edoceri petam. Nec volo, ut obsoletorum majorem habeas rationem, quam eorum, quae in scriptis aureae aetatis occurrunt et etiamnum usurpantur, dummodo sint ejusmodi, quae in Tomsiano lexico vel plane omissa sunt vel minus accurate exposita.

Dissertatiunculam tuam de formulis *we gmeno* et *zbaw nás od* eo animo legi, quo scripta est; non enim ego minus veritati eruendae et amplectendae studeo, quam te id facere mihi persuasum est. Lubens igitur largior vocem *zbawiti* duplici significatu accipi, ut et *liberare* et *privare* eadem voce exprimatur; do etiam, *zbawiti od zleho* non esse contra syntaxim slavicam adeoque neque contra bohemicam ita, ut in nova editione dissert. seu hist. l. boh., quam paro, judicium meum emendaturus sim. Immo vero concedo, formulam hanc Bohemos accepisse ab iis sacerdotibus, qui eandem hauserunt a Carinthiis ante Cyrilli tempora; ita, ut non Cyrillo primum tribuenda sit, cum certe ab episcopis suis slavicis Carinthii atque adeo et alii Slavi precationem hanc didicere, uti alia exempla suppetunt, quae me inducunt, ut contendam, alias quoque voces ad res sacras exprimendas a latinis presbyteris inductas et formatas Cyrillum reperisse et servasse.

Sed hoc vellem etiam mihi ostendi, vocem aliquam (unicam etiam, ne nimium exigere videar) a Cyrillo ad originem graecam effictam pervenisse ad Bohemos et apud eos servatam, qualis esset *srjebroljubci* pro *avari* latino; — NB. ab eo autem tempore, quo *vulgo* putantur ritus slavicus aut literae slavicae invecta fuisse in Bohemiam; nam de uno alteroque vocabulo

ab Emautinis Slavis sec. XIV. arrepto non est mihi vehemens contentio. Nam exempla mihi videor invenisse ejus rei; sed adeo pauca, adeo parvi momenti, ut dici ac defendi non possit, boh. linguam ope slavicae fuisse excultam eo modo, quo per latinam aut germanicam aut culta aut deformata fuit. Vox *zbawiti* originis slavicae omnibus dialectis communis est pervenitque a nobis ad Srbos, migrantibus iis e Septemtrione ultra Danubium sec. VII. Simplex est *bawiti*, quod est factitivum verbi býti, inde composita zbawiti (cf. zbýti), zabawiti etc. Tali igitur voce communis originis slavicae, quamvis ob locorum temporumque rationem diversam diversi subinde usus, nihil evinci potest in ea causa, in qua nos versamur. Si enim voce zbawiti, *liberare*, uti poterat interpres illius formulae et construere recte, ut tu defendis et ego nunc non nego, discrimen significatus duplicis pensitans, cum praepos. *od*, quid aliud evincere vis, quam *zbawiti od* esse syntaxim slavicam. Hoc etiam concedo, usum hujus vocis apud nos exolevisse jam, significatu *liberare*, et interpretes Bohemos maluisse uti voce *wyſwoboditi,* quamvis non desperem, me locum extra biblia reperturum, quo et hunc significatum stabilire possim. Hoc quoque certum est, in antiquissimis boh. l. monumentis, qualia sunt poemata varia ante Carolum IV. scripta, quae ego diligentius nunc conquiro, syntaxim vere slavicam reperiri, h. e. talem, quam slav. linguae genius exigat; non eam, quae latinorum et germanicorum librorum lectione et versione serius adoptata fuit, ita ut nihil mirer, in monumentis vetustioribus codd. non hanc recentem a sec. jam XIV. inductam, sed illam veram puram et genuinam slavicam, quae non inventa a Cyrillo fuit, neque a Serbiis efficta, sed ab iis una cum lingua a nobis (salva varietate dialectus) hausta inque libros invecta.

Alterum momentum, ut tu ipse jam monuisti, nempe formula we gmeno (we gmě) adeo non convenit graeco εἰς τὸ ὄνομα — et ἐν τῷ ὀνόματι, ut nostri Bohemi ubique fere, nulla hujus discriminis habita ratione — we gmeno transtulerint. Res est oppido subtilior, quam solidior. Hieronymus, non ignarus duplicis formulaė graecae, ubique *in nomine* reddidit — Bohemus, ignarus omnino hujus discriminis ubique we gmeno, sequens genium linguae suae et sensum latinae ambiguae formulae hunc, quem interpretes exponere solent; valet enim *in nomine* idem, quod *in nomen*, per *nomen;* igitur sicut medio aevo *in honore* sancti aedificabantur ecclesiae (ita saepissime lego pro in honorem) ita et in nomine accipietur pro *in nomen*, in oder auf den Nahmen. Jesuitae stricte latinum non tam sensu quam casu (uti saepius nolentes Melantrichi emendatiori editioni acquiescere) secuti sunt: we génu, quos noluit corrigere doctiss. *Procházka* retinens illorum we génu, utpote vix dignos reprehensione, cum res probe intellecta eodem recidat, sive we gméno, sive we gménu dicatur. Quid enim non assequatur sensum hujus locutionis: meo nomine hoc fac, na mé gméno, w mé gméno, w mém gménu to uděleg — atqui pro varia constructione hoc vel illo modo reddi potest. Si mihi suppeteret codex Ernestinus lat. in bibl. Olom. studio loca citata inspicerem, sicubi non legatur nota (habet enim in margine notulas Rabani etc.), exhibens sensum τοῦ *in nomine*. Hic loci nihil ad manus habeo, praeter codicem bohem. PP. Franciscanorum ad nives, continentem Nov. Test. boh. recensionis

mediae — non antiquissimae, uti nec recentissimae. In hoc codice ubique τὸ *in nomine* Jesu — *in nomine Domini* — redditur we gmeno — uti Act. 2, 38. Act. 4, 10, 18. Act. 10, 48. Act. 19 v. 5. I Cor. 1, 13, 15. — Binis duntaxat vicibus gmenu — Act. 4, 7 praecedit autem hic: w které moci — (pro kterau mocý) sequens igitur neb w kterém gmenu, aut in *quo* nomine — alio casu reddi non poterat; item Act. 4, 17: we gmenu *tom*, in nomine *hoc* — cum hic additum sit *hoc* — nam alias, ubicunque *in nomine* absolute ponitur, sine *quo*, sine *hoc* — semper redditum est we gmeno, nulla habita ratione illius apud Graecos discriminis. Formulae illae: *in quo* Act. 19, 3 et *in* Johannis *baptismate* v. 5. — *in Moyse* — ubi τὸ *nomen* non legitur, ad latinum expressae sunt, cum commode etiam hoc casu reddi poterant; v. 30 ſkrze gmeno, per nomen — vellem scire, quid hic Slavus et Graecus legat; destituor enim hic exemplaribus. Presbyteri latini, qui interpretati sunt formulam crucis ante Cyrillum, recte interpretati sunt: we gmeno, sensum Latini *in nomine* assecuti, non casum exprimentes — atqui et Graeci se signant: ἐν τῷ ὀνόματι et non εἰς τὸ ὄνομα. Nihil igitur praesidii habes in his duabus formulis, quas doctissime illustrasti meque meliora quoad *zbawiti od* edocuisti, sed non est observatio haec tanti, ut mox a Cyrillo repeti debeat, cum aliae rationes praesto sunt, quibus explicari possint.

Rogo, velim perpendas, rem prorsus impossibilem, uti in hist. vers. boh., quam paro, singulos fere secundum varias manuscriptorum recensiones libros recensendos commonstrabo, ut non, si ex vers. slavica orta sit bohemica, vestigia talia reperire liceat, quibus res decerni possit. Nunc autem et var. lect. omnes bohemicae sunt tales, quales in lat. codd. reperias; voces tales, quae vel cummunes sint omnibus dialectis vel e latinis effictae; nunquam tales, quales Cyrillus ad graeca efformavit; e. gr. Act. 4 v. 31: a naplnieni ſu wſſiczkni *ducha ſwatcho*, legit MS. Franc. ac alia — *spiritu sancto* hic alio casu redditum est. Cur hoc? forte slavicum textum expressit? Minime, etiamsi forte conveniret; sed syntaxim slavicam secutus est interpres. Rec.: duchem ſwatým, uti Procházka, exprimunt latinizante syntaxi. — Eadem est ratio formulae: přigde ſudit (non ſuditi, uti nunc male) žiwých y mrtvých — quam formulam sine ratione reprehendit Constantius. Act. 18, 27 legunt manuscripta boh.: Když geſt chtiel giti do achaie (Antyochie *Franc.* erronee) napominat (NB. supinum bohemicum, non infinitivum) bratrow, pſala ſta učedlnikom — legit proinde: *exhortari* fratres pro *exhortati*, cumque hac ratione nominativus pro verbo scripserunt, hoc versu deesset, respexit ad Priscillam et Aquilam v. 26 construxitque in duali, referens actionem scribendi ad duas personas hasce. Tali aliquo loco, ubi sensum Latini non est assecutus Bohemus, aut ita assecutus est, ut conjectura verisimilis esse possit, graecum aut slavicum textum ab eo inspectum, vellem mihi ostenderes, de quo inter nos controversia est. Innumeros errores jam detexi, qui nullo modo oriri potuissent, si vel inspexisset Bohemus unam aliquam versionem melioris notae.

Cape pauca exempla ex Psalterio antiquissimo, de quo nuper locum unum protuli, quod ego pro b. Agnete aut alia moniali confectum puto. Lingua est antiquissima, sec. XIII sine dubio; pro *i* nostro ubique, ubi id alii Slavi amant, *u*: *liud* pro lid etc. Primae personae verborum in ſm ubi-

que *iu*: wrat*iu* pro wrat*im*; dualis numeri ubique habita ratio — Latinum presse sequitur ita, ut ambigua latina infeliciter reddiderit saepius, quam oportuisset; ignorantissimum hominem, confessarium Minoritam puta, fuisse, tu ipse statues, si vel ista, quae adferam, expenderis. Ps. 104, 30: in penetralibus regum ipsorum, neuproydienych kralow gich — vides hic legisse interpretem: impenetralibus — impenetratis. Ps. 26, 6: hostiam vociferationis, *obiet hlaſſonoſſiuciu*; sic Ps. 32, 3: in vociferationibus, w hlaſſonoſſiech. Ps. 51, 4: novacula acuta, obnowatedlnycie oſtra. P. 54, 5: formido mortis, ztwarzenie ſmrti. P. 73, 16: fabricatus es auroram, ti ſi *ſkowal zorzie*. P. 75, 8 et 92 2: ex tunc, *otted*. Ps. 36, 21: mutuabitur peccator, *onyemye* hrſieſnyk — a *mutus*. Ps. 61, 10: in stateris, w ſtawiech. P. 67, 7: unius moris, gedne hodiny: eod. v. 15: reges super eam, wlaſti budes nad *nyu* (nſ) — latina syntaxi, uti saepius etc. etc. Ps. 83, 6: beatus vir, cujus est auxilium abs te, blahoſlaweny muz, iehoz ieſt pomocz *bez tebe* — abs pro absque etc. etc. Excerpsi ego omnia loca, quae ad criticam et vers. boh. indolem cognoscendam pertinent, labore non parvo et certus sum, interpretem hunc primum certe omnium nihil nisi latinum codicem, neque hunc optimae notae, prae oculis ac manibus habuisse; gaudeoque me detexisse tandem vers. talem, ex qua reliquae recensiones fluxerunt, ita nempe, ut admittere velim, si vestigia deprehendero, correctores hujus Psalterii inspexisse sec. XIV. Emautinum codicem slavicum — ante hoc tempus omnia latinum sonant. Obiter si quis codicem hunc inspexisset et animadvertisset Psalm. 22, 4 legi: *zezl twoy*, baculus tuus, jam conclamasset, codicem slavizare. Atqui slavizat eo nempe sensu, quo lingua bohemica necessario slavizat, utpote lingua slavica. Quid enim, si *boh*, si *duch*, si *ruka*, *noha* bohemica sunt et slavica, cur zezl et zezlo non possint esse bohemica et slavica. De vocibus abstractum denotantibus seriusque formatis aliter sentio, qualis est *legislator*, quam noster Ps. 9, 21: noſſicz zakona: Ps. 83, 8: zakonnyk interpretatus est. Unam vocem proferam adhuc, antiquiorem versione Cyrilli, qua egregie illustratur locus anonymi de convers. Carantanorum et annalium vetustorum, in quibus eadem sed corrupta, uti *dovina* pro devina in Fuldensibus. In anonymo laudato occurrit vox *carmula,* carinula, pro seditione — *orta carmula* etc. Hanc vocem esse pure slavicam, ad Germanos tandem propagatam asserere non dubito, tum quod apud Russos *kramola* et in boh. Psalterio eadem vox *kramola* Ps. 106, 40 occurrat, qua latinum *contentio* (nunc contemptio) interpretatus est Bohemus. Lect. quidem *contentio*, quam expressit Boh., non est praeferanda hodiernae, sed habetur in codd. latinis. Vocabula saepe contrahuntur, ut *lzati* pro *lízati* — sicut *pſáti* nostrum pro *piſati*, quod tamen vulgus in pagis amat. In Psalt. semel duntaxat *piſano* Ps. 101 scriptum est.

Lustrans bibliothecam Lobkovicianam, quae Rudnicii est, incidi in Postillam croaticam, cujus titulum adscribam: Poſtilla na vſze leto po nedelne dni vezda z nouich ſzpraulena ſzlouenſzkim iezikom po Antolu Vramcze, Sz. P. doctore i Czirkue Varaſdinſzke P. — dedicatus liber Petro Hereſsinczi, almae ecclesiae Zagrabiens. antistiti. Stampano v szlobodnom kralevom varasu Varaſdine po Iuane Manliuſe MDLXXXVI. in 4[to].

Praelectio*) coram rege nostro fuit exilis declamatiuncula, quae tamen Bohemis placuit. Delineavi brevissime fidelitatem ac obsequia gentis slavicae domui Austr. praestita ostendique ad oculum, hanc auctam conservatamque per gentes slavicas. Nunc amici praelo subjicere volunt, nec possum refragari. Fluminis olim inclyti, Taciti temporibus tantum auditi, fontes tandem vidi et miratus sum; praeter montem Krkonossium et Planuram reliquae appellationes germanicae sunt, uti hodierni incolae. Patriam tuam vidi et tui recordatus sum. Alias plura.

LXXI.

1792 — 14. března. Dobrovský podává zprávu o své zamýšlené cestě do Švédska a Ruska a mimo jiné krátké zprávy zmiňuje se o svém zvláštním vydání »Geschichte der böhm. Sprache und Literatur« a o Pollákově Písmě sv. Nového zákona.

14. Martii 1792.

Josephus Dobrowsky Durichio suo s. pl. d.

Nescio, utrum jam mentionem in proxime ad te datis literis aliquam fecerim itineris, quod suscepturus sum tum in Sueviam, exquirendorum monumentorum historicorum a patria nostra ablatorum causa, tum in Russiam, ad illustrandam historiam et literaturam universae gentis slavicae. Ne igitur te lateat consilium meum, his te et certiorem reddere et obtestari volui, ut, si quae capita Sciagraphiae tuae, quam praestolabor, ope mea illustrari possint, mihi ea notare velis usque ad finem Aprilis. Initio enim Maji proficiscemur. Jam mihi non vacat, alia agere, quam necessaria ad iter subsidia undique colligere. Vellem igitur praeprimis rescire ex te, num Procopii vitam receperis a d. prof. Zlobiczkyo; jam enim, si minus, cogar ipse repetere minus humaniter. Deinde collectanea var. lect. slav., quae servas, num mihi transmittere possis; propositum enim habeo, codd. inspicere et conferre. Procopii Vitam servare tu (non alius) poteris usque ad reditum meum. Sed Adversaria mea mitte, quam primum licuerit. Alia quaecumque sive tu sive *Alterus* sive quisquam eruditorum Vindobonensium mihi injungere si voluerit, faciam, ut officio meo non desim. Saluta nomine meo cl. Denisium omnesque mihi tuisque studiis faventes.

Historiam bohemicae linguae,**) quam seorsim paro jamque prelo subjeci, accipies post aliquot hebdomades per P. Chrysostomum. Auxi eam multis capitibus, initio et fine; neque adhuc omnia exhausisse mihi conscius sum. Judicium tuum gratus audiam. Deerant enim mihi multa, cum primum eam delinearem Olomucii.

Voluissem negotium colligendarum symbolarum seu subsidiorum, quibus editio operis tui juvanda sit, suscipere, nisi ratio itineris impediret. P. Dlabacz, qui te colit, lubens id negotii sumet. Narravit mihi is ex literis tuis, te *sla-*

---

*) Ueber die *Anhänglichkeit und Ergebenheit der slavischen Völker* an das Erzhaus *Oesterreich*. Vorgelesen den 25. Sept. 1791 im Saale der königlich böhmischen Gesellchaft der Wissenschaften in Gegenwart des *Kaisers Leopold II.* 4°. Prag 1791.

**) Geschichte der Böhmischen Sprache und Literatur. Prag 1791. 8° str. (IV) 219 (I).

vici nominis originem a rad. *sakal*, ut *Sclavi* rectius dicantur quam *Slavi*, repetere. Utrum serio ita sentias, nescio. Opinionum campus patet quam latissime; hoc autem certum teneo *Sclavorum* corruptum esse vocabulum, neque aliunde quam a *slowo* seu *slawa*, seu *slowu* repetendam vocabuli et appellationis generalis originem esse. Sentiat quisque, quod vult — P. Faustinum nuper fassum, se jam in eam inclinare sententiam, quae vers. boh. nihil habere communis originis cum slavica, lubens audivi. Is enim nunc, uti noris, notis Vet. Test. inspergendis et textui limando totum se dedit. Biblia haec illustrata notationibus parat Schola normalis, ad usum nostrorum hominum. Novi Test. versionem recentissimam liberiorem et paraphrasticam nuper in lucem emisit d. *Pollaschek*, quondam Olomucii subrector meus, vir diligentissimus. Moravismis refertam tu dolebis. Is enim *Prziborii* in Moravia natus et educatus abnegare maternam linguam omnino vix potuit. Credo d. Zlobickyum jam habere exemplar, Brunae enim lucem aspexit. Indies hic exemplaria praestolor.

Non dubito, quin literas et oratiunculam germanicam coram Caesare defuncto recitatam acceperis. Sed tu nunc occupatior scribere distulisti. Quare opus fuit, te monere, ne me omnino vacuum dimitteres, ut saltem itineris difficultates jucundissima recordatione conjunctionis nostrae et studiorum nostrorum lenire possim. Vale jam quam optime meque ama, ut semper solebas.

LXXII.

1792 — 17. března. Durich odpovídá na list předcházející, zmiňuje se o Hradeckém rukopise, podává podrobnou zprávu o prvém odstavci svého úvodu ke spisu »Bibliotheca slavica«, a zakončuje mimo jiné zmínkou o spise Schmidtově: Ward das Christenthum in Böhmen von Methud nach den Grundsätzen der griechischen oder lateinischen Kirche eingeführet?

Viennae 17. Martii 1792.

Josepho Dobrowsky Fort. Durich s. p. d.

Quod primum nosse cupis: vitam Procopii a d. prof. Zlobiczkyo me necdum recepisse ita te certiorem reddo, ut tamen in futura illius operis repetitione interpellatum te velim, ne quid offendiculi hujus rei causa in me recidat; quum mihi jam eo tempore, quo primum tibi scripseram necdum usui meo impetrare potuisse praefatum MSS., tantisper indignatus fuerit, causatus circa usum diuturniorem nihil difficultatis esse, quum rem hanc tecum jam confecerit; vellem proin patientiam habere. Tu igitur in repetendo velim proprio motu agas, etiamsi laudato MSS., quod tamen summopere cupiebam, in his rerum circumstantiis amplius uti, ne tu tam pretioso thesauro diutius careas, omnino desperem. Itaque per currum diligentiae, ut vocant, ut primum d. Ricžel huc rediverit, ad P. Chrysostomum mittam tua collectanea varr. lect. slavon. et, quidquid de MSS. vitae Procopii ordinaveris, sancte observabo.

Opportune accidit, ut tuam hodierna die obtinerem epistolam et in hodierna rerum novarum plagula tui futuri itineris literarii cum J. Comite de

Sternberg notitia daretur. Gaudeo igitur vehementer de communicato mecum tuo tam illustri ornandae universae Slavorum gentis consilio; eoque magis in sinu meo gaudeo tibique gratias ago pro illa animi tui promtitudine, qua mihi officia literaria promittis, quibus omnino complura meae Sciagraphiae capita ita poteris illustrare, ut maximum lumen tuis conatibus, qui semper tuo nomine gaudebunt, sint adquisitura. Praecipua igitur momenta, quae ad literaturam slavo-cyrillicam attinent, (nam in Glagolitica ex Tredjakowskii **Расговоръ объ ортографіи старинной и новой**, Petropoli 1748 in 8° maj. pagg. 460 hospites adhuc esse intelligo) in similem modum adnotata, ut sunt QQ. cl. Michaelis tibi notae, fasciculo addam tuorum Adversariorum.

Sed, essetne consultum Sciagraphiam totius operis mei, quam paratam habeo et mox dicto fasciculo adjungam, duobus vel tribus exemplis descriptam eo fine ad te mittere, ut ea cum eruditis viris in Russia cum primis communicando cognoscere valeas, an spem concipere possim plurium distrahendorum exemplarium; cognita nimirum erga Sciagraphiam animi propensione vel magis reperto quodam literaturae communis amico et promotore. Sed veniam dabis prius te interpellanti veterano fidelissimoque tuo amico, nolenti sine tuo judicio typis edere novam opinionem vetustissimis monumentis historiae nostrae, immo et tuis conatibus innixam. Patere, ut prius introductionis cap. I, § 1. pericopam, qua meae opinionis quaerendae rationes proponuntur, perscribam: Quum antiquiora sint apud illos pacis quam belli studia 7), et ipsi in densis et aditu difficillimis locis, sparsim et rare positis vilibusque tuguriis 8) habitare gauderent; nescio, quam ob causam *gloriosi* a populari vocabulo *slawa* nuncupari vellent in humilibus casis, qui in urbibus Asiae et Europae *Sclavani* vel *Sclavi* constanter antiquissimis temporibus appellabantur 9). Num alio ingenii more nominari voluit natio haec universa, quam divisa in varias stirpes? Haec ipsa etymologiae ratio ductis a diversitate locorum et situ diversis nominibus familiarum sclavonicarum 10) induxit duos diligentiores rerum nostrarum investigatores Josephos, Heyrenbachium et Dobrowskyum, ut Jordanis auctoritate, de ingenio *Sclavanorum* topographico in re onomastica usurpato, chorographice atque historice expensa, ille maluerit nomen *Slavorum* literis *Σκ* — sive Sc — sub initium perscribere, monens: controversam laudati nominis orthographiam adhuc dignam esse, quae diligentius examinetur; iste operam se perdidisse asserat in Luciana 11) orthographia *slavonici* nominis topographicum etymon investigando. 12) Non dubito Heyrenbachium, Bibl. Palat. custodem, qui res sclavano-austriacas diplomatice primus 13) illustravit, veterem *Sclav.:norum* nominis orthographiam vindicando, suae disser. diplom § X° innuere voluisse antiquum ac celebre *Burgum* — ut hoc medii aevi vocabulo utar — Austriae inferioris *Scala* nuncupatum, atque *rivum Scalaha in comitatu Arbonis* decurrentem. Sed, cum viro fidei historicae tenaci defuerit auctoritas veteris cujuspiam scriptoris, qui vocabulo integre perscripto SCALAVANOS memoriae prodidit; maluit ille productis rei melius investigandae monimentis commonere futuros scriptores sclavonicos, quam asseverare aliquid citra diplomaticae disser. institutum. Notius profecto est, quam ut ego heic comprobare studeam, quantum rei historicae obsint plus justo nominum etymo-

logiis innixae scriptorum rationes: felicior itaque aliis hac in re mihi videtur fuisse Heyrenbachius, quod Joannis Lucii sententiam de causis *Slavorum* nominis a Graecis et Latinis epenthesi lit. *k.* aut *c.* perscripti, minime sequutus, ad laudati nominis originationem, ex ingenio *Sclavanorum* a Jordane descripto, et fide monimentorum repetendam, propius accesserit; atque *Sclavorum* in Austria popularium conditionem ingenuam 14) fuisse, contra eos, qui non nisi servos et mancipia in hoc nomine vident, antiquissimis asseruerit Austriae diplomatibus. 15) Jam isto Heyrenbachii historico conatu Nestor crypt. Kiowiensium monachus illustrari potest, qui *Slavos* antiquitus *Noricos* fuisse nuncupatos perhibuit; si quidem is noverat, quid *Noricorum* nomine sua aetate comprehenderetur: hoc enim sensu Sclavani intelligerentur meridionalis ripae Danubii accolae, de quorum transitu in hanc regionem apud scrip. hist. Bysant. spectatis temporibus Heraclii imperium antecedentibus, nihil memoriae proditum occurrit. Sed, quia Lucianae *slavici* nominis orthographiae causas publici propemodum saporis factas esse novi, pace omnium Lucii sectatorum dicam: virum hunc praeclare de rebus *slavicis* meritum palaeographico errore veram originationis literam radicalem in *Sclavanorum* nomine primum omnium perdidisse. Inanis enim est ratio, literam *k.* vel *c.* interpositam fuisse a Graecis et Latinis, *qui SL pronuntiandi usum non habeant*; gentes quippe usum hujus enuntiationis habentes, tamen sine consonante *k. Sklavos* non nominant; immo nec ante Jordanem et Procopium centum, et quod excurrit, annis prius Armeni nominarunt 16). (Necesse habeo heic tibi praesentis notae auctoritatem adferre, de qua pluribus alibi agitur: »Thracia Dalmatiae, ad orientem versus euntibus, finitima est. Complectitur Thracia regiones minores quinque, unamque maximam, in qua sunt *Scalavorum* (Սկալաւացւոց) genera viginti et quinque. In quorum locum venerunt Gothi. Habet montes et fluvios et urbes et insulas et paludes et metropolim felicem Constantinopolim« — ita Moses Chorenensis geographiae suae edit. Londinens. a Whistoniis curatae a. 1736. 4. pag 347. Armenam constructionem reddente prof. Alter, ut minus dubites. Memineris autem Armenis usum esse junctarum vel sub principium lit. Սլ = Sl. ցւոց est terminatio gen. plur. nomin. gent., ut in gramm. armen. cl. Schröderi videre potes, qui tempus quoque descripsit, quo Moses Chor. floruit. Fratres Whistonii intercedente inter an. 431 et 451 aetate Mosen scripsisse propugnant. Erat is unus ex interp. Armen.) Et nonne? in Junonali sacra mensa Herculanensium legitur L. SLABIIS. [L. Slabius]. Veteres quoque una literarum serie distincta vocabula scribentes, an difficulter, desinentem in S, et ab L inchoatam, dictiones istas *cantici Arvalium* ENOSLASES (*nos lares*) 17) enuntiaverunt?

Haec interim ex § 1. tecum communicata sufficiant. Ut ad rem propius accedam, ex consequentibus §§ rationes contraham, quo minus tibi molestum accidat, et intelligas, quo sensu tibi referendum erat, me a Skala, cujus utique rad. est סקל, sicut tu *hora* radicem nosti.

Slavorum vel potius *Sclavorum* originem monimentis historicis et moribus majorum nostrorum fulcitam deducere conatus fuerim, quin tamen superciliose illam velim tueri. Itaque pro fundamento mearum rationum pono:

1um Vetustissimam orthographiam Graecorum, Latinorum, *Germanorum* et *Slavorum* latine scribentium, nominis laudati esse non nisi *k.* vel *c.* inter lit. *S* et *l*, Hebrr., Syros, Chald., Arabes, Persas non aliter nisi per ק nostrum nomen scripsisse. Armenorum orthographiam mox descripsi. *Sla*vorum domesticam enunciationem quingentis minimum annis illa omnium reliquarum gentium juniorem esse non diffiteberis.

2um Mos erat Slavis, ut nosti, nomina *per varias familias et loca* mutare: nosti quid quaesiveris!

3^{ium} Jordanis melius Saxii editione Palat. sec. XII. exempl. MSS. membr. No. 237. locum nostrum classicum ita descriptum continet: »Introrſus illi dacia eſt ad corone speciem arduiſ alpibuſ emunita! iuxta quorum ſiniſtrum latuſ quod in aquilonem uergit et ab ortu uistule fluminiſ per immenſa ſpacia uuinidarum natio populoſa conſedit! quorum nomina licet nunc per uariaſ familiaſ et loca mutentur principaliter tamen ſclauani et anteſ nominantur! ſclauani a ciuitate nouietunenſe et lacu. qui appellatur murſianuſ. uſque. ad danaſtrum et in boream uiſtulatenuſ commorantur!« — ergo juxta sinistrum latus Alpium emunitarum consederunt hi, qui principaliter *Sclavani* nominantur.

4^{tum} Hos vetustior Jordane scriptor *Scalavanos* appellat; *Alpinos* dixerim celebrato nomine, a *Skala*, quod postea contractum fuit in *Sklavanos*, *Sclavos*; nosti illustres familias in Bohemia, Polonia, Silesia, immo antiquitus in Austria de Scala; Budiboy de Sclalicze nobili familia ducatus Silesiae subscripsit cuidam diplomati ut testis a. 1262. Mutarunt saepius majores nostri nomina, nec diffitebor majores nostros maluisse jam sub IX seculum domesticam nuncupationem tuae originationis, [velim hoc tantum parte aliqua intelligas] sed sensu Dubravii, Slavorum quum *Sclavorum* ob abusum hujus nominis apud allophylos; et hoc (quod ad grammat. attinet) auctoritate Passionalis boh. 1494: Zatrubi *ſlowenſky* (ῥηματικῶς); quid igitur prohibet, ne identidem *Slowen* vel *Slawan* vel *Slowan* dicatur *absolute*, sive *apocopate* a *ſlowný* ῥηματικός. In hunc itaque modum summam capitum introductionis meae per id tempus, quo adhuc Pragae mansurus es, tecum communicabo praesertim, quod attinet ad nostram veterem controversiam: non enim unam tantum vocem, qualem tu a me proferendam requirebas, in MSS° illo antiquissimo Evangeliario bohem., cujus nonnulla *tmimata* seu pensa integre descripsi omniaque glossemata et, quae ad rem philologicam nostram cum primis pertinent, ea, qua potui diligentia excerpsi, etiam, immo maxime tibi profutura. Negotium colligendarum symbolarum seu subsidiorum, quibus operis mei editio adjuvari possit, amicissimum d. Dlabacžium, quem ego impense colo, lubenter suscepturum gaudeo vehementer. Pro notitia praesentium studiorum, quibus P. Faustinus occupatur, gratias tibi ago; nihil enim mihi notum erat, nec scio, an ipsi gratae forent epistolae meae, quem tamen ego veterano affectu in sinu meo complector et gaudeo ab illo talia illustrandae rei patriae studia excoli, quem novi felici ingenio et ad eruditionem accedente industria praeditum.

Sed, quod ad d. Pollaschek opus attinet, ut opinabaris, doleo, etsi opus ipsum necdum viderim. Pro illo opusculo coram Caesare lecto **gratias ago**

majorique desiderio praestolabor auctiorem tuam histor. l. b. Estne tibi nota disquisitio: Historische Untersuchung der Frage: Ward das Christenthum in Böhmen von Methud nach den Grundsätzen der griechischen oder lateinischen Kirche eingeführet? Von Christ. Samuel Schmidt, Pfarrer zu Königshayn. Leipzig bei Kummer 1789. 92 S. 8°. Vid. Allgemeine deutsche Bibliothek, des hundertesten Bandes erstes Stück. Berl. S. 174—176. Quam cuperem, si mihi eam per id tempus procurare posses pretio impensae a P. Chrysostomo repetendo, qui eam tuae historiae adjungeret. Non te vacuum dimittam, quum tibi tam jucunda sit recordatio conjunctionis nostrae et studiorum nostrorum; atque compendiosum viaticum literarium brevissime describam, ut vivae manus vestigiis ad mei recordationem crebrius inducaris. Vale quam optime, et proxime alias literas daturum ama, ut semper solebas; nec tamen voluntate respondendi tibi breve jam et tuis sarcinulis literario itineri magis necessariis tempus excurrens, mihi impendere velis, donec summam responsoriae epistolae breviter dare valueris. Iterum vale.

LXXIII.

1792 — 26. března. Durich brání své mínění o vlivu staroslovanského překladu písma svatého na český překlad a přivádí příklady.

Viennae 26. Martii 1792.

Dobrowskyo suo dilectissimo Fort. s. p. d.

Servo fidem praesentibusque, ut equidem possum tibi satisfacio: primum summas tibi habeo gratias pro usu Adversar., quae cum omnibus schedulis remitto, ratus nullam defuturam, postquam lustraveris. Menses e MSS. illo slav. a te collectos in usum meum descripsi et differentias codd. illyricorum et russicorum, quas equidem ipse collectas habeo; sed tanto magis laetor, quanto major est in compluribus observationum consensus; quamvis opiner, has tuas *Notas generales* specimen primum esse hujus instituti, ut et voces slavicas: *ad normam graecorum* confectas. Ad has quod attinet, quia vel unicam a me exigebas, cujusmodi **srebrolubci** Vulg. *avari*, ex MSS. slavoboh. producendam, en tibi ex penso Evangeliarii: *Estote misericordes sicut* — cod. Palat 3130: lyczomyernyku. Matth. XV, 7: lyczomyernyczy = **лицемѣрн.** Sed in evangel. Luc. XIII, 15: ypokryty kazdy waſſ — (var. l. g.) **лицемѣре кождо васъ.** Vocabulum hoc a Cyrillo ad originem graecam, quod ad vim et potestatem vocis attinet, effictum esse, negare vix poteris, nisi vel ipsum ſrjebroljubci antiquius Cyrillo et omnibus Slavis commune (quod tamen vocabulum nostro sensu magis ad Evangelium pertinet) asseverare volueris. Nam et illud scripturarum vocabulum est, quod nec latinus interpres reddidit, et nostri codd. boh. identidem servant: *Pokrytcy.* Nosti ex ingenio Graecorum hominem significare, qui personam aliquam in fabula sustinet, id est *personatum* hominem seu histrionem, qui *faciem metitur*, imo mentitur; et ad sacratiores scripturas translatum, *simulatores* significat, qui, ut Matth. VI, 16 habemus: *ἀφανίζουσιν γὰρ τά πρόσωπα κ. τ. λ.* et ut Arabs reddidit: *atras praebent facies suas, immutant eas.* Miraculi adinstar mihi esset, in hac

voce reddenda, tam verus, proximus, concinnus, graeco fonte cadens et ex vers. lat., in qua non redditur latine, vox laudata minime repetendus, Bohemi alicujus interpretis consensus cum illa vers. Cyrilli. Tute nosti, quum sint dispares versiones diversorum interp. vel in obvio sensu reddendo. Cur, quaeso, interpolator Evangeliarii slavo-bohemici Lucae XIII, 15 non est usus illo slavo-literali voce, quam duobus aliis locis servavit? quare non reddidit: geden každy z was in Vulg. enim est, ut equidem nostri sequiores codd. habent *unusquisque* geden každy etymologice — cur heic *každy waſſ* = **кождо васъ**. — Sed **лицемѣре** vel lyczomyernyku, ut supra, non conveniebat cum textu Vulg. *hypocritae*, quam ob rem potius vel ipsum Vulgatae nomen et casum bohem. infl. dedit: *ypokryty*. Non possum heic alia momenta, quae mihi adnotavi ad hanc vocem ex lex. Pambonis Beryndae, qui col. **ри҃: лицепріе́мникъ, лицемѣръ** voces ecclesiast. seu scripturarum exponit, heic perscribere, quia tibi expediendarum rerum tempore coarctor. Sed unam adhuc vocem et alteram adscribam brevissime, quas in Evangeliario inveni: semel *druhynoſt*, sed alia vice dydymus — nebo zradye wy naſſonmyech = **предадатъ бо вы на сонмы**. Adnecto heic promissam mei operis Sciagraphiam, quaeso, velis sincere tuam mentem atque judicium proferre et breviter mecum communicare.

Proxime plura, quae tecum conferre debeo, communicabo. Vale quam optime et redama te impense diligentem et parce velocissime scribenti neque epistolam relegenti amico sincero.

LXXIV.

1792 — 3. dubna. Dobrovský zmiňuje se o listu svém k Zlobickému, o nákresu Durichově, o Schmidtově spisu a vyvrací tvrzení Durichovo, že by jméno Slovanů mělo býti odvozeno od slova »skála«.

Pragae 3. April. 1792.

Fortunato Durichio Jos. D. s. p. d.

Hodie ad Zlobickyum dedi literas humanissime scriptas; neque tibi quid offensionis metuendum est. Manuscriptum tibi traditum serva, nam tua custodia satis tutum manebit; nisi forte alia via aut mittere velet aut plane adhuc retinere.

Si quaestiones ad illustrandam Slavorum literaturam miseris opportunas, carere Sciagraphia potero; nam quod censes pluribus exemplaribus expressam ostendere aliis, non multum juvabit propositum, nisi malis Sciagraphiam typis editam in publicum diffundere ante, quam edendo integro operi te accingas. Interim uno Sciagraphiae exemplari vellem, ut me dones ante discessum meum.

Schmidtii opusculum mihi est ad manus, volebam enim refutare auctorem, qui fere Hagecii auctoritate nititur; sed non putavi esse operae pretium — dabo igitur libellum P. Chrysostomo.

Gaudebo, me rationibus a te productis victum, quod controversiam de origine vers. boh. vel saltem lectionum evangelicarum attinet. Psalterium

antiquum, cujus nuper fragmenta recitavi, certo originem talem non agnoscit; idem de aliis bibliorum partibus valet.

Etymologiam Sclavorum a scala plane non possum probare, non quod olim aliam dederim; mallem enim etiam nullam dedisse; quid enim commodi adfert etymologica nominis investigatio? Sed illud continuo sustinebo, pronunciationem slavici nominis veram et genuinam esse nostram domesticam, *omnibus* plane Slavorum populis communem, sive *Slowakos* sive *Slavanos* sive *Slowinec*, *Slowinac* sive *Slowanos* enuncient. Unde, quaeso, tanta nominis (quoad *Slaw* et *Slow* seu radicem nominis) consensio? Nec caret auctoritate antiquitatis, ut eam non possis *Lucianam* nominare. Nestoris certe annales hic maxime respiciendi sunt, quod slavice scripserit. Graecos ac latinos scriptores nihil hic curo; nam in *Vislae* nomine scribendo, adeo variant, ut appareat, illos concursum *sl* noluisse exprimere. Inscriptio vetus, quam producis, annon contracta est? nam nomen ullum latinum a *sl* incipere vix docebis.

Demus etiam a *Skala* nominatos *Scalatos,* Scalnatos, Scalowos, Scalnos (etiam, quamvis a communi adjectivorum formatione deflectat derivatio, *Scalawane*), quommodo, quaeso, factum est, ut *a* primae syllabae radicalis extruderetur a slavice loquentibus — oportuisset contractum inde oriri *Skalwane* et non *Sclawane*. Scis enim, quam constanter Slavi retineant vocales *a* vel *o* in syllabis radicalibus.

Auctoritatem Mosis Chorenensis objicis mihi. Quid inde lucri. Antiquitatem ejus non nego interim, sed geographiam ejus (quoad hanc [et certe alias partes] descriptionem, si recte interpretor *Serviae* et *Bosniae*) interpolatam ex graecis auctoribus miror te non advertisse, cum Slavos ante Gothos habitasse ibi, aut suo jam tempore (431—451) commigrasse Slavos in Illyricum referat, quae omnia non nisi de sexto aut septimo seculo dici poterant. Quare *Sclavanos* interposita vocali a *Scalavanos* maluerit dicere, corrumpendo iterum jam a Graecis corruptum nomen, reperies fortasse, si investigare volueris. Si Armenus ex ore Slavorum nomen accepisset et non e lectione graecorum scriptorum, profecto is nomen nostrum recte expressisset. Oportuisset sane editores Mosis Chor. acutiores fuisse, utne geographiae partes omnes ejusdem censerentur esse aetatis, cujus est auctor primus operis inchoati, dein continuati ab aliis et interpolati. Aliis exemplis possem illustrare opinionem meam. Sed tu ipse jam perspicies, quibus rationibus elevari possit auctoritas geogr. armenice scriptae. Mihi locus iste ignotus non fuit, quamvis originalem scriptionem nunquam inspexerim. Cf. Schlözeri Probe Russ. Annalen p. 54. notam 5: »Doch alle diese Stellen brauchen künftig eine nähere Beleuchtung.« Illi Graeci (*ϑ*) certe, qui *σϑλαβ* — scripsere pro *σκλαβ* — magis accesserunt ad veram pronunciationem, cur receptam *σκλαβ* non retinuerint, illud in causa est, quod observassent, *σκλαβ* differe a *slaw*; conati igitur sunt alia scriptione reddere verum nomen. Multi sunt praeterea populi, qui puram pronunciationem *τοῦ* Slav, uti Angli, Saxones infer., Dani, etc. retinent.

Nescio, utrum uni alicui e gente nostra persuasurus sis, veram enunciationem nominis, cui inuitur originatio tua, e Mose Chorenensi repetendam

esse. At defendat quisque, quod sentit, sunt enim judicia libera. Optarem tamen, vel historiae slavicae causa, ut Mos. Chorenensis locum illustrares potius et ostenderes, non posse eum de aetate hac intelligi, quo facto ipsa etiam etymologiae ratio concidet.

Tuus. — Vale jam et me ama, absentem etiam.

LXXV.

1792 — 9. dubna. Durich mimo jiné slibuje, že úvod k svému spisu »Bibliotheca slavica« poněkud změní, brání Mojžíše Chorenenského a pojmenování Slovanů »Sklavani, Sclavi« proti Dobrovskému a zakončuje svůj list některými přáními.

Viennae 9. Aprilis 1792.

Josepho Dobrowskyo suo Fort. Durich s. p. d.

Quod ad Sciagraphiam operis mei attinet, jam haec una cum *Adversariis* tuis ad P. Chrysostomum perlata est, ut hesterna die ex eodem, qui singula Pragam pertulit, intellexi, obtenta per eundem amicissimi Dlabačžii epistola et munusculo literario ipsius nuper boh. nostris rebus illustrandis edito, quem, si prius conveneris ac ego scripsero, velim te interpellatum, ut meo interim nomine gratias ei habeas meque excuses differentem epistolam occupationis causa in opportuni temporis spatium, quo ei ad *magistri Hanussii* meam quoque symbolam inscriptionis bohemicae *Hrussticzensis* campanae conferre possim de anno 1492. Dignus sane foret *Hanussius* biographia identidem ut *Hieronymus de Praga*, qui cum cives Pragenses fuerint, ex fastis civium Pragensium, quia tempus exercitae artis tenemus, idoneae notitiae a Dlabačžio conquiri et artis metalla fundendi a nostris hominibus cultae, ab illo illustrari possent.

Sed ad te regressus, rogo, velis ad P. Chrysostomum digredi in Bibliothecam iturus vel mitte ad eundem, qui supra memorata *Adversaria* ad te perferat. Sciagraphiam seu conspectum totius operis typis are intendo sub initium introductionis, quae vol. I° continebitur. Sed illam sub initium aliqualiter mutabo tui causa opinionesque praecipuas, ne quid in hac introductione desit, una cum Mosis Chorenensis loco, ut equidem potuero, illustrato, ita proferam, ut lector seligere valeat, quod ei veritati proximius videbitur; non ut ei quidquam importune a me obtrudatur. Mosis Chorenensis geographiam interpolatam esse, quod ad voces armenas recentioris aevi substitutas aliis antiquioribus attinet, ex thesauro l. armen. didici; sed etiam de vindiciis auctoritatis tibi constare debet. Promisit Johannes Sorab, monachus Armenus in conventu Veneto Megitarensium, ubi duo codd. MSS. recentiores quidem, sed ex antiquis exempp. sumti, servantur, descripturum M. Choren. laudatum locum et prof. Alterio missurum; sed necdum misit. Tu fors omnes codd. interpolatos arbitraris et praecipue nostrum locum. Nescio, an eam diligentiam per otium adhibere potueris, ut asseverare valeas: non posse eum de aetate hac intelligi tuis rationibus inductus. Sed recte conditionem praemisisti: si *recte interpretor Serviae et Bosniae*. Primum quidem meminisse debes, te vehementer falli, si credas ea, quae de Getis et Slavis, de transitu Danubii

a Slavis facto, de antiquissimis Slavorum sedibus unde migrationes primae contigerint, passim in historiae nostrae recentioribus scriptoribus propugnantur, tanquam senatus consulta literaria habeas. Singula enim momenta egent meliori discussione, et quod ad primum momentum attinet, nosti novos Göttingensium conatus (Göttingische Anzeig. 198 Stück: Vorlesung am 19. Nov. d. H. Gatterer); de altero Kol. in Amoenit. J. Hung. aliquid agere incepit; sed felicius *Heyrenbachius* in MSS., qui et tertium momentum hac ratione attigit eoque suspiciendus, quo ad Nestoris annales, quos recte respiciendos hic mones et ego quoque maxime respicio, quum slavice scripserit, immo de suis hominibus plura melius nosse potuerit. Itaque locum ex edit. Petropol. typis Academ. scient. 1767 **года, Библiот. россiйск. историч.** Часть I. Nestoris juxta exemplar Regiomontan. de pag. 6. sumtum expende primum »**По мнозѣхъ же временехъ сѣли суть Словене по Дунаеви, гдѣ есть Угорская земля, и Болгарская земля; и отъ тѣхъ Словенъ разыдошась по земли, и прозвашась имены своими, гдѣ сѣдши на какомъ мѣстѣ.**« Hos autem Slavos in contextu praecedente Noricos nuncupatos ait: »**нарицаеми Норици, иже суть Словене.**« Moses Chorenen. scripsit ex Pappo, Alexandrino philosopho, qui Theodosii Magni temporibus vixisse a Suida (in *Θέων* et *Παππος*) traditur, cujus imperium incidit in a. Chr. 379—395. Pappi illius *Χωρογράφιαν οἰκουμενικήν* lingua armena reddidit Moses Chorenen.; locus, de quo controversia est, ita legitur: »Complectitur Thracia regiones minores quinque, *unamque maximam*, in qua sunt *Sclavorum* [Սկալաւացւոց] genera viginti et quinque. In quorum locum venerunt Gothi etc.« Ad hunc locum intelligendum memineris dictorum Strabonis lib. 7. pag. 294. — Proinde Graeci Getas existimaverunt esse thracicam gentem. Hi Getae ad utramque ripam Istri accolebant, Mysi, ipsi quoque Thraces, (et paulo post) nam etiamnum permixtae sunt istae et bastarnicae gentes Thracibus, magis quidem iis, qui extra, sed iis tamen quoque, qui intra Istrum accolunt«; p. 303: »Equidem nostra aetate Helius Catus ex trans Istrum sitis partibus a Getis, quae gens eodem cum Thracibus sermone utitur, in Thraciam ↀ hominum traduxit: qui nunc ibi habitant, et Mysi appellantur, sive antea aliter appellati.« (Memento, in quem modum me aliquando monueris epistola XXXV.*) mei ex tuo thesauri, commercii epist.: »Utinam linguae thracicae vestigia exstarent plura, — hanc ego inter latinam et germanicam quasi medio loco pono, ut per eam nexus slavicae cum latina explicari possit facilius.« Nunc itaque non miraberis, quibus de causis ille anonymus presbyter, Caramani adversarius, cyrillicum sermonem barbarum, *geto-thracio-graecum* appellaverit.) Dices: cur istas de Thracibus memorias Strabonis coacervaverim? ad tuam conditionem: *si recte interpretor Serviae et Bosniae* — ego vero, si recte interpretor, adhuc ultra Danubium vel potius Istrum me contineo: **по Дунаеви** etc., ut supra, rogans, ut memor sis latissime patentis Thracum nominis et memineris, etiam Posidonium Europaeos, id est Thraces, vocare; et hoc equidem, ut tibi satisfaciam; caetera tu ipse nosti, ubi *Gothi* antiquissimis temporibus *in loca* Sclavorum venerint; quamvis, ut jam supra monui, de

*) Viz zde list LXV. (ze dne 2[illegible]. března 17[illegible]) str. 1[illegible]1.

transitu Danubii res egeat magna illustratione. Lege cap. 50 Porph. de Peloponnesi thematis Sclavis — et expende ista verba: »Et omnes quidem Sclavos reliquosque thematis Peloponnesi *nondum subjectos* vicit ac subjugavit.« Qui sunt illi *Sclabiſiani* irruentes, quorum adventum imperator veritus est, ne Sclavis conjuncti omnino cum themate Peloponnesi exuerent? Quid apud Villoison Proleg. XLIX. *Sclavochori?*

Crede mihi, nimium properamus, neque refrigerato inventionis amore, diligentius repetimus opiniones nostras, sed vitioso quodam anchiniae studio crudas adhuc proferimus in forum, quas domum relatas recoquere cogimur. Ne mihi quid recoquendum obtrudatur, malo morosum lectorem mearum recularum agere et veterum consensui, non tantum allophylorum omnium, Graecorum, Latinorum, Armenorum, Arabum, Persarum, Chaldaeorum, Hebraeorum, quod ad *k*. lit. in *Slavorum* nomine perscribendam attinet, ex monumentis certis, diplomaticis etiam atque antiquissimis prolato adhaerere (NB. quod ad tempora superioris millenarii attinet, immo usque ad sec. IX progressum, quo jam causae legitimae commutationis habentur, tantoque magis Nestoris aetate, cujus auctoritatem veneror, nec unquam ultra haec tempora *Sclavos* appellabo, sed *Slavos* NB. domestico vocabulo, quia de hac re certior historice reddor) verum etiam domesticorum, ut nosti, e seculo quidem undecimo subinde. Sed rarius etiam in diplom. observante Heyrenbachio [rei diplom. in hac Vindobon. univ. prof., rerum slav. studiosissimo, ut ita dicam, sed praemature mortuo] sine *k*. Fratres autem horti viridis in editione Firmiani Lactantii de a. 1476, quae servatur in Bibl. Palat. No. VI, 16 in membranis excusa, hanc subscriptionem dederunt: »Per fratres presbiteros et clericos congregationis domus viridis orti ad sanctum Michaelem in opido Rostockceñ. ꝑtium inferioris Sclavie.« *Lucianam* itaque non tam orthographiam, sicut causam ab eo, quia antiquiorem nescio auctorem, qui haec dixerit, insertae lit. *k* in Slavorum nomine prolatam, appellavi. Nestoris auctoritatem mihi notam esse poteras ominari, quem ego in originariis exemplis lego, praesertim in Regiomontana recensione, quam supra laudavi. Quodsi alium antiquiorem Slavum produxeris, non verebor mutare opinionem meam, etiamsi latine scriptum nomen proferatur sine *k*, ex quo enim tempore inconstantiam probaveris, tuae observationi ex nomine *Vislae* ductae lubens adhaerebo; quum sciam, quid ad te hujus nominis causa scripserim et mihi duae *Vislae* notae sint, quarum altera Porphyrogenito omnino *Visla* est, quum is scribat: »Venit autem posteritas proconsulis et patricii Michaelis *Βυσεβυτζη*, Zachlumorum principis filii, a non baptizatis accolis flumius *Βίσλας*, quod et *Διτζικη*.«

Nescio, an tibi locus notus sit Porph., quem mihi, totum Porph. legendo, ex p. II. cap. 33 excerpsi, tu vero tantum de una gentium nostrarum *Viſla* loquutus fueris. Nosti дичество, *ferocitatem*. Quod scribis: Mosis Chor. locum tibi ignotum non fuisse ex cl. Schlözeri Probe R. A. p. 54. licet originalem scriptionem nunquam inspexeris, utique egi, quod vir iste faciendum monebat, et conatus sum illustrando Mosis Chor. loco omnia observare, quae historicae fidei addictum hominem decent. Scio la Crozium Mosis auctoritatem variis modis impugnantem; sed Schroederi vindiciae sunt mihi potiores. Non habeo

tantum otii, ut in alia loca Mosis inquiram, an sint interpolata; sed laudatum locum nostrum, ut jam supra monui, tuis de causis interpolatum esse, necdum perspicio; quae enim heic animadvertenda erat diligenter, ut equidem potui, tamquam alienus lector essem, cum aliis antiquis scriptoribus contuli et Thracum causa Strabonem legi multaque usibus meis idonea inveni: si tu quaedam ex aliis auctoribus ad linguam thracicam pertinentia collegisti, cuperem, velles mihi tantum auctores indigitare. Pulchrum vocabulum nuper in annalibus Francorum inveni, quo Bulgari a. 824 aeque forsitan, sicut Abotriti suos legatos appellabant: *Praedenecenti*, quod (an Prednečetni? vel **предънѣцѣнии**, melius a **цѣнию** aestimo) cum Hesychii vocabulo *Προτιμουμενοι* etymologice convenire videtur; vide vocem *πρέσβυς* illustratam; sed tuum quoque judicium exspectabo, gavisus tamen sum illa voce reperta, quae mihi deerat ad vocabula antiqua officiorum apud Slavos; vellem tuam opinionem nosse, in quem modum illud praecipuum nomen officii literis cyrillicis scriberes; Zupanus, Zuppanus, Jupanus &c. diverse in diversis auctoribus perscriptum: an optime scriberetur **жѹпанъ**? et quid sit Žápa, quae Stranskium *nascentem prima vidit?* Non arbitrabar me tale spicilegium in mea Adversaria relaturum superioris millenarii vocum slavonicarum. Porro, quod dubitas ea de causa futurum, ut nulli persuadeam gentis nostrae slavicae homini, quia Mosis Chor. locum de aetate hac non posse intelligi asseveras, quo facto ipsam etiam etymologiae rationem concidere ais, scire non videris mihi, quod ad auctoritatem Mosis attinet, alicui cognatae gentis viro persuadendam, securum omnino esse me: lege Bibliothecae rossicae supra laudatae t. I°. Предисловіе, раздѣл. II. § 10. pag. 29: оное **доказывается и тѣмъ, что Моисей, Армянской писатель, прежде всѣхъ упомянулъ о имени Славянъ.** Me itaque jam praecesserunt viri, qui *demonstratione* hac usi sunt, quibus aeque illa etymologia lecto originario vocabulo: **прежде всѣхъ**, Mosis Chor. (*Skala*waczucz) in oculos *Skala* incidisset, simul pensi habitis rationibus tibi non ignotis, immo in inquirendo observatis, praesertim Jordanis: »*arduis alpibus* emunita, juxta quorum sinistrum latus — per immensa spatia Winidarum natio populosa consedit.« — A Skala nuncupatio praecipuae civitatis antiquissimae in Slavia austriaca et familiarum tum heic, tum in Bohemia, Silesia, Polonia &c., quas numeratas habeo, ut universam gentem antiquitus non puduerit a *Skala* nuncupari Skalavanos, non repugnante etymologia ipsi historiae, neque adjectivorum formationi: nam a díra recte dico: děrawý, a tma, tmawý, laſka, laſkawý, NB. a krew, krwawý, cur *non* succedente tempore, a ſkala, (ſkalawý) ſklawý (sicut contra tuam Dubravii reprehensionem grammaticam, inveni in Passionali nostro: zatrubí — *ſlowenſky* = *ῥηματικως* de S. Michaele. Memento, quid scripseris § IV.: wie soll ich es aus dem Worte Slowo — herausbringen, dass Slowan ein *redender* sey? Quamvis ab analogia seculi XVIII. ad analogiam primorum temporum, quibus haec formari cepit, sciam te nolle argumentari; haec autem dicta suscipias eo fine, ut tuo judicio, quod ad Dubravium attinet et meam, commutati Sclavanorum nominis cum *Slovanorum*, quatenus hoc historice per Nestorem nobis innotuit et nostrorum majorum ore traditum est, opinionem conformem monumentis certis innixam. Inscriptio vetus contracta non est:

nam veteres non ita contrahebant inscriptiones, ut opinaris, et quando contrahere +inceperunt, vel jungebant literas: ut I-ERMIAS, vel intra scribebant: DDCAV, vel sub finem abrumpebant, ut nosti: et Christiani ponebant *titulum* supra vocem contractam, quam ita, ut tu factum putas, contrahebant. Et nonne barbaras multas voces et Graeci et Latini iisdem literis perscripserunt? numquid Mirchondus, Abulpheda aliisque Latinis aut Graecis se institutis conformarunt scribendo صقلبي, aliis س pro ص ponentibus, סקאלניא et סקאלבא. Armeni tam vehementer consonantes coacervant sine vocalibus, ut nesciam, in quem modum dicere valeas Armenum *a* vocalem interposuisse, quorum multa sunt nostra et, quod praecipuum est, in numero et natura 7[tem] casuum decl. [non enim proprie plures suscipiendi sunt] etiam appellatione eorundem nobiscum, ut nihil dicam de antiquissima finium vel commercii qualiscunque vicinitate.

Sed jam complicare epistolam debeo et, ne tibi molestus sim, summa desideriorum meorum puncta notabo: 1. Quamdiu iter facturi sitis et quo tempore et quorsum ad te epistolam dare possem, an Mosquam visuri sitis? 2. Quid censeas de mea Sciagraphia et de quibus me commonere necessario velis, quum te absente I vol. saltem edere intendam? 3. Quum QQ. slavicae paulo aliae sint, omnes tamen philologicae et historico-literariae tuo usui profuturae, quas e Sciagraphia elicere nequaquam potes, cum sint singulares, ut illa de Bibl. slav. edit., quam Theophanes adornare volebat &c. illas paulum illustratas, ne cogaris inquirere diutius, destitutus libris necessariis in via, perscribo, et sub finem hujus mensis, ut primum potuero mitere, certo accipies. 4. Vellem te interpellare, si posses in Russia pro meo usu integra biblia slavonica bonae alicujus editionis mihi procurare, charactere non adeo minuto et nitidiore excusa. Vale, proxime aliam epistolam dabo.

LXXVI.

1792 — 13. dubna. Dobrovský odpovídá na předcházející list, táže se Duricha na vydání spisu »Bibliotheca slavica«, odporuje Durichově domněnce o jménu »Sclavani«, pokládá, že slovo licoměrník jest německého původu, zmiňuje se o slově *každý* a odporuje Durichovi strany vlivu slovanského na český překlad písma sv.

Pragae, 13. April. 1792.

Fortunato Durichio J. Dobrowsky.

Sciagraphiam operis tui, una cum chartis tibi olim concessis, accepi per r. P. Chrysostomum. Possem ante abitum curare, ut Sciagr. typis hic excudatur, eo solum consilio, ut hinc inde distribui possit. Vellem tamen, ut facultatem dares, paucula immutandi, qualia sunt: *inchoata* pro adornata vel plane sine addita voce ulla; *universae gentis* judicavit aliquis postponendum τῷ *dialecti*, cum non gentis bibliotheca sit, sed dialecti gentis universae. Pretium tomulorum tu statuere poteris in ephemeridibus literariis aut *novis*. Scire autem cuperem, quanto pretio unum volumen constabit, ut saltem instruere interrogantes possim; tum etiam, utrum omnia volumina

praelo parata sint, ob breviorem vel longiorem moram in edendis continuo tomulis.

Si forte sententiam tuam mutare velles, cuperem, ut §. ille de origine nominis Sclavorum aliter exprimeretur. Non dubito, te reperturum locum in graeco scriptore de *Illyriis* ante Gothos agentem, quo in loco Armenus male substituit *Sclavos*, uti alii Henetorum vocabulo falsi sunt; nisi forte tu plane sentias, slavicam gentem ante Justiniani tempora revera consedisse in Illyrico aut Norico. Nestoris ignorantiam facile excuso. Pelzelio et Procházcae exposui novam tuam opinionem de *Skalavis*, — subrisere ii et nihil aliud, quam *Slavos* aut *Slovanos* amplecti volunt. *Nicephorus* profecto cur scriptionem vetustiorem σκλ mutare voluit in σθλ-, nisi quod judicaret hanc magis accedere ad slavicum *sla* quam illam σκλ, quam origine sua gothicam pronunciationem referre ego quidem censeo.

Si tamen in sententia arrepta perstare velis, nihil morabor et faciam excudi omnia, uti a te concepta sunt. Patieris certe, ut vel ego auctoritatem Armeni elevem et reliquas rationes omnes eximinem aliisque nostram scriptionem et pronunciationem propugnem, loco suo et tempore dato. Sed satis de his. Nunc veterem controversiam attingamus.

Nostrum *licoměrník* ex slavico sumtum putas, uti hoc ex graeco fonte deductum, quoad sensum. Sed pace tua dicam, vocem hanc, cujus etymologiam saepius tentavi, plane non esse slavicam, sed origine sua germanicam; nam hodiernum *Gleissner* veteres varie efferebant, primum ommisso praefixo *g* leissner — pro *ei* antiqui *i* amabant, habes jam *lissner*; alii pro gleissen dicunt gleimen (olim gleissmen), habes *lissmer* — effer jam ore slavico et agnosces *licemjer* esse originis germanicae. Confer Adelungii Lexicon voce *gleissen*; Notkeri *glizeme*, splendor — Isidori *chiliihsamo*, simulatio. Ergo vocem hanc Slavi a Germanis ante Cyrillum sumserunt; uti ipsum *gleich* in *lihh* mutarent Carantani; vide *Marci* lexicon carniolicum.

Každý antiquius est ipso Cyrillo et gedenkaždý imitatione Latini unusquisque effictum. P. *Procházka* plurimis in locis nunc pro gedenkaždý substituit každý, quid tum? Si constructionem každo wás in boh. vers. legerem, mirarer utique. *Dydymum* quomodo reddiderit (vere) Cyrillus, nescimus, cum codd. varient. Bohemus suum druhynoſt effingere potuit, sola Hieronymi vocum hebraicarum expositione adjutus; nihil opus habens graeco fonte.

Vocem *naſſonmyech* miror, cum vocem hanc in aliis monumentis antiquis certe sic scriptam non invenerim. Sed, quaeso, inspice semel atque iterum *o* post *ſſ*, utrum non sit *e*, quod subinde vix differt ab *o* in manuscriptis. Quodsi *naſenměch* legendum sit, nihil res habet difficultatis, cum nostrum *ſněm* olim senm, saltem in obliquis senmu pro sněmu efferri potuerit; nam polonicum *seym* quid est aliud quam *senm*, mutato *n* in *y*, uti solet quandoque. Cum casum Boh. non servârit, nec puto vocem e slavico fonte sumsisse, etiamsi *sonm* vere scripsisset.

Supponamus ante Cyrillum extitisse Evangelia slavica pro usu clericorum ad Slavos Moravos, Bohemos Laureaco missorum, — quid difficultatis habet, si dicamus, pauculas voces ecclesiasticas, nobis et cyrillianae versioni communes, pervenisse ante Cyrillum ad nos per germanos praedicatores, cum

alia vestigia nos destituant, quibus boh. vers. ex slavica ortam ostendi possit. Vale jam et nihil tribue alii alicui affectui, quam meo in te amori.

(10 circiter Maji abituri sumus).

(Na zvláštním lístku psáno:)

Primo intuitu vix agnosces in voce *licomier* originem germanicam; sed collatis dialectis res evidenter ostendi potest. Sueci habent verbum *lisma* (lismen) et *lismare* (lismer), quis non videat slavicum *licoměr*? De aliis vocibus ecclesiasticis a Germanis immediate sumtis (mediate a Latinis), nihil addam.

LXXVII.

1792 — 16. dubna. Dobrovský podává zprávu o směru své cesty, zmiňuje se o Durichově spisu »Bibliotheca slavica«, připojuje některá přání o něm a pojednává o pojmenování Slovanů.

16. April. 1792.

Fortunato Durichio suo Josephus Dobrowsky.

De iis, quae scire desideras, sic habe: iter nostrum prosequemur per menses facile sex a 10 Maji incipiendo, Stokholmiam primum, dein Petropolim, Mosquam tendemus et, si per metas Tatarorum licuerit, lustrabimus Caucasi incolas Tschechos? Literas tu a me accipies iis ex locis, ubi diutius commorabimur, quibus notum tibi faciam, qua ratione tuae ad me dari possint literae.

De Sciagraphia quid sentiam, jam nuper scripsi. Mallem tamen in titulo exprimi post vocem Bibliotheca — *slavica*, uti habemus Bibl. arabicam, hebraicam etc., ita ut integer titulus legatur: Bibliotheca slavica, antiquissimae dialecti communis et ecclesiasticae universae Slavorum gentis. Caput primum introductionis, velim, ut paullum immutes. Versus Passionalis nescio cur pseudorhytmicos appelles. Alia omnia, uti totius operis adumbratio mihi placet quam optime. Immo hoc quoque probo, velle te protrudere in publicum introductionem, ne lectores Sciagraphiae taedium concipiant ob longiorem moram aut plane de edendo opere (uti Schimekiano) plane desperent. Quaestiones slavicas, quas mittere cogitas, grato animo et ad inquirendum parato accipiam gaudeboque, si tibi satisfacere potuero. Dabo quoque operam, ut slav. bibliorum exemplaria acquiram et ad patriam nostram referam. Dlabaczio legi pauca illa, quae eum scire volebas.

Conspectus operis utique initio introductionis ponendus est et lectorum obtutui objiciendus; sed ego in media plagula seorsum excudendum puto, ut commodius et latius spargi notitia de concepto opere possit. Deinde consulerem, ne tu impensas feras, sed negotium sub conditionibus committas bibliopolae cuidam. Sed haec tu fortassis jam examinaveris.

Pelzelius haesitavit paulum, dum c. VIII. de duplici dialecto slavobohemica legeret; ipse ego metuo, ne forte exempla accumules, quae in vulgi sermone pariter frequentari consuevere. Novi ego ex Moravia dialectorum vulgarium etiam diversitatem. Eidem appellatio nostrae dialecti, qua slavo-bohemicae, non placet. Fere idem sentio, nam potius bohemo-slavica

dicenda esset aut simpliciter bohemica. Verum haec minutiora sunt, quam ut tecum contendere velim. Majoris momenti sunt, quae de Slavorum sedibus et nominis appellatione monuisti. Ultra Danubium Slavos habitasse ante s. VI. mihi non possum persuadere. Quae de Norico habet Nestor, uti quae de Illyrico, ab ignoratione geographiae et antiquioris historiae certo profecta sunt. Quae de Scalavanis Moses Chor. habet, fere cum iis conveniunt, quae de *Alanis* lib. X Strabo refert; ipsis nimirum 26 esse linguas. Sed de loco mihi suspecto deque auctore incertae aetatis nolim pluribus disputare. De scriptione sola nominis hic agitur. Quis, quaeso, ambigat, in Byzantinis legens Slavos *ασθλαβȣς* scriptos, scriptionem ad genium linguae graecae accomodatam? Similiter sentiendum erit de *Scalavanis*; nam videndum erit, utrum Armeni consonantes has *s*, *k*, *l* continua serie conjungere soleant. De Germanis quibusdam (nam Dani, Sueci, Angli *sl* amant, pro quo Germani superiores malunt *schl*) et Graecis ac Latinis cuilibet inspicienti eorum lexica patet, nec opus est, ea de causa, dubias (quoad scriptionem) inscriptiones huc adducere. De Thracum lingua ita omnia confusa sunt, ut nihil certi inde elici possit, quia Thracum nomen nimis late patebat olim, quo tamen diversissimae nationes comprehendebantur. *Pizzagalli*, abbas Italus, Pragam nuper veniens, dissertatiunculam obtulit mihi de Thracibus eorumque lingua, quae non nisi notissima repetit. Vocem *σαναπαι* ex Ammonii scholiastice tibi notam suppono. Reliqua sunt fere talia, qualia tu ipse adtulisti ex Strabone etc. Porphyrogeniti locum facile conciliari posse cum Procopii aliorumque narrationibus mihi saltem videtur. Video jam te hypotheses sequi longe alias, aut potius de rebus, quae in lucem assertae sunt, iterum dubitare. Quis investigationibus curiosorum statuat finem aut modum? Magis me angit te eo inclinare, ut putes scriptionem *Sclavanorum* praeferendam *Slavis*. Russis alia etiam persuadebis, uti Lomonosow nescio quae de gente slavica initio hist. suae agens, persuasit; gaudent enim illi antiquitate, uti illustres familiae, suspecta etiam. *Skalník* (aviculam nosti,) si quis eandem avem putet, quam nos *slawík* dicimus, ridendum se nobis praeberet, quia radices *slav* et *skal* constanter distinguimus.

Schlesios dum Germani pronunciant, eos corrigere solemus nos, qui slavice scribimus, quia Slezanos a Slezy pronunciamus — ita de aliis judicandum est. Germanum quis curat, dum Slowakum, hodiernum etiam, Schlowak — nominat? Stritteri tom. II. p. 71: Nicephorus *σλαβηνα* (sine k) *πληθη* scripsit; in Paulo Wanefrido lib. 6. c. 24. *Slavos* (edit. Lugdun. an. 1677. Bibl. maximae patrum) scribi in adversariis meis notatum lego. Tu dices librariorum incuria hoc factum fuisse, ego veram lectionem aliquibus saltem locis servatam asseram, quis rem dirimet? Frustra in scriptoribus exteris veram lectionem quaerimus, non quod inveniri non possit, sed quod rem superfluam putem alibi quaerere, quod domi habeamus. De etymologiae ratione non jam disputabo, quamvis *skala* non montes, sed petram denotet, cum primum illud de syllaba *sla* aut skala dubium removendum sit. Ex voce *ſlowenſky* in Passionali reperto nondum sequitur, *Slovan* esse *loquentem*. Nam *ſlowenſky* neutraliter accipiendum est, non active, a *ſlowu*. Nec ego s. IV monens, *Slovan* non esse loquentem, quatenus opponitur muto (Njemec) opinione illorum, qui talia

asserunt, impugnavi Dubravium. Dubravii opinionem ego ipse probo, hoc solum discrimine, quod ego non de lingua (nam ille *slovo* pro lingua accipit) sed de singularibus appellationibus tribuum vocem *Slovan* usurpatam velim. Antequam enim nomina praecipua et propria haberent gentes nostrae, *Slavane* dici non poterant. *An* nominibus locorum additum idem est atque *ak*, ut Slezan, Slezak — ego *Slovan* a *slowy* vel *slawy* appellatione regionum slavicarum derivatum puto; et provincias ac regiones proprias dici potuisse *slowy* n. plur. vel *slawy*, quatenus ignotis, exteris regionibus oppositae, non erant ἀνώνυμαι, ἀνωνόμασται, et ἀνονόμασται obscurae, ignobiles. Slowenſká kragina quid sit meo sensu, jam vides. Si Dubravii etymologia placet, quatenus *Slovanos*, quasi *ἰδιογλώσσους*, *ὁμογλώττους*, *ὁμοφώνους* dici voluit, nihil abnuo, quamquam in voce *Slowan* illud *ὁμο* et *idio* non possim subintelligi. *Forsterus* voce *slawa* tribum denotari dixit, at cujus auctoritate? Et tamen per vocem *slowo*, subintelligendo *ſwoge*, *wlaſtni*, distingui tribus potuisse, negari non potest; ita ut *ὁμοφύλους* se Slavi nominare potuerint, uti peregrinos Graeci *ἀλλοφύλους* vocant. Sed quid opus est, crambem recoquere? Quocumque inclines, mihi perinde est, modo barbaram ac exteram scriptionem domesticae non praeferas. Porphyrogeniti *βισλαν* non novi; ejus aevo jam rectius scribi poterat, cum slavica quotidie audiret. Utrum *σκλαβηνους* scripserit, nescimus, nam exemplaria, quae supersunt, certe orthographiam veterem non retinuere in omnibus. Vivae vocis oraculo in his, quae universa gens confirmare possit, standum est. Župan recte legi omnino certum est. *Zápy* dicitur locus, ubi Stranskyus natus est, non Žáp, i. e. z non ž.

LXXVIII.

1792 — 21. dubna. Durich podává zprávu o změně úvodu k svému dílu »Bibliotheca slavica«, zmiňuje se o ceně díla svého, které odporučuje, zemře-li, péči Dobrovského, vyvrací některé výtky a končí svůj list drobnějšími zprávami.

Viennae 21. Aprilis 1792.

Josepho Dobrowsky Fort. Durich s. p. d.

Jam ex meis nuper ad te datis literis intellexisti, in quem modum commutare velim illud *introductionis* in Biblioth. slav. cap. I., etsi aliquot philyras munde descriptas antiquare necesse sit, ut voluntati tuae obsequar. Formulam igitur commutationis hanc accipe: Caput I. Slavicae originis populorum nomen commune variis rei historicae monumentis illustratur et a servilibus notis, abusu veteris orthographiae *Sclavorum* maxime inductis, gens eorundem atque dialectus illa cum primis vindicatur, quam literalem vocant.

Hac ratione spero futurum, ut nemo tam facile offendatur, prout neque ego offendor, dum quidam amicorum subrident audita opinione mea, quam ex historicis monumentis antiquissimis non violenta et inani etymologia, sed sponte comparatis Slavorum rebus natam duxi; non ut laureolam in mustaceo quaeram, sed gentis nostrae amore, dum alii veteris orthographiae consensum etiam apud nostros homines propagatum antiquitus certis monumentis tuentur, alii, ex nostris etiam, identidem citant authores, qui *Sclavorum* nomen

servilibus notis compungunt, ut fecit ille tibi utique notus Aur. Bullae *expositor,* ad quem nihilominus nobis iratum et literaturae nostrae minus gnarum hominem lectores remittuntur.

Velim salutem plurimam dicas cl. cl. amicis et, quod ad eorum voluntatem attinet, nihil aliud, quam *Slavos* aut *Slowanos* amplectendi, istis verbis viri illustris B. A. Kercselich de Corbavia respondeas: »Decreta legum publica, nummi veteres, *Sclavoniam* scribendam evincunt, ut ubivis scriberetur; culpa igitur carere possum, dum orthographiam publicae authoritatis ac fidei antefero privatae cujusvis argutiae ac argumentationi.« Nosti vel ipsum Adelungium (voc. der Sclave) Kercselichii rationes pensi habuisse. Sed quod ad me attinet, malo me gentili consuetudini conformare ex illo tempore, ex quo id historice audere possum, quum sciam, commutando nomini rationes non defuisse circa seculum IX excusso servili jugo, de quo Constantinum Porph. scribentem noscis, et ex illo tempore unius linguae, adeoque unius gentis, simili cum aliis quibusdam gentibus studio, communio, identidem ut hospitalitas culta fuerit; atque nostris majoribus linguam et gentem eodem vocabulo exprimentibus quid nam placuerit, novimus, etiamsi Dalemilus Libussae docenti non tribuisset:

Kde geden gazyk, tu geho ſláwa.

Jam quod attinet ad verbum: *inchoata*, ideo factum est, ut concordaret cum illis Columellae verbis scalpro in tabula etiam in scenam productis: *est antiquius facere agrum quam colere.* Sed nihil deerit ex animo, quo illud concepi, si plane omittatur vox illa et mea Pliniana verecundia: *nescio*, *quo modo* &c. tamen agnoscetur, quum nolo agrum hunc, quem annis *jam octodecim* facio pro culto haberi, quippe qui didici meam ignorantiam non ignorare et sciam in hoc maxime studii genere, me magis timorem, quam fiduciam decere. *Universae gentis* voces τῷ *dialecti* praepositae non possunt inducere lectorem in animadversam opinionem, nisi vox dialecti separetur, cui ego voces *universae gentis* existimabam praeponendas propter exigentiam, ut nosti, quare alius paulo sit sensus, si dicas: *Romanus civis sum*, et dum ais: *civis Romanus sum.* Sed prudenter mihi videtur judicasse, quisquis hanc vocum seriem observavit: posset enim truncari inscriptio operis et postea prorsus ita intelligi; sed nolo, ut in hunc modum alicui emptori male imponatur, itaque hac ratione muto:

Bibliotheca universae Slavorum genti communis dialecti antiquissimae et literalis. [Sed vide jam mox adversa pag.*)]

Tomulorum pretium necdum omnino statuere possum propter literarum glagoliticarum formas, quibus vol. II° et V^to vel maxime utor, quasque necdum fusas habeo; atque etiam cyrillicarum formarum causa moram producere cogor, donec natio illyrica contractum iniverit cum typographo de Kurtzbeck, a quo privilegium super hos typos, quod ille habet, cupit redimere: quam ob rem consuluit mihi quidam amicus, vellem adhuc exspectare. Glagoliticae formae literarum in epithalamio Parmensi mihi placent, fors etiam tibi non displicent. Jam perspicis ob varias diversarum literarum non tantum slavonicarum, verum etiam exoticarum formas pretium augeri debere, immo tabularum quoque aeneis formis excusarum causa; sed curam habebo, ut totius operis pretium 10 florenorum summam non transcendat, etsi curare velim,

ut in bona charta et nitidis characteribus formaque octava et arte cultioris typographiae apud d. Alberti opus totum excudatur intra *tres annos*, Deo auspice. Si vero ante hoc triennium exactum opus hoc typis ad finem usque perductum non fuerit causa mortis meae vel tam adversae valetudinis, ut laudatum opus perficere non valeam, tu meos sudores, si ita loqui licet, pensi habebis et non tantum singulorum annorum *Adversaria in ternionibus* ordinis et memoriae causa diversis linguarum alphabetis distincta et ex anno 1786 usque ad ultimum diem meae futurae frequentationis colligenda, verum etiam omnia reliqua huc pertinentia domi in chartam conjecta *Adversaria* curabis, ne pereant, sed usui sint alicui, maxime operi perficiendo; ipse nosti nec frigus nec aestum, praecipue illos ingentes pulveres pectori perniciosissimos me a quotidiano aditu Biblioth. Palat. non prohibuisse, ut saltem industria societati humanae prodesse valeam, dum ingenio minus possum. Ex illa Sciagraphia operis, quam ex omnibus Adversariis meis collegi ac in ordinem redegi, cujus et ampliorem aliam habeo, in qua librorum capita in §§os divisa eorundem summam continent et citantur loca *Adversariorum* et *collectaneorum* meorum, ubi argumenta, descriptiones prolixiores &c. habentur, etsi prelo singula volumina parata non sint, tamen jam percipis necessariam et praecipuam rem adesse. Ut ne omnia volumina munde, atque prelo pararem, prohibuit opera, quam adhuc impendo melius illustrando operi et frequentius muto, *refrigeratoque inventionis amore* diligentius repetitos commentariolos tanquam lector perpendo. Sed quum tantopere efflagitentur, protrudam eos in publicum, etsi adhucdum crudi mihi videantur, *fronte* necdum *pumicata*. Ego agrum faciam, tu coles; quam ob rem omnem conatum adhibeo, ne tuis opinionibus, dum valeo, contrarius sim; patriam ornem sine dispendio veritatis et fidei historicae.

*) Sed nunc ad me perferuntur tuae literae dd. 16. Aprilis, quibus perlectis malo, hunc titulum Sciagraphiae praefigas, quem in istis perscripsisti, eam ob causam, ut similem aliis gentibus inscriptionem habeamus: »Bibliotheca slavica, antiquissimae dialecti communis et ecclesiasticae universae Slavorum gentis.«

Quod attinet ad cl. Pelzelii haesitationem, attinet cap. VIII de duplici dialecto slavo-bohemica, (jam commuta et scribe: *bohemo-slavica*) nihil aliud exponere volo ista secretione, nisi quod in omnibus propemodum antiquioribus linguis observarunt philologi nimirum paulo diversum usum linguae, qua in scribendo utimur et alium in communi atque populari conversatione, quod sermonis genus apud Romanos *lingua rustica* vocabatur. Neque diffiteberis apud praecipuas Slavorum gentes, praesertim si variarum stirpium rationem habueris, jam plus jamque minus diversitatis observari: nosti Slavos Russiarum varios, nosti, quomodo Novogradenses a nobis minus dialecto sua remoti fuerint, nosti alios, noscis quoque nostros populares et, ut rem paucis absolvam, compara laudatam diversitatem apud Schröderum in Thesauro l. armenicae cum lingua nostra, (quod ad hanc NB. diversitatem philologicam attinet) et cl. Pelzelio haesitationem eximes tuque minus metues, ne forte exempla accumulem, quae in vulgi sermone pariter frequentari consuevere. Negligere hanc philologiae nostrae partem nequeo pluribus de causis, quarum praecipua

est, ut obviam eamus corruptoribus linguae nostrae literalis, qui nec analogiam linguae nostrae observant, neque in sermone vulgi discernere valentes, quid proprium purumque sit, quid barbarum et corruptum, barbara libertate utuntur et impigros conatus majorum nostrorum: kde geden gazyk, tam geho sláwa — pessumdant: nosti, quid ipse in tuo Promtuario reprehendas, gaudeoque vehementer in cl. Pelzelii opere novo historico id observari, quod jam diu desiderabam fieri a nostris. Ille slavonismus, quem majores nostri, tam eleganter perspicuitati et sono studentes, observarunt in usu absoluti et constructi adjectivi nominis, nonne a vulgi sermone abest jam, immo et passim a literali? nonne in vulgari sermone confunditur infinitivus cum supino? quotus quisque est, ut singula observet, quae ad formas declinationum pertinent, ita, ut corruptiones in grammaticis nostris pro regulis assumtae fuerint aliquando? in constructione paucissimi observant, quid propositio negativa exigat: igitur suprema quaedam capita in hac philologiae parte observasse necessarium omnino fuerit; exemplorum accumulatio, quam tu metuis, omnino contra meum institutum est. Nolo enim neque possum idiotismos illos aut quamcunque aliam diversitatem in diversis provinciis etiam tibi observatam describere, solum hoc mecum constitui pertractare, quod ad illustrandam linguam slavicam literalem attinet et quid communionis quidve diversitatis habeat dialectus nostra cum illa literali comparata, quidque nostri homines et alii eadem dialecto utentes subsidii habeant ad communem slav. dialectum cognoscendam &c. Quod nos dolemus ab antiquis factum non fuisse, ut quis observasset discrimen inter linguam *rusticam romanam* et inter literalem, id a nobis, quod ad nostrum sermonem attinet, faciendum est, quia posteritati scribimus. Sed de his jam satis; nunc ex cl. prof. Alter audi testimonium, quod ad nostram veterem controversiam attinet: examinata perscriptione vocis: naſſonmyech et collatis vocalibus *e* et *o*, quae omnino saepius, quod ad ductus attinet, minus accuratum lectorem fallere possent, heic loci omnino vocalis *o* est comparata cum mox praecedente *o* in voce: *chowayte ſe*; quantum vero ego scripturam assequi possum, laudata vox ita perscripta est: *naſſonmyech*. Initium Evangelii: *Ecce ego mitto vos* = *Ez ya wy ſly*. Tu in utraque voce: *druhynoſt et naſſonmyech* a meis argumentis eximenda, *quid effingi*, *quid efferri potuerit*, opponis; ego *quid factum sit*, tale, quod requirebas vel unum exemplum. Sed nunc jam tempus non admittit, ut plures omnino consensus adferam, quales equidem inter nostros ab Hussi temporibus invenire potui script. vers. boh., illud tamen constructionis genus epist. dd. 13 Apr.: »Si constructionem: *každo was* in boh. vers. legerem, mirarer utique;« mireris etiam heic: *ſylnycyſſy geho -- horſſyech ſebe*, item *prawda* waſſe = *justitia* vestra, ut nosti in cyrillica ita reddi: et quid ille tam accuratus in elegantiis slavonicis lit. ling. consensus, quem neque Russi, nec Dalmatae, nec Croatae caeterique observant; immo, ut dixi, nec apud nostros ita aequalis erat. Deinde supponis: »ante Cyrillum exstitisse Evangelia slavica pro usu clericorum ad Slavos Moravos, Bohemos *Laureaco* missorum.« *Vivilo*, Laureacensis archiep., everso Laureaco pridem ante Cyrillum, fuit enim consecratus a. 731., Passavium sedem transtulit; reliquas vicissitudines hujus sedis non attingam: huic Passav. sedi suberant Austriaci usque ad primum episcopum *Leonem*, in sede

Vindobon. a. 1480. 7. Septembris constitutum; jam perpende, quid hujus Passauiensis episcopatus Wenczlab Radpekch, civis Claustro-Neoburgensis suae teutonicae versioni anno MCCCC und Im LVII pensorum evangel. et epist. praemiserit in praefat. cod. MSS. No CCXXXVII. Bibl. Pal.: Mein Anweiger hat ir felber gwiffen darczu betwungen das fi vncz an diefen Zeit gefwigñ find dawider zerndñ das ich die Heiligñ ewvangeli zu déwtfch pracht han &c., ex quibus et consequentibus verbis sole clarius est, clericos Passaviensis episc. nullam versionem teutonicam ante medium sec. XV. habuisse, immo summe contradixisse huic versioni; in quem igitur modum Laureacenses vers. slavicam habuissent, ut ex illa Cyrillus, praecipue illud *licoměrník* mutuari potuisset aliasque voces ecclesiasticas; quum tibi vel maxime hujus rei causa, quod *Scripturam* s. slavice reddiderint et hacce lingua in sacris us(i) fuerint, in Cyrillum et Methodium persecutionis turbas ab iisdem et vicinis aliis clericis excitatas fuisse non ignores. Nec ulla hujuscemodi Evangeliaria abbas princeps S. Blasii antiqua teutonica alibi invenire potuit: ego tamen tibi demonstrabo a nostris potius hominibus teutonice compluribus annis ante Radpechium in patria nostra factum fuisse, ut pensa epist. pro sing. dominicis teutonice in membrana describerentur, ex cod. inter recentiores, qui Bibl. Palat. accesserunt N. 1637. ex bibl. civica Vindob. octoginta membranorum folii minoris NB. in margine lato folii primi *balneatrix* (giž máte na tom dofti wiernofti). Sed quorsum perveni?

Necesse est, ut tibi omnino committam, quid facere velis, quod ad Sciagraphiam attinet, ut eam distribuere valeas eo fine, ut scripsisti; verum tamen si nomen meum adposueris, simpliciter Fortunatum Durich scribe et omitte Ciceronis textum. In patria mallem amicis tantum dares, quibus tibi visum fuerit, ut moneant, si quid adhuc commutatum velint; foris tuo arbitrio utere et quum primum ex alienis terris scripseris ad me, spem distrahendi exemplaria significare poteris. Sumtus editionis poteris a r. P. Chrysostomo repetere et apud illum quaedam tantum exemplaria deponere, qui tibi etiam 4 fl. et 30 extradet, quos heri apud me d. Zlobiczky numeravit pro apographo fabulae Romanensis bohemicae de a. 1449, quod r. P. Chrysostomo petit, ut extradas una cum 2. edit. tuae Histor. l. boh. Non habuit is otium tibi scribendi, quapropter me interpellavit, ut etiam hunc titulum libri ad te perscriberem: Bemerkungen über Russland in Rückficht auf Wiffenfchaft, Kunft, Religion und andere merkwürdige Verhältniffe, 1ter Theil 8°. Erfurt 1788 bei Georg Adam Keyfer (sine nomine auctoris); in hac parte notavit Zlob. pagg. 77, 82, 93, 155, 171 tuo usui profuturas. Secundam partem non attulit, dicens in illa de rebus religionis agi. Attulit quoque tuum MSS. desideratum: Procop &c., quod servo; sed quomodo vis a me custoditum; an tibi remissum vis haberi a Zlobiczkyo? Adhuc semel ad te dabo literas, si tibi non sum molestus, quibuscum Quaestiones mittam; dein quiquid breviter adnotare volueris, tui vel mei causa poteris ante discessum ad P. Chrysostomum mittere. Vale quam optime, quotidie memor ero tui et illustrissimi veri Comitis ad aram, ut salvi et incolumes in patriam redeatis. Reliqua per fut. epistolam. Iterum vale!

LXXIX.

1792 — 2. května. Durich přeje Dobrovskému k jeho cestě všeho dobrého a projevuje mu všeliká svá přání, jakož i jiných přátel.

Viennae 2. Maji 1792.

Josepho Dobrowskyo suo integerrimo amico.

Decima die hujus mensis iter literarium ad praecipuas Septentrionis partes slavicae eruditionis causa facturo Fortunatus Durich felicitatem, incolumitatem, salutem plurimam dicit et optatum rebus bene peractis in patriam reditum ex animo precatur, etiam ill^{mo} Comiti!

Ad haec summe propensi in te animi mei vota, quid aliud tibi pro viaticulo, ut hoc Apul. vocabulo utar, mittere valeo, quam ipsiusmet animi mei jugem praesentiam, cujus te istae *Quaestiones slavicae* saepius commonebunt, immo melius vivi quadamtenus manu mea exarati literarum ductus. Plures poteram colligere; sed neque necessarium putabam augere illarum numerum isto genere, quod tibi alioqui notum, et ad inquirendum in animi proposito esse reor, neque sex mensium spatio iter absolvendum plures quaestiones admittat, quibus liceat amicum longe majoribus curis intentum ad minores seducere, et subripere tempus pretiosissimum. Quamdiu adhuc Pragae commoraturus es, impense rogo, ut, quemadmodum in praeterita epistola te jam interpellavi, velis breviter adnotare, quid *commutandum* vel quid a me *observandum praecipue* velles in I° volumine operis mei, quod te absente, ut equidem spero, saltem ex parte quadam typis exscribetur.

Nonne tibi illud vocabulum, quo legati Obotritorum vocabantur (Predecenti), placet? quid de illo sentias, paucis mone.

Professor Alter felicissimum iter tibi precatur et humanissime te interpellat, postquam Mosquam veneris, velles interrogare, quo pretio vendantur *biblia Georgiana* (quae in suburbio Mosquensi hoc seculo edita sunt) et in quem modum exemplar adquiri possit. In Bibliotheca hacce Palatina nullum exemplar habetur, quapropter quaesivi ex d. custode Sensel, qui etsi nunc curam novorum comparandorum librorum non habeat, tamen circa pretium nullam difficultatem futuram asseruit, si exemplar compararetur; sed nolo tibi molestus esse, p. Alter sufficit desiderati cod. s. Georgiani pretium nosse et modum obtinendi.

Ego, quod Mosquae a te observandum desidero, *pro memoria* inter QQ. adscribam.

Quum, ut nosti, more veterum Graecorum et Latinorum imagines slavicae inscriptiones habeant, e quibus multa elici possunt ad orthographiam pertinentia, praecipue ex antiquioribus, humanissime te interpello, ut antiquissimarum ruthenicarum imaginum curam habeas. Nudius tertius benignitate d. Bartsch imaginearum figurarum curae in Bibl. Pal. praepositi descripsi mihi ex imagine slavonica picta in tabula lignea varias inscriptiones, quotiescunque *scriptor*, qui elegantissime lit. majores et minores formavit, *Jery* pinxit, hac forma usus est: **ьї**, e. g. **бєньї****хъ** (д above), in fine observa solum **ї** **котароті** (o̮ above); utitur **ѧ** in voce **вышнаго.** Titla non utitur in voce **богѧ**. Mihi profecto usus *τοῦ* **ьї** nunquam

observatus est, ut equidem memini; vellem igitur, quod ad *primam* quaestionem philologicam ex palaeographia attinet, in russicis MSS. his duobus punctis in ы attenderes.

Etiam quod ad sphragisticam attinet, quum antiquissimi Russorum legati aureis, mercatores (qui hospites nuncupabantur) argenteis sigillis usi fuerint, ut colligo ex Nestore, ubi de pace inter Russos et Graecos ineunda agebatur, memoriae tuae commendo.

Biblia integra slavonica bonae alicujus editionis, cum quod ad recensionem versionis attinet, tum quoad typum, ne adeo minutus sit, quo libri plerumque in charta nequiore editi vix legi possunt, ut jam te interpellavi et compromisisti, quaeso, procurare non intermittas.

In absentia tua, ut ad me scripseras, r. d. Dlabacž, si quid negotii literarii habuero, spero equidem futurum, ut desiderio meo et precibus satisfaciat; sed, si per hocce tempus tuae commorationis eum conveneris, meo nomine humanissime salutatum factae promissionis commone meaque studia illi commenda. Cl. Pelzel nimium mihi occupatus esse videtur, quo minus eum interpellare ausim, quem humanissime saluto. Dominus Zlobiczky tibi felicissimum iter precatur et rogat, velles supremo directori scholarum normalium in Russia d. aul. consiliario de Jankowitsch, veterano suo amico et condiscipulo, salutem plurimam dicere. Si vero Petropoli huc Viennam scribere velis, involucrum inscribas dirigendum ad d. Petrum Putz, officialem in der geheimen Ziffer-Kanzeley zu Wien, et in domo legati nostri huc mittendum deponas.

Si Sciagraphiam meam typis excudi curasti, assumtis tecum exemplis et tuo arbitratu distributis, poteris mihi Petropoli, cognitis virorum eruditorum de meis conatibus judiciis, notitiam dare, qualem numerum exemplorum excudi posse censeres, quia te scripturum, postquam diutius alicubi subsistere valueritis, nuper promiseras. Quaeso, vel Petropoli vel Mosquae inquiras in b. Olgae, primae principis Christianae, certiorem locum sepulturae, non enim possum ista combinare, quae de sepulturae illius loco a scriptoribus russicis narrantur et quod tibi per epistolam notum feci de cochleari illius sacris usibus destinato, quod in sepulcro istius b. inventum in Nowogrod a scriptoribus germ. asseritur.

Sed jam nolo pluribus tibi molestus esse. Cura, ut valeas, felix e patria progredere fideli angelico comitatu, felix ubique extra patriam esto, et integra valetudine magnis ad cultum et ornamentum rei literariae slavicae collectis monimentis felicissime cum ill^mo^ d. Comite in patriam redito! In amplexum tui pronus ex animo te osculor. Vale iterumque vale!

LXXX.

1792 — 9. května. Dobrovský odpovídá k některým dotazům Durichovým, mimo jiné odporuje jemu strany pojmenování Slovanů a vlivu staroslovanského na český překlad písma svatého a zakončuje list drobnějšími zprávami.

Die 9. Maji 1792.

Fort. Durichio integerrimo amico J. D. s.

Vota tua, cum ex animo profecta sint, mihi certe sunt gratissima. Recreabo animum quaestionibus a te missis manuque tua exaratis, itineris incommodis

variis exagitatus, memorque ero amicitiae tuae et consuetudinis nostrae, inter nationes barbaras obmutescens.

Superest, ut pauca moneam, quae responsi loco habere velis, rogo. Tibi, uti p. Altero satisfacere impensius studebo.

Predenecentos scio gentem in Annal. Fuld. sic nominatam, sed locus, quo planum sit, vocem appellative accipi, pro legatis, mihi ignotus est. Si přednicy enuncientur, primores erunt, qui legationis munere fungi consueverunt; non potest itaque *n* in syllaba *nec* omitti, quamvis in *cen* abundet.

Conspectus tui exemplaria fere 300 P. Chrysostomus mittet, distribuenda pro libitu; mihi servavi tot, quot sufficere mihi existimavi. Aliquibus et hic Pragae quaedam dedi eo fine, quem tute significasti mihi.

Video jam, quod veterem (veram, genuinam) Slavorum orthographiam attinet, me nihil proficere, cum tu dubiam et suspectam scriptionem rectae pronunciationi totius gentis (quae profecto nunquam in mutationem nominis generalem conspirare poterat) praeferre malis, neque pensi habeas scriptionem Byzantinorum quorundam *σθ* per *σ* et *θ* pro *σ* et *κ*, ubi *σθλα* proxime accedit ad nostrum *sla*. Kercselichii responso ego quidem minime acquiesco, cum certum sit *decreta* legum et nummos intelligi ex aevo, quo jam pronunciatio *τοῦ slav* (te ipso consentiente) viguit inter Slavos. Deinde falsum est, scriptionem *sla* esse privatae argutiae et argumentationis, cum auctoritate slavice loquentium nitatur; ubi scriptio *τοῦ sclav* unius notarii latini aut graeci errore orta censeri debet. Nummi certe nostri et diplomata, quod orthographiam attinet, tot mendis abundant, ut, si ea nunc enumerare possem, nunquam ad auctoritatem nummorum aut diplomatum, nisi et orthographicos errores omnes, etiam in latinis vocibus, defendere malis, provocare velles.

A servilibus notis vindicare vis nomen Slavorum — recte quidem; sed commutati nominis rationes adferre, quas poteris? Nam et *Slave* apud Anglos, Suecos etc. servum significat, ut *Sclave* apud Germanos superiores (Oberdeutschen). Quorum pronunciationi debetur Schlavonien, Sklavonien. Eadem est ratio oris graeci et latini, peregrina omnia detorquentis. Angli latine scribentes, uti ex chronicis eorum loca adnotavi, Sclavi scribunt, anglice loquentes et scribentes omisso sane *c*; uti et Saxones (Niedersachsen), quibuscum antiqua fuit Slavis consuetudo seu proximitas. Sed tu *sclav* praefers, ut *scalav* explicare possis; — ubi, quaeso, exempla sumes, quibus ostendi possit, *scal* in *sclav* contrahi? Vocales certe *a* in radicibus contrahi non solent, neque possunt; uti nec *e*, ut falsa sit et eorum derivatio nominis Slavorum, qui illud a *sclo* deducere volunt. Sed jam finem faciam huic controversiae, sperans fore, ut, examinando singula, quae monui in literis pluribus, maxime vero attendendo, ne petitione principii laboret hypothesis, eo adducaris, ut pronunciationem slavicam veram, genuinam credas etiam esse vetustissimam, verum male expressam ab iis, qui primum nomen hoc literis consignarunt.

Formas lit. glagol. chalybeas vidi ante annos multos apud d. Schimekium, quas, cum iis nunc carere possit, levi pretio redimere poteris (Stempel). Glagol. lit. formae optimae mihi quidem videntur, quas habet typographia romana. Parmenses, quas mihi quondam miserat cl. de Rossi, non placent.

Labores ac sudores tuos tanti ego aestimo, quanti nemo alius; neque patiar, ut iis literatus orbis fraudetur. Malo tamen omnia perfici a te; alia me occupabunt.

Nondum ego convictus sum, vestigia vers. slavicae cyrill. reperiri in vers. boh. Si tu hoc asserere velis, rogo, ita facias, ne alii rem quasi confectam putent. Vocabula enim, quae hactenus citasti, talia sunt, qualibus ante Cyrillum usos oportuit Slavos, h. e. communia. Neque me turbat vocalium quorundam consensus, uti in voce *sonm* pro *sněm* aut *senm*; nam nos vulgo adhuc *o* amamus pro *e*: *w čom*, *we wſſom*, *w ňom* pro w čem, we wſſem, w něm; de *u* pro *i* apud antiquos, notum tibi est. Macocha nostrum vulgare conferri debet cum *macecha*, *polodne* ante portas Prag. audio quotidie pro *poledne*, alia nunc celeriter scribenti non occurrunt. Vox *prawda* utrumque significat, justitiam (etiam apud profanos scriptores nostros) et veritatem, cum illud justum sit, quod verum sensu suo.

Constructionem *každý wás* non miror, utpote qualis in nostris obvia, sed *každo* mirarer utique; sed cum slavonicus idiotismus sit, nondum sequeretur Bohemos, siquidem hoc modo construerent, uti construunt: pět jich bylo, hanc formulam mutuatos e cyrill. vers. Dixi jam et iterum repeto, vocem talem non reperiri in boh. vers., quam a Cyrillo ad etymologiam graecam effictam constet, qualis est bezzakonie, *ἀνομία* et infinita alia.

Si tu nolis vocem *licoměr* (germanicae originis sine omni dubio) desumtam ex evangeliis slavicis — nam et hoc largirer potius — certe ex interpretatione orali clericorum sive Salisburgensium sive Laureacensium (seu Pataviensium, unus enim est episcop.) ad Slavos illos propagatam admittes. Nam ante Cyrillum exstitisse clericorum ad Slavos instruendos destinatorum seminaria tu ipse monueras. *Milosrdie* e. gr. ab iisdem secundum etymologiam latinam misericordia aut germ. Barmherzigkeit confictum est ante Cyrillum, sic de aliis judicandum erit.

Histor. de l. boh. duo exemplaria dedi P. Chrysostomo tibi mittenda, quorum unum trades d. Zlobiczky, cui, uti et amicis aliis Vindob. me commendabis; tertium exemplar addam pro p. Altero. Formulam: zbaw nás od zlého iterum reprehendi, postquam viginti locis inspectis in Dalem. hist. ac aliis reperissem, verbum zbawiti sive privandi sive liberandi significatu accipiatur, casum genitivum praeter accusat. personae regere; ut ita zbawiti ot vel in Cyrillo sit suspecta syntaxis.

Marburgi libros slav. exstare ex *Hirschings* Beſchreibung einiger Bibliotheken Deutschlands cognosces.

Vale jam et absentem amicum eo favore prosequere, quo solebas in patria commorantem. Si Petropoli diutius mihi liceret morari, non spernerem conditiones mihi oblatas. Verum tamen malo pro patria laborare pensione minori contentus — redibo igitur certissime, nisi corpus extra patriam exanime relinquere cogar.

Herderi (Ideen zur Philosophie der Menschheit) vol. IV. descriptionem slavicae gentis tibi legendam commendo; operae pretium esset, si eam latine redditam insereres operi tuo integram.

Vale iterumque vale et Stokholmia a me praestolare literas. Procopii vitam ita serva, ut eam nemini tradas, nisi forte mittere malis Pragam d. Pelzelio interim tradendam.

LXXXI.

1792 — 27. května. Dobrovský podává zprávy o slovanských tiscích nalézajících se v Gottingách, Gothě, v Erfurtě, v Tubingách a Hamburce, obzvláště o tiscích jihoslovanských a mimo jiné o Griesbachovi a jeho různých čteních.

Göttingae 27. Maji 1792.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky.

In Göttingensi bibliotheca, quae libris exotica lingua scriptis abundat, haec slavonica (bohemica non recitabo) reperi:

1. Psalterium slavonicum (secundum titulum: nowyĭ zawiet — s psaltirem) an. ахѵв in 4. in Lavra Pecžeriensi; deest igitur Novum Testamentum, quamvis titulus adsit, nescio, quo casu aut errore.

2. Novum Testam. croaticum 1562. 4. Tubingae, lit. glagoliticis; pars 1[ma] tantum.

3. Svetiga Pavla lystwi, h tim effeseriem etc. cum germanica praefatione Primi Truberi, qui librum matronis et viduis in Carniolia, Styria inferiori et Carinthia dedicat — subscripto mense Januario loco *Derendingen* nomine suo — Tubingae in 4. 1567. lit. latinis et in margine germanicis, vulgo *Schwabach;* priorum epistolarum Paulinarum loquitur P. Trub. in praefatione — verum ea pars hic non reperitur. Windische Sprache est ei *Slovenski Jesyk*; dialectus est carniolica.

4. Biblia slavonica Mosquae an. аѱид fol. impressa; item Ostrogiensia an. 1581.

NB. Gothae Mosquensia an. 1663 reperi in bibliotheca ducali.

5. Ta drugi deil noviga Testamenta. V Tubingi MDLXXXII. in 8; — (in fine MDLXXXI.) druguzh pregledan — »zum andern übersehen«. Cum calendario carniolico. De bibliis et versionibus slavonicis aliqua digna lectu (tibi tamen procul dubio nota) occurrunt in Braunschweigischen Anzeigen 1748 56[ten] Stück p. 1126.

6. Fausti Verantii Lexicon quinque nobilissimarum Europae linguarum — atque alia notiora non perscribam — Venetiis 1595. 4.

7. Biblia carniolica. Witeberg. 1584. fol.

NB. Pars prima seu quinque libri Moysis Lublini (in Polonia) fol. 1578 impressa in *Gothana* bibliotheca habentur.

Erfurti mihi ostensum est volumen in 8. in membrana, in quo lat. Vulgata minutissimis characteribus scripta legitur, de quo traditio est, id *Husso*, dum ad rogum duceretur, ereptum a satellite. Translatum fuit in bibliothecam publ. universitatis cum aliis libris, quos ei donaverat praepositus Mogunt. *Boineburg*, locum tenens Erfurti.

Schlözerus aliique multum gavisi sunt viso conspectu tuo Bibliothecae slavicae. Optat ille, ut de singulis etiam dialectis agatur, quod utique futurum esse asserui.

Apud Jer. Dav. Reuss, hist. lit. professorem Göttingensem, orationem inveni hoc titulo: »*Christiani Henrici Hasii* Commentatio de lingua Carnorum et Illyricorum slavonica castioribus nostratium sacris initiata, in primis de Augustanae Confessionis versione eadem dialecto exarata. Jenae (datum prooemii Roslaviae ad Ilmam prope Apoldam 1759. in 4. pagg. 28. In prooemio ait, se conspexisse in biblioth. ducali Vinariensi vers. slavonicam Augustanae Confessionis — auctores se evoluisse [nobis omnino notos]) Dresseri Ungnadische Chronik, Pregizeri Suevia et Wertembergiam sacram — in animo erat, succinctas annotationes ad hanc orationem exarare, quarum editionem distulit, cum ex Ungaria edoceretur literis, fore, ut commentatio doctorum aliquot studiis compilanda ad eum mitteretur, »quae ea doceret, quae de eventu conaminum Truberianorum in Servia, Bosnia, Slavonia etc. et de lingua ipsa versionis, cujus partes quasdam cum versione mea latina transmiseram, eram sciscitatus. A pag. 1—16 tractat de Slavorum nomine, sedibus, conversione, Cyrilli conatibus et similibus, quae in vulgus nota sunt, a p. 16 de Primo Trubero ejusque conatibus Lutheri dogmata qua voce qua libris promulgandi.« Hac mente de nova quadam verba slavonica scribendi ratione iniit consilia felixque fuit inventor, qui primus vernaculum sermonem latinis aequipollentibus literis consignandum doceret. --- Tum primum anno scilicet MDLIII. et sequentibus lingua Carnorum slavonica sacris nostris castioribus initiata est, atque typis conscripta inservivit Evangelii cognitioni — Catechismum Lutheri, novi foed. oracula, locos communes theol. a Melancht. conscriptos, collectionem sacrorum Lutheri sermonum (Postillam) a Trubero slavonice versa latinis literis esse edita, scriptores harum rerum sunt auctores, p. 18, 19. De Joanne Ungnadio a Sonnek, ejusque notitia Truberi, de typographia slavonica p. 20, 21. operi se accinxit *Georgius Gruppenbachius*, typogr. Tubingensis — adventant Antonius Dalmata atque Stephanus Consul Histrianus — principes, qui opus juvarunt p. 21. Maximiliano II. Imp. an. 1561 glagoliticis literis editus catechismus (NB. primitiae slavonicae in Germania typographiae) dicatus p. 22. eodem anno etiam cyrillica editio eidem Imp. dedicata — de Nov. Testam. 1562. lit. slavonicis (non exprimit quibus?) p. 22. de Confess. August. versione an. 1562 edita lit. cyrulicis Hassorum principi inscripta p. 22, 23 »paraphrasticam dixeris versionem« Joannem quendam Mandel typographum Truberus Labacum adduxit p. 23. de proscriptis Lutheri sacris etc., quae alibi fere melius exarata jam legeris.

Nunc accipe catalogum librorum slavonic., quos servat bibliotheca univers. Tubingensis, — ex notis d. *Reuss*, olim ad bibl. Tubing. socii.

D. Reuss novit Denisius noster.

T. 98. in 4. »articuli oli Deili« per Primum Truberum Carniolanum, germ. drey christliche Konfessionen, nämlich Augspurgische, Wirtenbergische und Sächsische — — aus latein und teutsch in diss *Windisch* Buch zusammen gezogen, — v Tubingi 1562. lat. lit. carniol.

T. 99. in 4. постиля, — kurze Auslegung über die Sonntags- und der für -- nembsten Fest-Evangelia -- in crobatischer Sprach mit Cirulischen Buchstaben getruckt, Tubingae, афѯг. Praefat. 1563, subscripti P. Trub., Ant. Dalm., Steph. Consul Histr.

T. 100. in 4. — — — — (nam slavonica non possunt [a Germanis] legi). Kurze Auslegung — in crobatischer Sprach mit crobatischen Buchstaben, sub praefat. 1562, idem liber, qui prior, sed lit. glagoliticis.

T. 101. in 4. — — die fürnempsten Hauptartikel christlicher Lehre (lingua croatica, lit. glagol.), ad finem praefat. datum: Laybach am 20. Jul. 1562., subscripti omnes tres.

T. 102. in 4. — die fürnempsten Hauptartikel christlicher Lehre aus der lateinischen, teutschen und windischen Sprach in die crobatische jetzundt zum erstenmal verdollmetscht und mit cyrulischen Buchstaben getruckt; idem liber, qui prior, lit. cyrill.

T. 103. in 4. — — — der erst halb Theil des newen Testaments — in die crobatische Sprach verdollmetscht und mit glagolitischen Buchstaben getruckt. (In praefatione quaedam historica de religione et moribus Croatarum) non notatur in notis ms. d. Reuss annus.

T. 104. in 4. — der ander halb Theil des newen Testaments; lit. glagol.

T. 105. in 4. — der erst halb Theil des newen Testaments; lit. cyrillicis. Tubingae **афгг**; eodem vol. etiam 2da pars continetur.

T. 94. Abecedarium und der gantze Catechismus, one Auslegung in der crobatischen Sprach. 1½ Bogen in kl. 8 Tubing. 1561; lit., quibus? puto ego glagoliticis.

T. 93. Geistliche Lieder in der windischen Sprach sampst andern zugethanen Psalmen. Tubing. 1563, kl. 8, 205 Seiten.

T. 95. — — Beneficium Christi (quid hoc?) alles auch die Jahrzahl (vermuthlich 1561) crobatisch. 11 Bogen L. kl. 8.

T. 96. — — der Catechismus mit kurzen Auslegungen, Symbolum Athanasii und eine Predigt von der Kraft — — — in der crobatischen Sprach; datum Tubing. 1 Mart. 1561. 7 Bogen G. kl. 8. lit. puto glagoliticis; est idem libellus, quem in lit. boh. descripsi.

T. 97. — — — Catechismus mit Auslegung in der syruischen Sprach — — dedicat. Maxim.; am Ende: Tubingen am XXV^{ten} Octob. 1561. Primus Truber, Crainer. 5 Bogen weniger ein Blatt machen den Catechismum aus, dann folgt Primi Truberi sermo *cirulice* redditus: de vocabulo fidei 2½ Bogen in kl. 8. (idem lib. cum priore, sed lit. cyrill, ut ego judico).

In der Bibliothek des Colleg. illustris zu Tübingen sind folgende: Ta celi catehismus, eni psalmi — — od P. Truberia, S. Krellia inu od drugih sloshene, tretyzh popraulene inu populshane. Der ganz Catechismus, etliche Psalmen und christl. Gesäng — — in der windischen Sprach zum drittenmal corrigiert und gemehrt. Tubing. 1574 in 8. 174 Seiten. Angebunden: 1. Try duhouske peiffni, — cum quibusdam psalmis et canticis od *Juria Dalmatina* inu *Jansha Shwageria* tolmagheni. Etliche geistliche Gesäng zuvor nicht gedruckt. V Tibingi. 1575. in 8. 2 Bogen, lit. lat., uti prior, cui annexus est: 2. Ta perui Psalm — der erste Psalm Davids mit dreyen Auslegungen, zum Trost der betrübten Christen, so von Türken und Papisten verfolgt werden, in Gesangweiss gestellt. 1579 in 8. 6 Blatt mit lat. Lettern. 3. Ta celi catehismus. »Catechismus mit des Herrn Johannis Brentzii kurzen Auslegung, in windischer und teutscher Sprach zusammengetruckt«. U Tibingi 1567. Mit

einer deutschen Zuschrift an Herrn Jobsten von Ballenberg zum Gallenstein etc., 2 Bogen in 8.

Catehismus v slouenskim Jeſiku — cum quibusdam precationibus, 12 Bogen und ein Blatt in 12. 1555 sine notatione loci.

Haec ex notis dom. Reuss brevissime contraxi, quin tamen omiserim quidquam, quod tu scire cuperes. Omnino in contexendo catalogo opusculorum a Trubero et sociis editorum te longe breviorem oportebit esse.

De Novo Testam. carniolico nuper edito legeris *Allgem. Lit. Zeitung* an. 1788 Num. 241ª. pag. 72.

De rationibus et computu editorum librorum (annis 61, 62, 63) per Primum Truberum proxime.

In einer Schublade im Kabinete N° 18 apud facult. philosophicam praeter catalogos bibliothecae Grempianae et universitatis Tubingae reperitur in fol. sequens descriptio, quam integram descriptam possidet dom. Jer. Dav. Reuss, Göttingae professor: »Beschreibung, was für windische, crobatische, cirulische und wellsche Bücher getruckt, verschickt, verkauft und verschenkt worden in den Jahren 1561, 1562, 1563.« Sub finem indicis specialis subscripti sunt *Hanns Ungnad*, *Ant. Dalmata*, *Steph. Consul*, *Philipp Gugger*. Datum Tübingen am St. Georgen den 23 Tag Aprilis Anno 64.

»Verzaichnuss, was für windisch, crobatisch, cirulisch ynd welsche Bücher getruckt worden.« Hic solum enumerantur impressi, non addito, ubi aut per quem distracti sint.

Erstlich hat man getruckt crobatisch Probzettl, darauf alle crobatische Alphabet, gross und klein, sambt dem Vater unser und dem 1. Capitel Pauli zu den Römern, auch den 117 Psalm	200	Expl.
Item cirulische Probzettl, darauf alle cirulische Alphabet sambt dem Vater unser und dem 117 Psalm	300	»
Item crobatische Tafel Plettlin oder Abecedaria	2000	»
Item cirulische auch	2000	»
Item crobatische Catechismi, mit der Auslegung und einer Predigt vom rechten Glauben an Christum	2000	»
Item cirulische Catechismi auch mit der Auslegung und vorgenannter Predigt	2000	»
Item das neu Testament, der erste Theil mit crobatischen Buchstaben	2000	»
— der ander Theil	1000	»
Mit cirulischen Buchstaben	1000	»
Item die Loci communes crobatisch	1000	»
Item die L. com. mit cirulischen Buchstaben	1000	»
Item die Augspurgisch Confession, in windischer oder crainerischer Sprach mit lateinischen Buchst.	1000	»
Item die Augspurgisch Confession mit crobatischen Buchstaben	1000	»
Item die Augspurg. Confession mit cirulischen Buchstab. . . .	1000	»
Item die Augspurgische Confession in welscher oder italienischer Sprache mit lateinischen Buchstaben	1000	»
Item die Apologia der Augspurgischen Confession wälsch .	500	»

Item die Postill, welche Herr Primus Truber vor der Zeit in crainerischer Sprach trucken lassen, mit crobatischen Buchstaben . . . . 1000 Expl.
Item dieselbige Postill auch mit cirulischen Buchstaben . . . . 500 »
Item der klein Catechismus Lutheri auch in welscher Sprach . 1000 »
Crainerische Psalmlieder . . . . 1000 »
Beneficium Christi mit crobatischen Buchstaben . . . . 500 »
Ain schöne Predig vom Hagel mit cirulischen Buchstaben . . . 1000 »
Catechismum Lutheri *crobatisch mit lateinischen* Buchstab . . . 400 »
Die Augspurgisch Confession crobatisch mit lateinischen Buchstaben . . . . 400 »
Der ain und fünfzige Psalm miserere mei Deus und der 130 Psalm de profundis, sambt der Auslegung Lutheri in welscher Sprach . . . . 500 »
Jezt truckt man die Wirtembergische Kirchenordnung crobatisch mit glagolitischen und lateinischen Buchstaben, jeder Sort 400 800 »
und den Methodum Wigandi welsch . . . . 500 »

Hinfüran wird man trucken die Apologiam crobatisch mit glagolischen und lateinischen Buchstaben.

Item die Hauspostill Lutheri crobatisch mit glagolischen und lateinischen Buchstaben und welsch.

Item alle Propheten ehe man mit der ganzen Bibel aufkommbt, folgendt die ganze Bibel in gemelten Sprachen.

Die 4 Evangelisten und die Apostelgeschicht, auch die Postill und locos communes hat Herr Primus zuvor und nit (non) in diesen Kosten trucken lassen.

Promittunt ante hunc indicem, se rationem expensarum pecuniariarum, quando videbitur, reddituros.

In priore indice singulorum librorum distributio annotatur hoc modo, ut unico exemplo tibi clarum fiat: *crobatische Probzedl etc.*

Seind getruckt . . . . 200 Expl.
Davon hiebei (adjacens) . . . . 1 Expl.

Diese sind zu Nürnberg getruckt und von dannen hatt die alspald Herr Steffan auf Laibach, Wien und andere Orth verschickht und allenthalb die erste Prob ausgetheilt, damit die besehen, ob der Truckh gerecht.

Cirulische Probzedl etc. Seind getruckt . . . . 300 Expl
davon hiebei . . . . 1 »

diese sind zu Urach getruckt und wie die vorigen als die erste Prob zu Wien, Laibach, Croatien und andere Orth verschickt, damit man die allenthalb sehen lassen, ob der Truck gerecht.

Von diesen seind die Kön. Maj. auch den Chur — und Fürsten die ymb (um) Hilf ersucht inn die 20 Exemplar geschickt worden.

Die andern alle an obgemelte Orth und von dannen weiter.

Ultimo loco: Augspurgische Confession chrobatisch mit lat. Buchst.
Seind getruckt . . . . 400 Expl
davon hiebei . . . . 1 »
(NB. unum.)

Nicola Büchler, Bürgern zu Villach, seind geschickt, von dannen weiter zu fürdern	78	Expl.
Mehr ihme Büchler	280	»
Latus . .	358	Expl.
So viel seind deren verschickt und noch zu Urach	41	»
Summa Summarum aller getruckhten windischen, crobatischen, cirulischen ynnd welschen Bücher	25300	»
Von welchen laut dieser Raittung verschickt, verkauft ynnd verschennckht worden	17036	»
ligen also noch zu Urach, welche zue rechter Gelegenheit auch verschickt sollen werden	8264	»

Additur, haec exemplaria fuisse seruata, ut praesto essent, si priora, quae missa sunt, abolerentur aut comburerentur.

Sequuntur jam literae seu copiarium literarum hoc in negotio scriptarum ad Maximil. II, ad electores aliosque principes, ad status Carnioliae, eorumque responsa. E. gr. 1ma est Joan. Ungnadii ad Maximil., dum ei Catechismus croaticus mitteretur, dd. Urach, 12. April. an. 61. Responsum Maximiliani, quo Ambrosio Frölich (is Viennae distrahebat exempl. et pecunias colligebat) tradi jubet 400 f. rhenenses, ad promovendum tam salutare opus — cum etiam N. Test. edituros se dixerint, promittit Maximil. se ampliora facturum dd. Viennae 5. Maji an. 61; adsunt et testimonia doctorum quorundam presbyterorum e gente croatica, qui Truberi et sociorum labores probant ac laudant. Nomine statuum scribit Jodocus de Gallenberg ad Ungnadium dd. 10 Jul. 62 Labaco — de novis mittendis interpretibus seu potius typi moderatoribus. Sunt hae lit. omnes in foliis 84 perscriptae.*)

Contenta earum hinc inde dispersa leguntur; ego vix tantum otii nactus sum, quantum requirebatur, ut saltem haec pauca delibarem.

D. Griesbachius, Jenensis professor, editionem novam parans N. Testam. uti vult ea farragine lectionum var., quas collegit e MSS. Vindob. amicus noster Alterus. Verum queritur ille, sibi certo non constare, num in locis, in quibus e codd. nulla lectio notata fuit, omnes omnino Vindob. consentiant cum eo, quem totum typis exscribi curavit Alterus. Hanc in rem velim ut impendas aliquam operam, lecto prius judicio de Alteri Nov. Test. in Jenensi literaturae nuncio anni 1788 N. 149, ubi lectiones singulares certe illius cod. notantur, qui textum Alteri constituit. Quaeritur jam, num reliqui codd. hic consentiant omnino omnes aut unus alterve dissentiat. Mei causa rogo investiges, experimento vel cum tribus primis exemplis facto et me facias certiorem. Literas dare poteris Stockholmiam addito *Poste restante*. Ipse enim vides, rem sumi non posse, nisi prius res decidatur, ibi omnino non differre codd. Vindob. reliquos, ubi nulla lect. var. ab Altero adducta fuit. Judico te intelligere, in quo dubium Griesbachius versetur. Curabo, ut pluribus saltem locis sint versi ceu testis lectionum [illegible] etiamsi integram omnium collationem [illegible]

---

*) [illegible] Urkundliche Beiträge zur Geschichte der protestantischen Literatur der Südslaven in den J. 1559—1565. Gesammelt und herausgegeben von Ivan Kostrenčić. Wien 1874.

haud liceat. Discutias, velim, num, quae dicturus es de duplici *dialecto* bohemica, capi non possint de *stylo*. Videtur enim mihi nomine dialecti non venire discrimen modicum illud, quod inter stylum cultiorum et doctiorum hominum et inter plebis sermonem intercedit. Sed haec, tu videris, ut apte explices, non enim metuo, ut falsa dicas, sed fere angor, ne male intelligaris.

Hamburgi 3. Jun. In bibliotheca civica Hamburgensi ad gymnasium reperi biblia variis linguis edita, inter quae slavonica Ostrogiensis et Mosquensis de an. ꙁрок fol., carniolica Vittebergae 1584 fol. habentur. Novum Testam. slavon. et Psalterium non notavi, cum aetate non emineant; vendica (Lusatorum dialecto) alia atque alia. Alias bibliothecas excutiam locis suis; nunc te amicosque Vindobonenses omnes optime valere jubeo. Stokholmiae praestolabor, si tibi visum fuerit, literas a te. Jam vale. —

In Lüneburgensi ducatu ea loca lustrare volui, in quibus slavica verba audiebantur hoc adhuc seculo. Sed de via nimium deflectendum fuisset. Interim inspectis chartis geographicis loca slavicae appellationis notavi. Vale iterumque vale.

LXXXII.

1792 — 24. června. Durich raduje se, že obdržel od Dobrovského z cesty list, podává zprávu o svých nových nálezech ve dvorní knihovně ve Vídni, zmiňuje se o užívání staroslovanštiny v Čechách, o evangelistáři a českém překladě hymnů, o Griesbachovi a různých čteních, projevuje svá přání a i jiných a zakončuje list svůj drobnými zprávami.

Vindob. 24. Junii 1792.

Jos. Dobrowskyo suo Fort. Durich s. p. d. et felicem itineris liter. progressum ex animo precatur.

Facis pro veteri amicitiae consuetudine, dum etiam in itinere constitutus longam epistolam notitiis slavo-literariis refertam perscribis. Summopere gaudebam visis tuae manus vestigiis vivis in illa inscriptione ad me datae epistolae, cognitis a longe: ergo vivit amicus fidelis et promissionem literarum praevenit! Etiam tu pro illa tua literaria notitiarum communione extra patriam adeo liberali, *novam* omnino reconditae memoriae, ad res nostras bohemoslavicas cum primis pertinentem accipe *apocalypsim:* codice MSS. Palat. hujus Bibl. inter philologicos latinos CLXXXVII olim 118, qui membraneus est, in 4to foliisque 124 constat, seculi XIII aut ineuntis decimi quarti, observante cl. Gentiloto, in quo praeter alia a folio 11 continetur syntagma variarum epistolarum — *regum praesertim Bohemiae* — recensente Gentiloto suarum recens. MSS. tomo XIV, pag. 187: »Tricesima secunda fol. 23, pag. 2. regis Boemiae epistola ad episcopum quendam, ut fratribus ordinis minorum lingua slavica utentibus adesse velit, nec patiatur eos ab iis, qui germanice loquuntur, opprimi. Initium: *Cum sit indecens ac in nostrum et regni nostri atque lingue sclavice crescat preiudicium et grauamen, ut tam in Bohemia quam in Polonia fratres ordinis Minorum sue lingue oppressionibus diversis sic grauentur, quod mysteriis Deo placitis uix uacare possunt etc.* Wenceslai quarti, regis Bohemiae, hanc epistolam esse indicio est illa erga fratres Minores animi propensio ac benevolentia, ut tibi constat, quibus iste Wenceslaus

rex *ecclesiam in Revich — pro remedio anime sue hospitali et fratribus sancti Francisci liberaliter contulit, — ne dicti fratres in ecclesia illa impedimentum aliquod patiantur* (ut in epistola seu praecepto, 40ª ibidem observavit Gentilotus; etsi, ut nostros scriptores contuli, altum sit silentium de illo ritu slavonico ff. Minorum et ecclesia in Revich). Epistola 41ª ibid.

Princeps commendat sorori fratres Minores nationis Polonicae. Initium: *Rumor insolitus &c., cum a vestris progenitoribus sanguinis polonici et bohemici traxeritis originem &c. favendo partem theutonicorum Bohem̅ et Polon̅ fratres excom̅catos esse dicitis &c.* Sed jam tibi ista sufficiant, ut Evangeliarii bohemo-slavici Bibl. Palat. Vindob. chronologica nota eadem manu sub finem exarata — x c'c — fz — (rubr. atram.) illustrari possit; tu vero, his rebus circa usum linguae slavicae *fratrum Minorum Bohem̅* et *Polon̅* nunc revelatis, longe aliter, quam pag. 86 et sq. Geschichte d. böhm. Sprache secundis curis edidisti, profiteri necesse habeas, praesertim quod ad haec verba attinet: »Slawische Messen von fremden Priestern gelesen wurden«, cum rex Wenceslaus I, regum nostrorum IVtus, dicat: *Cum sit indecens &c.*, ut supra. Non tamen omnino infeliciter opinatus es pag. 87, etsi nunc rebus nostris philologicis major lux accedat.

Dum fata linguae slavicae in Illyrico ex scriptoribus Dalm. Croatisque inde a Gregorio epis. Nonensi IV°, cui christiana procuratio totius gentis chrobaticae commissa fuit, comparo nunc cum fatis ejusdem linguae in Bohemia, haud parvam similitudinem invenio *hujus linguae oppressionum;* hoc tantum discrimine, quod apud nos majores fuerint illae *oppressiones* et longe minor propagatio; sed ut nunc diffiteri certis testimoniis (a d. Procopio incipiam) non potes, nullum fuit seculum usque ad Ferdinandum II., quo saltem aliqualis usus, etsi longe minor quam in Illyrico, tamen identidem viguerit in Bohemia, maxime sec. XIII, ut tibi ex cod. CLXXXVII demonstro. Ad hanc fratrum minorum boh. cum chrobaticis comparationem, quaeso, memineris illius missalis glagolitici Prag. bibl. regiae de a. 1528 typis Bindoni &c. [illegible] [illegible] [illegible], ot reda seraphixa swětaho Franczíska konwentowali — nosti quam sit interpolatum recentioribus vocibus; praesertim loco [illegible]. &c. quid igitur mirum, si in Evangeliario slavo-boh. idem factum sit. Nosti querelas abbatis Pastritii apud Assemanum longe majores; ego miror tot slavonismos literales servatos fuisse in Evangeliario; hoc enim nullatenus negare potes: observatione dignum esse, quando interpretes ejusdem linguae, et nullatenus dialecto quadam discrepantes, totidem verbis et eorum complexu conveniant, quum vel nostrorum habeam loca quaedam adnotata, ubi tot sunt modi interpretandi, quot exempla versionis: ad haec nosti cl. Griesbachii dissert. in *Repertorio* B. et illud omnibus hermeneutis notissimum: si aeque instructis interpretibus liber tradatur eadem lingua reddendus, futurum, ut diversae obtineantur versiones: unde igitur hoc argues deductum, cur tot versiculi etiam in difficilioribus locis Evangeliarii cum antiqua vers. slav. conveniant et ibi plane commutationem praeseferant, ubi varietas est lectionis Vulg. lat. a textu graeco recedentis; cur ditolegumena in Evangeliario habeantur, sicut in missali Bindoniano? cur jam veteris vocabuli slavo-literalis, jam bohemici usurpatio? et cum monogrammatis [illegible] na-

turam noveris illiusque apud nostros et veteres et recentiores non ubique eandem fuisse, sed aliam in participiis, aliam in nominibus locorum &c., cur in Evangeliario *constanter* ubique щ = ſſcz, et non = шт interpres aut librarius reddiderit? an omnino certum sit magis slavicum usum esse шт = щ, an vero illum russ. шч = щ? Jam ex illo *τὸ* щ diverse a Bohemis nostris enunciato et nihilominus in Evangeliario una ratione constanter perscripto, conjicere potes, me omnino discussisse ad normam cl. Schultensii Origin. Hebr. ling. l. I, p. II, quae dicturus sum de duplici dialecto bohem. ejusque vario distinctis temporibus cum lingua Slavorum literali nexu: si etenim habeam justam rationem varietatum pertinentium 1° ad sonos et pronuntiandi modum, 2° ad verba et significationes, 3° ad constructionem et quasdam formas loquendi, et 4° *maxime* ad accentum; vides me summam habere earum rerum, quae ad *externam et accidentalem,* non vero ad *internam et substantialem* variationem linguae pertinent, majorem tamen ista varietatem, quae dialectus nuncupari possit, omnino generant, quam ut diversitas styli vocari possit. Ut ne male intelligar, operam dabo, ut ne falsa dicam, non metuis; ut apte explicem tuis monitis, obtemperabo et cl. Folietae modum in usum meum transferam. Nescio, an illa explicatio hymnorum breviarii veteris latina cum interpretatione aut potius *versione bohemica* vetustiore ipsa explicatione (nam expositor versionem bohemicam alio vocabulo bohemico recentiore illustrat; e. g.: excursus usque ad inferos = a geho wybych az do doleyſſych, toſſ do pekla) ab iisdem fratribus minoribus, qui utique et hanc officii divini partem slavice persolverint, originem trahat; adhaeret enim Evangeliario et distincta mihi videtur esse ab illis exemplis pag. 126. N° 19. tuae Histor., quia non sequentias missalis, sed hymnos breviarii antiquos, initio ducto ab illo: Veni redemptor gencium, ostende partum virginis — sed identidem verbum ex verbo reddendo explicat.

Quid de singulis momentis sentias, breviter commone. Nunc quod ad cl. Griesbachii momentum attinet, sic accipe: Ipse amicus noster Alterus lecta recensione N° 149. Allgem. Liter. Zeit. lectiones singulares notatas a Griesb. col. 630 harum Ephemerid. nimirum Matth. c. 1, 16 — usque c. 12, 40 summa industria et attentione iterum contulit cum cod. MSS. 23^{io} et in hunc modum, ubi humani aliquid, quod etiam diligentissimis collatoribus contigit, passus est, ita ingenue confitendo in sua adversaria etiam retulit: *Matth.* 1, 16. *τὸν ἄνδρα μαρίας* (haec est lectio codicis); *τὸν* omissum in editione Vindobon. *Matth.* 6, 32. lect. cod. *οἶδεν γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος* — in edit. Vindob. *οἶδεν γὰρ ὁ οὐράνιος*. *Matth.* 7, 1. lect. cod. *κρίνετε*. Edit. Vind. *κρίνητε*. Quae Matth. 12, 40. deesse adnotantur in lect. sing. Griesb., omnino desunt etiam in cod. MS. 23^{io} laudato; in reliquis lect. sing. edit. Vindob. consentit cum cod. MSS. Quod autem attinet ad *Matth.* 3, 11. lect. edit. Vindobon., e qua colū. Ephem. 638 ita Griesbachius argumentatur: Es müssten zum Beyspiel diese Codd. alle vier Matth. 3, 11. gerade so wie der Viener Text: *ἐγὼ δὲ βαπτίζω*, welches sonst gar nirgends vorkommt, statt *ἐ. μὲν β.* lesen. Diess ist so gut als unmöglich — hoc inquam loco MSS. cod. 23. habet *ἐγὼ δὲ βαπτίζω μᾶς* — omisso *ἐ*. Confitetur identidem, quod ad reliquos cod. Vindobon. a se collatos attinet, amicus noster diligentiam omnem adhibuisse adnotando tantum varias lectio-

nes, quando dissentiunt; quum igitur dubium illud suboritur: an tali loco cum codice 23. conformiter omnino sint exarati, facile ex speciminibus non adcuratae collationis fragilitate humana factum fuisse aut fieri potuisse colliges, id ipsum in codd. reliquorum collatione, quod heic in cod. 23. contigisse jam perspicis; sed ego cod. reliquos conferre non potui absente cl. Denisio, qui mihi ante suum discessum illam ad describendum (data prius ab ill[mo] bibliothecario facultate; sed ut Heyrenbachii memoria fiat, utpote auctoris) dissertationem tradidit, quam illo absente, aeque ut alia MSS. obtinere nequivissem.

Commonitum quoque te vult Alterus causa bibliorum Georgianorum Mosquae edit., non ut exemplar quodpiam compares, sed tantum in pretium et modum obtinendi indagare velis. Si Vilnam veneritis, humanissime te interpellat Christianus Engel Leutschovia-Hungarus (auctor Commentationis de republica militari seu comparationis Lacedaemoniorum, Cretensium et Cosacorum, Gottingae 1790 in 4[to]), ut inquiras apud PP. Piarum Schol. in MSS. Michaelis Bruti, secretarii Stephani Báthory Poloniae regis, rerum gestarum sui temporis, quae in exempl. Bibl. Vindob. et per Hungariam sparsis ab initio mancae sunt, Vilnae vero integrae asservari dicuntur, quarum copiam excell. d. C. Samuel Teleki, cancellarius aul. Transsilv., desiderat et gratissimo animo omnes expensas refunderet, si qua ratione id fieri posse rescires.

Impense te prae omnibus interpello, ut Mosquae in bibl. patriarchali vel sicubi locorum *supremi et medii* aevi, nimirum ex primis ritus slavici temporibus usque ad sec. XVI., vel maxime usque ad sec. XIII. codd. e singulis seculis tantum particulam quandam 10 circiter linearum describi cures meis impensis e selectis tuo arbitratu codd. vel, si tantum fieri non posset, ex duobus antiquissimis aut uno saltem cura, ut obtinere possim specimen quoddam ad vol. V. cap. XXV. ornandum. Quale, quaeso, est illud genus characterum, quibus Berynda in suo Lex. rarius usus est, praesertim columna **кі. Блѹди́лище: [illegible].** et ibid. **Блѹдница — [illegible].**

Nosti Pontanum discrimen facere inter idioma bohemicum et slavonicum lib. 3[io] Boh. Piae in Friderico epis. Prag. in hunc modum: »Quia tamen Fridericus neque bohemicum neque slavonicum callebat idioma, parum in hoc officio profecit« — cur ergo de S. Adalberto scribens ait: »quam ob causam *(promissionis non futurae ariditatis &c.)* diebus singulis antiphona ad tumbam sancti Adalberti post vesperas a scholasticis slavonica lingua decantatur.« Quae est ista antiphona? estne distincta ab *hymno:* Hospodine pomiluy ny? Cur in Evangeliario ditolegomenon occurrit in hac voce *mir* a pokoy, quam tu heic p. 60. Hist. l. boh. alio significatu, nempe *mundi* jam diu obsoletum asseruisti?

Quare in illa solemni introductione 1249 Venceslai regis I[i], ut tu recte p. 61 observasti, decantati hymni Hospod. memoria fiat, ad Hist. ling. slavicae et fratres Minores etiam singulariter pertinere observavi in nostro scriptore domestico; eorum enim singulariter memoria fit. Heic jam tecum propemodum consentio, collatis observationibus tuis orthographicis in dipl. Vratislai pag. 63. &c. cum chrobatico scribendi antiquo modo et Srborum nobis vicinorum antiquorum, ad doctorr. ecclesiae occidentalis antiquissimum

genus nostrae orthographiae pertinere, praesertim cum primi episcopi nostri ex allophylis delecti slavonicae linguae periti, Helicardus slavonico sermone commendatior, Deodatus vero eodem idiomate cunctis acceptior dicatur.

Quos salutatos volebas, impensius te salutant et felicem itineris literarii progressum ex animo precantur summoque desiderio reditum magno literario thesauro rerum nobis ignotarum illustrem ac felicissimum exspectant. Spero futurum, ut aliquod tempusculum etiam brevissimae epistolae Petropoli scribendae tibi subtrahas, quo ego ad te literas porro dare debeam. Amicissimus Ribay petiit a me exemplum QQ. illarum slavicarum, quas ad te dedi; sed cum tantum summa capita illarum habeam, promisi melius me has descripturum et subjuncturum dissertationi: *de itineribus in Russiam causa rei literariae Slavorum tertium institutis*, nimirum 1um auspiciis Leopoldi I^{i}, 2^{dum} Benedicti XIV. et 3^{ium} Soc. Scient. Bohem.

Mone igitur, si quid necessarium hac in re tibi visum fuerit. Vale! Vale! una cum ill°. socio itineris! Valete! Valete!

LXXXIII.*)

1792 — 20. července. Dobrovský oznamuje svůj příjezd do Stokholmu, podává zprávu o tak zvaném rukopise »codex giganteus«, odpovídá na list Durichův a vyvrací některá jeho tvrzení v předešlém listě vyslovená, a podává zprávu o svých nálezích.

Stockholmiae 20 Jul. 1792.

Fort. Durichio suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Votis tuis, utpote ex animo profectis, hucusque annuit Optimus Maximus. Pelagus enim secundis trajecimus ventis et longo itinere terra emenso tandem Holmiam sospites pervenimus Primum et ante omnia egi, ut pateret ad bibliothecam regiam accessus. Sed heu, quantum exhorrui, dum viderem omnes libros loco motos, cum restaurando aedificio nunc occupentur homines. Benevolentia tamen unius hominis factum est, ut exquirerentur libri, quos postulassem, quamquam non omnes inveniri possent. Cosmae Chronico in membrana sec. XIII scripto impendi primis diebus conferendo operam deprehendique Freherum habuisse istius apographum Pragae scriptum, dum codex iste giganteus adhuc Pragae apud Brevnovienses servaretur, quem tandem Königsmarkius huc transmisit cum aliis manubiis. Multa hic codex continet alia, ad nos non pertinentia — notavi tamen diligenter omnia, quia dignum censeo descriptione latiori, quam ea sit, quam Celsio debemus. Calendarium Benedictinorum antiquissimum cum necrologio descripsi integrum, nec satis scio nunc, ubinam codex exaratus sit. Conjicio quidem esse opus Opatovicensium ex quibusdam indiciis. Methodii et Cyrilli nomen ac festum in eo non legitur, uti nec in calend. sec. XIV, ante adductos Pragam Slavos. Scriptio nominum propriorum bohemicorum talis est, qualem circa an. 1240 in diplomatibus legimus. Pauca revera occurrunt nomina a sanctis petita, pleraque sunt domestica, propria, quae l. boh. illustrandae servire poterunt. Sed tu ad singula momenta lit tuarum me respondere vis. Habe itaque.

*) Durich připsal: Obtinui die 10 Augusti.

Lit. Wenc. I. regis Boh. placent, quamvis nondum videam, utrum, praeter usum boh. linguae sive domi sive in templo, qualis et hodie conceditur, inferri ex iis possit, etiam missas in vulg. lectas fuisse. Etiam inter teutonicos et bohemos fratres Benedict. Kladrubii rixae erant initio fundati monasterii, at non propter lectionem missae, sed ob odia, quae usus linguarum diversarum parere solet. Novi ego ipse Patrem ad S. Jacobum Pragae, qui, quod formulam: *Corpus* domini nostri J. Ch. proferret bohemice, a reliquis fratribus Hussita nominatus est. Dabo interim, hos fratres boh. et polon. sub Wenceslao non fuisse oppressos penitus et cohibitos — illud certe factum esse oportet rege ceu defensore defuncto. Nam Ottakarus multum favit Teutonicis, ita ut de suburbio Pragensi pelleret Bohemos Vide contin. Cosm. ad an. 1257. Sub Wenceslao certe II. nihil istorum rituum superfuit amplius, cum illi sacerdotes, quorum missas l. slav. audiverat subinde (occasione nimirum data) rex iste, revera fuerint extranei, uti et Graeci, quod ipse contextus narrationis in chronico Auloreg. suadet. Nec video, qua ratione tu ex detectis historiae novis subsidiis illustrare velis formulam chronolog. Evangeliarii bohemici, cum examinatis ductibus deprehensurus ipsus (sic) sis, illud an. 1402 scriptum esse. ∞ mille significare nullum est dubium, at DC (studio hic lineam superiorem produxi, quae in codice tenuior esse videtur) esse idem ac DC, hoc est, CCCC facile a te impetrabo — fz non aliter mihi saltem explicandum videtur, quam 2do. Nec scio, utrum codex ille chartaceus sit, an membranaceus; si primum, facile concedes, non posse referri ad aetatem illam, quae ei assignanda foret, C^{s} lecto ut C i. e. centum. Hoc interim largior, a minoribus fratribus profectas primas versiones boh. *e latino*, uti de Psalterio certus sum; et tu te convincere posses ex Evangeliario, si animus non inclinaret in aliam sententiam. Novi quidem interpolationes codicum illyricorum, sed non est par ratio vers. boh. atque illorum. Levacovichii psalmos plures, studio summo ad Vulg. reformatos contuli cum cyrillica vers. et tamen in singulis fere vestigia certa inveni, quae in boh. vers. nondum detecta sunt. Taceo de vocibus singularibus, quas immutasse plane nulla ratio suadebat. Paucissimae illae constructiones slavicae, quas in Evangel. tuo reperisti, sunt omnino slavicae, h. e. ad syntaxim slavonicam (ergo et bohemicam) factae, uti et millenae voces Slavis et nobis communes sunt. Vellem ego, si codicem unquam videre liceret et tecum conferre, ostendere, plures omnino esse discrepantias, praesertim in vocibus synonymicis, quas mutare opus non fuisset, h. e. quas Bohemi plane intellexissent, si nemo immutasset. Sed tu de his melius judicare potes, quam ego, cui non nisi quaedam loca ex Evang. laudato cognita sunt, qualia ego in profanis scriptis, poëticis praesertim, offendere soleo. Var. lect. graecam contra codd. lat. nec unicam adhuc mihi indicasti, et cur opus fuisset eo tempore, quo cod. lat. negligenter inspiciebantur, tam accuratum, immo scrupulosum esse interpretem, quam nec Levacovichius fuerit, cui hoc districte mandatum fuit? Cur ditolegumena habeantur in Evangeliario, scire cupis. Ideo, quia mos fuit primi vel primorum interpretum aut posteriorum glossatorum, explicare omnia planius, quem usum etiam in Vet. Test. observavi, ita tamen, ut id iis omnino locis etiam fiat, quos ex vers. slav. sumtos dici non potest. In Psalterio ad nauseam

usque id observavi, praecipue vero in omnibus codd. aetate Hussi scriptorum, insertis etiam commentariis longioribus. Ad quam aetatem cum pertineat cod. Vindob., clarum est, cur vetus vox slavo-literalis, ut tu eam appellas, immo bohemica, alia voce itidem bohem. explicetur aut frustra addatur aliquid, cujus ratio valida etiam nulla sit. Quam multa enim non offendas ubique, reprehendenda? Si tu mihi plura loca indicasses, jam omnino facta collatione cum aliis codd. judicare de iis possem melius. Usus *ſſcz* aut *ſcz* pro щ tam necessarius fuit, uti *cz* pro ч. Antiqui enim ita efferebant, uti et hodie Moravi. Immo in diplomate Spitignei, in Necrologio benedictino jam *Scepan* conformiter pronunciationi (nihil respiciendo scriptionem hujus nominis in vers. slav.) scriptum scito; hujus vocis enunciationem si a Graecis aut Slavis hausissent Bohemi, *st* et scribere et enunciare debuissent. Sed cum ii a Germanis *St (Scht)* audirent huncque sonum suo proprio exprimerent, factum est, ut non *šte* — uti in *ſtelu*, *ſtarý*, sed uti in *ſſtědrý* etc. pronunciarent. Idem fere est de *s* ante *p* in *ſſpaček, ſſpalek*, *ſſkoda*, *ſſkopek* et aliis vocibus originis germanicae. Vellem deinde certis indiciis cognoscere, voces slavicas literales, quae non sint aut fuerint bohemicae et vice versa. Secus enim in his judicium omne incertum erit.

Quantum memini, videor mihi etiam hymnos brev. explicatos in manuscriptis nostris detexisse, sed non habeo hic notas meas. Ego appellavi, uti titulus manuscripti n. 19. p. 126 Hist. l. boh. habebat, quamvis totum evolverim. Sed de his domi plura dare potero. Solent autem similia pensa non solum additis boh. vocibus explicari, sed etiam latinis, e. gr. ad inferos i. e. infernum, quae boh. reddita ita sonabunt, ut tu perscripsisti, quin judicandum sit vocem: *do doleyſſich* esse antiquiorem illa altera *toſſ* seu *tocziſſ do pekla.*

Grates summas habeo pro lect. var. gr. accuratius collatis; non fiet tamen satis cl. Griesb., nisi saltem in locis notatis conferantur reliqui codd., quos omnes ita consentire sibi persuadere non potuit. Optimum fore judico, si Alterus ipse hunc laborem resumeret et Griesb. certiorem faceret, cum hic in adornanda nova edit. nunc quoad codd. Vindob. dubius haereat. Utinam Alterus, cui lubens ego praestabo omnia, meliorem operis oeconomiam pensi habuisset. Judico, uti ipse expertus sum, dum opere hoc uti volebam. Heyrenbachii utique honorifica mentio fiet. Si tuis usibus aptiorem censes dissert., nos eam tibi non invidebimus. Etiam dn. *Engel* satisfacere studebo (at nonne judicandum fuisset, a quo loco exempl. nota incipiant), tibi autem praeprimis, utpote cum iisdem ego studiis delecter. Proxime Upsaliam pergam et Sparvenfeldii manuscripta lustrabo. In *Repertorio Benzeliano* (Stockholmiae 1791. in 8.) a J. Henr. *Liden* edito, duas Pastricii epistolas ad Sparvenfeldium p. 151, 153 notatas invenies. Servatur thesaurus epistol. Benzelianus Lindkioepingae, quo viso hasce literas originales italice scriptas legi. Fit in iis *Ludolfi* et librorum slavicorum (nobis notissimorum) mentio. Si meliora continuissent, eas omnino descripsissem. Comenii item ad Joann. *Matthiae* episc. Stregnensem quatuor, sed istis tu nunc non delectaris. *Lundae* in Suecia, praeter bibl. slav. an. 1663 fol. vidi Evangelia manucripta slav. (orthogr. illyrica) et impressa Leopoli cura fraternitatis Stauropigium an. **ахмд.**, aliud exemplar postremi libri Leop. impressi Linkioepingae. Et, ut

nunc certus sum, ipse domi habeo exemplar, cujus initium et finis deest. Non multi ego aestimo hanc editionem, quia textus ad gr. codd. recent. correctus est, e. gr. Matth. III. v. 11. *καὶ πυρί* omittunt MS. slav. Prag. et impressum meum Mosquense N. Test., item MS. Lundense — legitur autem *ognem* in *Leopol.*, uti in bibl. Mosquens. an. 1778. Unum adhuc exemplum adducam: C. III. v. 4. *ἀκρίδες* varie exponitur, in MS. Prag. *wrſſie* (кришїє), in ed. meo pružie, ita etiam MS. Lundense, *akridy* autem legit Leopoliensis. Quid jam istorum antiquius? Lundae servatur etiam MS. slav. in 4. recentius: гранограѳ (*Chronograph* scribendum fuit) dictus, qui historiam regum et imperatorum orbis continet.

Hamburgi multi slavonici libri in bibl. publ. gymnasii habentur (unus libellus Venetiis lit. multum a solitis discrepantibus serius in manus venit, cum jam abeundum esset), inter quos est Bukwar iazika slauenska (lit. cyrill.) 3 et ½ plagg. w Lwowie w drukarnie Michaila Sliozki an. ахѯи in 8.; in hoc continetur etiam notum tibi: »*Skazanie kako sostawi sw. Kyril* etc.«, post quod sequuntur orationes aliquot. In *John Erichsen* recensione manuscriptorum bibliothecae r. Hafniensis (ling. danica an. 1786 in 8. edita) p. 73. notatur: *Temleri* Dictionarium slavonicum autographum, pagg. 1103. Ejusdem *collectanea* autographa et inter haec sub c): etyma slavonica investiganda. Lexicon pervolvi, immo auctoris aliud manuscriptum, quod habuit haeres, emi 4 aureis et miratus sum hominis exteri diligentiam et linguae nostrae peritiam. *Etyma* non nisi quibusdam nominibus locorum et personarum constant, rhapsodice in chartam conjectis. Lexicon lubens tibi communicarem, si scirem, qua ratione id fieri posset De *Temlero* notavi omnia. At forsitan tibi notus est ex scripta dissert. *de vestigiis* (om Spor danice) harmoniae inter illyricam et celticam linguam in septemtrionalibus et reliquis dialectis, quae ab ambabus originem habent, repertis, quae exstat parte XII. Comment. reg. scient. societatis Havniensis p. 101, quam ego vix puto germ. redditam. † 1780. 24. Maji. Habuit ille pulcherrimum librorum ad lit. slavicam pertinentium apparatum, cujus pars in biblioth. regiam venit. Ex catalogo librorum impresso notavi quaedam opuscula; inter haec multa sunt Venetiis a Srbis et Bulgaris impressa, ex quibus ille voces pro lexico adornando collegit. Sed tu forte haec noveris, quamvis fere dubitem. Alias plura.

Non possum tibi perscribere omnia occupatus nunc in bibl. regia. Indicabis autem proximis literis Petropolim dandis, quae prae aliis cognoscere velis. Si enim tibi satisfecero uni, putabo me itineris molestias non frustra tulisse. Multa enim his in locis non sunt ad palatum *Huetii* querelas fortasse nosti. Caro venduntur omnia, utinam haec essent ad usum nobis, melioribus assuetis. Sed restat, ut quaedam momenta epist. tuae attingam, quae in separata charta adjecisti. *Pontani*, minus accurati scriptoris auctoritatem plane non respicio. Per antiphonam illam omnino intelligit hymnum S Adalb. Sed quae illi slavon. lingua est, alibi bohemicam appellat. *Mir* utique distinctum est a *pokoy*, uti pax a quite. Cur ditolegomenon occurrat in Evangel., jam supra dixi; pleonasmum amabant Bohemi: *smiřiti se* utique bohemicum est, ergo et *mir* bohemicum est, uti et *pokoy*. In solemni introductione Wenc. r. I. an.

1249, ubi deductus est ad eccles. S. Francisci, fit quidem ff. minorum mentio, non autem cantici *Hospod.* At dum in arce exciperetur (alia vice), a clero cantabatur quidem hymnus iste, sed non aderant ff. minores. Moneo haec, ut saltem fontem adhuc semel inspicias. Immo hymnus hic decantabatur in arce Prag., antequam ff. minores venirent in Bohemiam. Cosmae enim *Krleſſ* nihil aliud est, quam nostrum *Hoſpodin* etc. Gaudeo te jam eo inclinare, ut admittas, occidentalis eccl doctoribus antiquam nostram orthograph. deberi. Immo vero omnia debentur. Quae de *Helicardo* scribis, vide, ne Pontanus te induxerit. Nam in Cosma de Ekkardo (Helicardo) nihil istorum dicitur. De Ditmaro et Tegdago res certa est. Moneo haec, ne tu tempus perdas legendis istius modi auctoribus. Addam curiosum aliquid. In cod. giganteo prima pag. ante omnia, alphabeta hebraicum, graecum, latinum majusc. lit. manu coaeva scriptum est. In membrana agglutinata additur alphabetum *Skavorum* (Skavorum ital. more), et in alia rursus *Ruthenorum* serius addita sunt. Scripta vero jubente abbate *Diviſſio*, (nescio nunc, quando D. vixerit).

Potestas lit. glagol. bohemicis et literis, et bohemice scriptis supra nominibus declaratur: az, buky, widi, glagole, dobro etc., infra *glagol: Opat Diviſſ kazal piſati azbukowniak*, supra singulas has voces: Abbas Divissius mandavit scribere hoc azbukuidarium. Lit glagol. sunt multo pulchriores, quam ruthenicae, inter quas sunt quaedam glagoliticae, post Ⱨ nempe ⰘⰓ — post Ⱏ (NB sic in MS.) ultimo loco Ⱓ. *Vale.*

Implebo et hanc paginam. *Hamburgi*, cum de libris *slav.* mentionem fecerim, addendum et illud: Mosquensia an. 1663 et Ostrog. 1581 biblia servantur in bibl. publ. *Lundae* Ol. O. Celsius, episc. Lundensis habet lexicon slavonicum in fol. chart. MS. hoc. titulo: Lexicon latino-schlavonicum auctore Theodoro Ignatio de Gordon cum filiis, Mosqua secum in Sueciam traduxit magist. Andreas Soderman, pastor in Ekeby, et O. C. (Celsio) dono dedit an. 1731. fol. O. Celsius fuit pater hodierni episc. Ol. O. Celsii. In hoc lexico latinae voces ordine alphabetico dispositae explicantur slavice (non russice) et per prima aliquot folia etiam suecice, probabilius a Sodermano. Aboae in Finlandia aliud lexicon servatur, quod eo perveniens lustrabo. In bibliothecae Thotianae (qui Havniae vixerat) catalogo tom. I. p. I. (p. 226) in 8. sequentes notantur libri ad liter. carniolicam pertinentes: N. 4598. Jo. Habermanni *Preces* croatice per Jo. Fulſzhak u Lublani ap. Jo. Mandelz 1579. 2. Catechismus et hymni eccles. croatice per *P. Truberum*, ib. eod. 3. Salomonis Proverbia croatice ib. 1580 def. in fine. Scis ibidem impressos V lib. Moysis carniolice an. 1578. Nunc jam revisione bibliorum Boczkonis, filii regis Georgii, quae hic exstant duobus tomis in fol., occupor; continet hoc exemplar recensionem non antiquam, sed recentiorem. Ubique fere, in V. Test. praeprimis, inscitiam prodidere interpretes nostri. Illud Genesis — serpens callidior — had horczeyſſj quis ferat? et non continuo hominem istum asinum esse dicat? Tale aliquod exemplum vellem in N. Testam. mihi indicari, ubi vocis boh. usurpatio non vera, ex ambiguitate graeci textus et non latini explicari debeat. Upsalia redux amicorum aliquis indicavit mihi Sparvenfeldii imaginem pictam servari ibidem, quae, uti nec alia, nondum aeri incisa sit. Curabo, ut accuratam delineationem tibi mittere possim. In cod. grandi Prag.

in Nov. Test. ad finem epistolarum Paulinarum, quae ultimo loco sunt, epist. ad Laodicenses legitur. NB. Textus I. Joh. 5, 8. incorruptus, omissis testibus coelestibus Verum prologus ille, de quo lector monetur de ratione h. loci, habetur initio epist. Canonicarum. Hac ratione posset, si praesto essent exemplaria de an. circiter 1240, in boh. versione vers. 8. desiderari, quin inde concludendum foret, hanc omissionem slav. originis esse At plerique codd nostri sequuntur cod. lat sec. XIII., qui secundum Thomam non legunt, *et tres unum* sunt, post testes terrestres. Jam Lobkoviciana biblia de an. 1479 et 1480 huc translata examinanda mihi sumsi, quibus absolutis labores hicce meos finiendos arbitror. Vale. Amicis omnibus salutem plurimam. Vale. Valete.

LXXXIV.

1792 — 14. září. Durich projevuje svou radosť z obdrženého listu a zprávy o hlaholské a ruské abecedě psané asi v letech 1360—1366 k rozkazu opata Diviše, zmiňuje se o Janu Holešovském, o hlaholském a cyrillském písmě, o názvu Slovanů, o bratřích minoritech Češích a Polácích a končí některými přáními. Na lístku zvláštním podává ukázku z českého evangelistáře, zmiňuje se o jeho letopočtu a o výkladě písní církevních.

Vindobonae 14. Septembris 1792.

Fortun. Durich Josepho Dobrowsky suo integerrimo amico s. p. d.

Quantum gavisi sumus omnes obtentis literis tuis Stockholmiae datis 20 Julii, primum quidem de tua incolumitate, tum de itineris literarii progressu et adquisitione optatarum notitiarum rei nostrae, cum primis cod. illius gigantei, in quo Cosmae chronicon &c. Sed illud curiosum, quod perscripsisti de isto cod. nimirum membrana agglutinata, in qua alphab. glagol. et ruth. jussu Divissi, abbatis Brżewnow., descripta continentur, in praesens institutum gratissimum est. Statim in vitam et res gestas hujus praeclari viri diligenter inquisivi: itaque in historia dicti monasterii Brżewn. a Magnoaldo Ziegelbauero Coloniae 1740 f. edita, quidquid de illo Dionysio I°, in serie abb. XXII., qui exactis sex annis in officio abb. obiit a. 1366, colligere potui, singula in collect. hujus anni duern. Uч 17mo retuli, ut scias, si mors editionem praeveniat. Dionysius II. obiit 1409, cui illa literaria merita adscribi non possunt, sed Dion. I°., de quo Magnoaldus cap. XI. pag 159: »Excelluit inter alios Dionysius, rerum divinarum scientia nulli secundus, atque a. 1360 in abbatem electus.« Itaque membrana alphabetum seu Azbukuidarium (o felix memoria *toč azbukownak!*) continens inter annos 1360 et 1366 reponi debet. Dionysius I, ut Magnoaldus laudato cap. pag 161 ex volum. 10 Erection. lit. 10 edoctus, refert ea, quae Adalbertus de Ericino donatis monast. Brżew. suis libris praestitit, praecipuus rei librariae promotor fuit, ut alii hujus monasterii monachi antiquariorum more codices transscriberent, alii proprio marte elucubrarent. Itaque, tuis conatibus felicissimis jam scimus, quei factum sit, ut Johannes Holeschovinus, quem anonymum Brżewnowiensem Magnoaldus dicit, a. 1397 expositionem *cantici* S. Adalberto attributi ita scribere potuerit, ut eum literis slavicis instructum fuisse nemo negaverit, quum hae in eodem monasterio jussione abbatis Dionysii ante annos circiter 30 tanta diligentia

describerentur; immo Johannes monachus Dionysio I° facile coaevus esse potuerit. Profecto multum illustrationis illo Azbukownak Brzewnowiensi accedit Historiae tuae ling. et literat. boh. meisque conatibus illustrandis plurimum; et ut breviter notem, vel ipsa observatiuncula, quam scripsisti: »Literae glagol. sunt multo pulchriores, quam ruthenicae, *inter quas sunt quaedam glagoliticae*: post ш nempe Џ — post ѫ (ut in MS.) ultimo loco Ⱋ.« multum mihi prodest, immo tibi proderit tantisper ad assentiendum, ut aliis argumentis historicis inductus, tuam veterem commutes opinionem de auctoribus monachis alph. glagl., quam adoptasti totidem verbis eruditi ceteroquin viri, sed hanc in rem sola opinione inducti; quum tamen tu contra meas observationes historicas rigidior sis (ut equidem non indignor, quia his exactionibus proficio) monumentorum historicorum exactor, et nescio, an meopte studio, an vero tuis oppositionibus animo satisfaciendi magis proficiam. Ex argumentis, quibus inducaris in sententiam, utrumque alphabetum *slavicum* (velim intelligas, *prout in usum Slavorum compactum est*) S. S. *Cyrillo et Methodio coaevum* esse et sententiam cl. comitis Grubissichii, quod ad *hoc momentum* attinet, historicis rationibus omnino fulciri — pag. 75. dissert. — sed si duplicem scribendi formam et usum ita circumscribas, ut (saltem sub principium aevi cyrillici et methodiani) non diversitas usus ex duplici ritu ecclesiarum graecae nimirum et latinae pendeat, sed diversitate slavoniarum, in quibus jam graecae, jam Runae, quendam usum apud eruditiores obtinebant. Nam quo minus haec diversitas ex diversitate ritus repeti possit, obstat ille judicio Caramani et Assemani omnium antiquissimus codex Vaticanus inter utriusque literaturae codices literis glagoliticis in membranis 275 exaratus opinione Assemani sec. XI., in quo lectiones evangelicae per anni circulum juxta ritum *ecclesiae graecae* ordine *typici* Graecor. continentur subjuncto Kalend. SS. a mense Septembri ad finem Augusti; in quo nulla memoria SS. Cyrilli et Methodii nullumque festum, nisi quod seculum XI sua institutione antecedit. Igitur literae glagolit. hominibus ritui graeco etiam addictis serviebant, quemadmodum cyrillicae latino ritui addictis: immo celeberrimus ille codex Remensis, ut ex viro clss. Anglo d. Whide accepi, qui eum vidit et in manibus habuit, et cyrillico et glagolitico scriptus est. In manuscripto Bibl. Vindob. inter graecos codd. N° CLXXI Glossarium graecum continente sub principium mutilo, quod Augerius de Busbecke comparavit Constantinopoli, in superscriptis vocabulis slavicis in foliis 15. saepius loco к cyrill. occurrit glagol ь; NB. constanter ꙑ, loco ы, quod, ni fallor, jam tibi indicavi. Superiore forma τὸ ѣ formae Azbuk. Bržewnov. ѫ, simile est, quod omnino et serie antiquissima consensu utriusque alphabeti est: Ja seu ꙗ erecto latere sinistro formatum. Cuperem autem ex te nosse seriem lit. utriusque alph. Divissiani, praesertim an illo contineantur: ђ, ы v. ꙑ, ѥ aut ѣ, item ѧ, certe ѧ̈ quod ultimo loco exstare debet, jam scripsisti Џ positum esse, de ѡ, ѯ, ѱ, ѳ, ѷ non sum adeo solicitus putoque sequius inductos fuisse hos characteres in alph. cyrillicum.

Jam ut redeam ad institutum, necesse est deleas pag. 37 notam *) Hist. l. boh.: »Dieser Psalter (Nicolai cl. de a. 1222) ist das älteste Buch mit Hieronymischen Lettern«; neque a. 1060, sola opinione inductus, pro initio

spatii inter a. 1222, quo tanquam aetate hujus literariae versurae necessaria, statuere vales, quia, *primum*, cod. ille antiquiss. sec. XI. attingit, non vero post medium seculi XI (1060) scriptus est: nullum enim festum continet, quod sec. XI° institutum est; *secundo*, literarum commutatio non fuit necessaria, immo fuisset magis periculosa, quia glagol. literae sonis gothicis communes, identidem conveniunt cum runo-gothicis, praesertim ꙍ cum Ψ runorhetr. apud Masch; literae autem, de quibus maxime disceptare convenisset, id est de slavicis ш, щ, ѵ aut ү = Ⱋ fragm. Prag. Ѧ = ѧ, monogramma Aetalorum apud Montf., unde Ѧ̇ = ѣ; Ѧ = ⰶ Divissiano, quantum quaeso differunt? praesertim monogramma illud cumprimis Cyrilli philosophiam prodens щ ex ш et т compositum, quorum etiam elementorum slavonica veteri enunciatione vim habet et apud nos cumprimis in vocibus loci significatum habentibus formae — щє = ſſtě, ѿ; qua ratione omnibus Slavis non convenientibus in enunciatione laudato monogrammate consuluit Cyrillus; fors ducta ratione a duplicibus literis Graecorum, quarum non omnes vim assequuntur, neque enim solius compendii causa inventae sunt. Sed longius discessi!

Summas tibi habeo gratias pro omni commonitione literaria, praecipue illa, quae ad originationem vocabuli communis genti nostrae universae pertinet: nam nova inquisitione, atque necessaria, in quem modum antiquissimi et sec. nostro vetustiores Slavi populari lingua se se compellaverint, diligentius instituta, inveni: a mari Adriatico usque ad magnum Novogrod et ab Albi usque
v. a
ad Pontum Euxinum se se Slowanos, Slowieninos, Slowakos compellasse; immo ex nostris longe ante Dubravium fuisse virum, tibi commendatum notumque, Pulkavam *sic dictum*, qui sub principium chron. dicit: »unum idioma *slowanicum*, quod corrupto vocabulo *slawonicum* dicitur, sumsit initium, de quo gentes ejusdem idiomatis *Slowani* sunt vocati: in lingua eorum enim *Slowo*« &c. Hinc eleganter Palmotta cecinit: Na slovijnski jezik, koí, | od Adrie mora rédom, | s vukolíku zémlju svoij, | do *puccinem rázne lèddom*; пѹчи́на, profunditas, vorago.

In hunc modum collegi supra memorato Slavoniorum tractu auctoritates domesticorum scriptorum idoneorum, quod equidem adhucdum desiderabatur, atque miro consensu inveni, populari usu S*la*winos, ducta a Latinis enunciatione, commutato nimirum *o* cum *a*, recentiori aevo nuncupatos. Non tamen inficior, Slawos a slawa nuncupationem meritos subinde ob illud apud Dalemilum: Kde geden gazyk, tu geho ſláwa; neque enim una gens recte dici potest, nisi unius linguae vinculo. Ciceronem nosti.

Avitum unius linguae apud gentem nostram studium rem ipsam confirmat; igitur in usum meum utar illa Pulkavae auctoritate, communi omnium populari eaque antiquiori enunciatione fulcita tuamque, quod ad grammaticam originationem attinet diss., pericopam praecipuam tuebor: Slavos vel potius *Slowanos, nuncupatos* seu *dictos* a dictione i. e. *sermone* uno.

Quod ad fratres Minores Bohemos et Polonos, attinet, excussi tres tomos annalium FF. minorum post Waddingum nova opera Josephi Mariae Fonseca ab Ebora Romae tomis 19 in f. eleganter editorum ex a. 1731. a t. II—IV, in quibus ad institutum meum nonnulla inveni, praecipue illud ad

an. 1237 ex Pragensi civitate Cracoviam Minores vocatos fuisse unamque provinciam fuisse *Boemiae et Poloniae*, ut ex inscriptione sigilli patet; igitur non ex Polonia in Bohemiam, sed ex Bohemia in Poloniam FF. Minores usum ling. slav. intulerunt, ob quem postea excommunicati sunt, ut ex epist. 41. MSS. illius Vindob. *mḡri ac dn̄i Boguſlay*, cujus initium: »Rumor insolitus« — favendo partem theutonicorum fratrum (nosti technas hujus teutonici ord. et fata in Boh. nosti ex Hartknochio magist. ord., qui vel loqui slavice prohibuit in Slavia inferiori populares) »bohem̄ et polon fratres excōicatos esse dicitis. — Combina haec cum gestis in comitiis ord. a. 1249. Metis celebratis — »in iisque severius, ut res poscebat, animadversum, ait Wadding., in eos fuisse, qui ritum et substantiam officii divini praeter instituti professas regulas approbatam et receptam consuetudinem variare studuerunt.«

Non igitur contendo, quamdiu ritus ille perseveraverit; sed dic mihi, quaeso, quis est ille episcopus, cui rex Boemiae Fratres Bohemos et Polonos ord. Minorum commendat? »ne sue lingue oppressionibus diversis sic graventur, quod miſtris Deo placitis uix vacare possunt«, et ad quem episcopum scripsit Innocentius IV: »Porrecta nobis tua petitio continebat, quod in Sclavonia est litera specialis, quam illius terrae clerici se habere a B. Hieronymo asserentes eam observant in divinis officiis celebrandis. Unde ut illis efficiaris conformis et terrae consuetudinem, in qua existis episcopus, imiteris, celebrandi divina secundum praedictam literam a nobis licentiam postulasti. Nos igitur, attendentes, quod sermo rei et non est res sermoni subjecta, licentiam tibi in illis dumtaxat partibus, ubi de consuetudine observantur praemissa — concedimus«. Ann. indict. conv. cum 1248, igitur cum Wenceslai I, regis B., tempp., qui obiit 1253 et regnavit 24 annis. Cur, quaeso, Farlatus non est ausus nominare episcopum, sicut eum Raynaldus vocat: Scemensem; cur scribit t. III. p. 143: »quare sive unus e Dalmatia sive aliquis alius ex alia Slavorum provincia episcopus fuerit, cui Innocentius id licentiae attribuit &c.«, non enim excussis omnibus libris, quos equidem consulere potui, geographiae episcopalis, ut Breviario Labbei, opusculo gallico: La Geographie des Legendes &c. Paris, in 8. a. 1743 novae edit. invenire potui *Scemensem* epis. Si ausim conjecturam tibi proponere ob consensum rerum et temporis: *Scemensis* ep. est Boemensis, nam etiam in nostris MSS. antiquis, ut in Necrologii Chotikowiensis membrana: Bendl — Sita — Bodiſlaw.

Sed jam indicabo, quae prae aliis cognoscere velim: Indiculum nonne habes? Igitur selige, quae putas, summe necessaria, si nequeas in singula momenta inquirere. Codicis autem *sacri slav.* procurandi prae omnibus memineris, nisi Mosquae meliorem consilio aliorum editionem procurandam existimaveris. Amici omnes et noti te salutant et felicem itineris progressum ac reditum precantur. Proxime aliam adhuc ad te dabo epistolam subsidio legationis, ut Zlobiczky promisit, ne impensas habeas. P. Alter illud onus collationis suscipere non potest. Heic adnecto majus specimen Evangeliarii illius. Vale! Vale! Te amplector, vale et sanus redito.

(Připojeno na zvláštním lístku:)

In illo t. d. i. d. sl. Ecce ego mitto vos sicut. **W** (meo ductu in MS. rubr.) Onom czyaſſy. Powyedyel. Gezyſſ. mladczym ſwym. Ez ya wy ſly yako owczye

mezy wlky. Budte proto mudrzy yako hadowe a ſproſtny yako holube. Ale chowayte ſe ot lydy nebo zradye wy naſſonmyech*) a y modlach byczowaty budu wy wſſwych a budete wedeny przyed krale a ſudczye promye ſwyedecztwye gym a lydu A kdyz wy proradye nerodte myſſlyty czo neb kako by mluwyl. Nebo wem dadye wten czyaſſ czo budete mluwyty. Nebo neyſte wy gez mluwyete. Ale duch otczye waſſyeho genz**) v waſſ ſmluwy A take zradye bratr bratra a otecz ſyna y wſtanu ſynowe protyw rodynye a vſmrtye ge y budete w nenawyſt wſſyem prome gmye. Ale kto vſtawyczen bude doſſkonczyenye ten ſpaſen bude.

Quod scripsisti de chronologia DC ex duplici D hujus fragmenti in toto Evangeliario constanter servati, vides, quod conjectura sustineri non possit et nonne in hunc modum annus foret MDC — id est 1600; nescio enim quomodo ut tu scribis: »esse idem ac DC hoc est CCCC«. De ſz ne dubites, suscepta NB. chronologia archetypy ∞ CC, — non vero hujus interpolati exemplaris, quod omnino ad tempora Caroli IV^{i} pertinet, ut inveni ex adhaerente expositione hymnorum. Num quid nosti Balbini locum in vita b. Arnesti de codice hymnorum bohemicorum et latinorum modulis musicis *antiquis* insignitorum? Laudavit hunc princeps abbas Gerbertus in suo opere praeclaro de musica sacra. Jam combina haec omnia et animadverte, cur in sequioribus MSS., in quibus expositio habetur bohemicorum antiquorum vocabulorum, identidem bohemica recentior. Sed hoc plura alias, postquam convenerimus. Vale iterum et me veterano amore prosequere, ut ego te diligo. Quaeso, significa, quid eruditiores Russorum de meo conspectu Bibl. slav. sentiant et quid magis desiderent.

LXXXV.

1792 — 9. října. Dobrovský zmiňuje se o své cestě a o evangelistáři Vídeňském, podává zprávu o hlaholské abecedě Divišově, o zvláštnostech pravopisných v rukopisech Petrohradských, o staroslovanských grammatikách a mimo jiné o bibli Skorinově, z níž podává ukázku, o svých nálezech v Petrohradě a v Upsale, o ruských učencích, o příbuznosti maďarštiny k finštině a o ruském akcentě.

Petropoli 9. Oct. 1792.

Fortunato Durichio Jos. Dobrowsky sal. plurimam.

Optassem ego, ut literas tuas diebus aliquot prius accepissem. Pluribus enim respondere potuissem, quod nunc non nisi paucis et praepropere fieri potest. Jam enim de abitu cogito. Mosqua Kiowiam pergam, inde Leopolim etc. Habeo tibi gratias pro misso longiori specimine bohem. ex Evangeliario. Putavi illud antiquius esse, quam nunc sentire possum. Est certe sec. XIV. etiam quoad linguam et vocabula. Nec mihi otium suppetit, ut illud conferam cum aliis; serviet tamen alio tempore.

Tu nosse seriem cupis Alphabeti volente Devisio (in monasterio Slavorum Pragae, ut ego judico) in membranula separata scripto — Brewnovi-

*) Za *ſſenmyech.*

**) Genz alias sequenter gez. In penso: Erat Deus eiciens demonium: »ſemel tantum heic, et nunquam alias in 119 pensis tot enim numero universim, — wyhna byeſſy.

enses enim in ipsa membrana codicis post alphabetum hebraicum, graecum et latinum scribere illud potuissent et debuissent, sed allatam seu missam sibi membranulam agglutinarunt solum Brewnowienses. Habe igitur: glagolitici haec est series: az, buky, widi, glagole, dobro, geſt, zzywyte, zelo, zemla, yzze, i, ge (Ꙉ), kako, ludy, myſlyte, naſſ, on, pokoy, rczy, ſlowo, trdo (sic), urt (ѹ) non satis distincte scriptum, frt, chyr, ot, ſſtya, ci, czrw, ſſa, ger, yat, yus. NB. cum щ hic sit 800, potui solvere dubium, quod Russis insolubile videtur, nimirum formulam in MS[to] vitae Wladimiri membranaceo Novogrodii scripto: ҂щкв h. e. 6822; attamen in annal. russicis manuscriptis a me inspectis pro щ, dum numerum exprimere debet, ѿ reperi. Rutenici haec est series: А Б В Г Д Є Ж Ѕ Ꙁ І Н Ꙉ Ꙃ (scribendum fuit К) Л М Н О П Р С Т Ꙋ Ѳ Х Ꙍ Ѣ (nimirum Ћ scribere voluit) Ч (Ц voluit pingere) Ү Щ Ъ Ꙗ Ꙋ. Vides ipse errores hujus alphabeti. Diviss scribitur: Дивишъ.

Mirum illud, quod a d. Whide accepisti, sed metuo, ne characteres utrique alphabeto communes pro glagoliticis habuerit vir eruditus. Problema esto: ĩ. ѧ̃. ĩ., quem annum exprimat in *Minĕja* MS[ta] bibliothecae academicae Petropol. Hunc librum in membrana scriptum pro antiquissimo habuit Bacmeisterus; ego librum examinans et cum Evangelistario an. 1317 conferens dubitare coepi de aetate Sed nunc jam video, ѧ̃ non posse sumi pro 800, verum pro 900. Igitur pro anno 1298, quem codici assignavit Bacmeisterus, restituendus erit annus 1398, quocum orthographia convenit. Frequenter enim, immo post consonas fere ubique ү sine *o* scribitur (initio tamen оү), cum tamen in codd. antiquioribus semper оү etiam post consonas scribatur. ꙑ quidem ubique pro ы, sed is mos est adhuc codicum seculi XIV[ti] exeuntis, uti antiquiorum omnium. Anno 1445 jam ы inveni et in sequioribus omnibus. Sed hoc jam monui codicem Olomucensem describens. Eadem est ratio τοῦ ѥ initio et post vocales — pro quo tamen sec. XIV jam reperitur, quamvis rarius, є grandiusculum. ѡ̈ duobus punctis notatum sec. XIV reperitur semper. Vocales aliae initio syllabae unico puncto ı̇, ы̇ pro ', quod jam in Evangeliis sec. XIV reperi. ꙗ et ѧ hoc discrimine usurpantur, ut hoc post consonam, illud vero (ꙗ) post vocalem aut initio vocis locum habeat. ѫ (jus) non nisi in codd. sec. XVI. reperitur, de quo recte *Laurentius Zizanius* in grammatica slavonica inter canones orthographiae canone de ѫ »sego obykoša upotreblāti ljudïe serbstii i wolochowe w město ꙋ i ю̃.« Ergo in Russia minori mos ille universim non obtinuit. Apostolum ante an. 1548 scriptum dum nuper evolvissem, saepissime confusas literas ѫ et ѧ observavi, quae res aliter non potest explicari, quam scribam non assuetum huic characteri continuo in describendo codice, quem prae oculis habuit, exerrasse.

Inter omnes grammaticas, quae hucusque mihi venere in manus, optimam judico Smotriskianam. In Newskyano monasterio an. 1723 in 8. min. impressa est »Grammatika slawenskaja«, quam collegit in graeco-slavenica schola Novogrodii pone domum archierei *Theodorus Maximow*, hypodiaconus, scholae Magno-novogrodensis discipulus (učenik). Hunc libellum jam in bibl. univers. Aboensis in Finlandia vidi, atque iterum hic Petropoli in bibl. academica. In monasterio autem Newensi nihil monachi nunc sciunt de typographia, quae olim exstiterit — sunt enim istarum rerum minime studiosi.

In bibliotheca Nevensi, quam, nisi eam nominasset *Bellermann*, prof. nunc Erfurtensis, in observat.: Bemerkungen über Russland, nunquam accessissem, nihil plane ad lit. slavicam pertinens (NB. neque unum codicem biblicum impressum integrum inveni, praeter sermones Chrysostomi). Nescio, quomodo exteri huc commigrantes laudare possint ea, quae nullibi negliguntur magis, quam hicce. Igitur Mosquam mihi properandum est.

Joannis Holesch. cognitionem linguae slavicae pertenuem fuisse, utpote qui Slavos in Emaus audierit aliquot vicibus sacra canentes, vel ipse commentarius ejus innuere videtur. Tys ſpaſa *wſcho mira* non fuit reddendum (ex sensu Adalberti) salvator *totius* mundi, sed *Salvator mundi* simpliciter. Non enim *mir* se solo mundum significat, nisi serius, sed cum *wes* conjunctum, nimirum *wesmir*, universum, tota mensura, collatum cum nostro *wesmĕs*, russ. *wesma*. Prima vice observavi hoc in cod. Olomucensi; putavi autem esse lect. variantem. Verum nunc, cum e duobus codd. MS[tis] sec. XIV. lect. var. colligerem, constanter *wesmir, wsego mira, wsemu miru* reperi, quamvis in eo cod., qui est paulo recentior, saepius etiam sine *wes* reperiatur. Immo et in impressis tibi possum excitare loca, in quibus *wesmir* relictum fuit, quamvis in graeco *τὸ wes* non exprimatur. Poterisque certo etiam hac observatione judicare de antiquitate codicis alicujus. Discrimen illud inter **миръ** et **міръ** arbitrarium est et sequioris orthographiae.

Lubens omnino delerem, ut vel sic commonitionibus tuis morem geram, ea, quae de Nicolai Psalterio aut universim de aetate lit. glag. scripseram, dummodo convinci possem de antiquitate illius glagolitici codicis, quem tu nominasti. Nicolai formula certe ob nimias asseverationes suspecta est, quantum attinet ad codicem, ex quo ille transsumsit. Sed monachos aut otiosum et curiosum hominem aliquem, ad fucum faciendum popularibus suis, auctorem esse alphabeti, et pro Hieronymi invento venditatum, constanter propugnabo, etsi de aetate non adeo sim sollicitus. Vix tamen mihi persuadere possem, ultra initium sec. X ascendere ejus aetatem. Cyrillo plane coaevum esse, qui probabis? Videris tu mihi innuere, Cyrillum *omnium* Slavorum rationem habuisse, dum conderet alphabetum.

Vide, ne nimium sit, quod defendis. *ſſcz* certe apud nos antiquius esse quam *ſſt'*, nullum dubium est; apud plures gentes slavicas hucusque **щ** non aliter, quam *ſč* pronunciatur, quomodo ergo dicere potes slavonicam enunciationem veterem vim habere elementorum **ш** et **т**. Et **щ** quomodo ex **ш** et **т** compositum est ($\overset{ш}{т}$)? Atqui **щ** ex **ш** et **ц** (шц, vel **ϣ**) compositum est meo judicio aut potius ex alphabeto coptico una cum nomine sumtum. Scemensis (mihi obversatur animo Skiemensis vel Seemensis) episcopus quis sit, quaerendum erit. At conjecturam tuam, qua legendum putas Boemensis, omnes alii probare poterunt prius, quam ego, qui eadem contentione, qua tu ubique defendere et in Bohemiam invehere conaris, ritum slavicum e Bohemia proscribere soleo. Gaudeo multum a Sclavis te migrasse ad Slavos vel potius Slowanos. Vellem tamen, etiam *Slava*norum, respiciendo Nestoris auctoritatem atque aliorum, rationem haberes. Utramque ego pronunciationem vetustissimam censeo, — quid enim differunt *grad*, *grod*, blagoslowiti, blahoslawiti, nisi varietate pronunciationis, at tamen nativae, propriae, privae; ita sentio

de vocibus Slawan et Slowan — linguam, quam grammaticus hic slawensky iazyk appellat, alius slowensky nominat, recte uterque. Deinde cuperem, ut ostenderes, qua ratione Slowan seu Slawan formatum sit ceu gentile a regionis seu regionum *slawy*, *slowy* (uti Čechy, Pomory, Slezy, etc.) appellatione; w slowech, w slawech, meo judicio, idem est, ac in terris *nostratibus*, *notis*, *nominatis*, in quibus noster sermo obtinet, quas nostris patriis *appellationibus* insignitas distinguimus, novimus. Peregrinum omne *čud* et *njemec*.

Aboae plura servantur impressa volumina pariter ac manuscripta slavica. Haec fere politica recentioris aeui continent, illa liturgica complectuntur. Novum Testamentum cum Psalmis (qui tamen in exemplari desunt) Vilnae 1623., 8. memoratu dignum propterea, quod in titulo legatur: nowo wo mnozie z grečeskago tщaniem innokow (monasterii S. Spiritus) isprawlenii. NB. Capitum distinctio usitata apud latinos et graecos impressos. »Lexikon latinskij s' Kalepina preložen na slowenskij« in 8. satis spissum volumen. Grammaticam Theodori Maximow jam nominavi. Petropoli vidi grammaticam w *Kremjanci* roku 1638.^{8}. impressam pessimo typo; estne tibi nota? Si non, dabo tibi descriptionem. Nolo enim chartam implere rebus tibi forsitan jam notis.

In libro periodico: »*Utrennij swiet*« Septembri I. parte (Petropoli 1777.8.) pag. 55. N. IV legitur inscriptio: »o pismenach slaveno-rofsijskich i tisnenii knig w Rofsii«. Certe et tu allicereris hac inscriptione ad legendum, uti ego. Sed cape contenta. Ignotum esse, ait, fuerintne literae ullae (način̆ertanïe) in usu apud gentes septemtrionales ante *Wladimiri* tempora. Slavis an. 855 a Michaele imp. missas literas — a Cyrillo et Methodio libros versos etc. Sub Joanne Basilewicz impressa fuisse primum Acta apostolorum Mosquae — en totius dissert. summam. Nobilis d. *Puschkin*, qui omnia patria colligit eo zelo, quem in Neubergio nostro mirati sumus, non novit aliud antiquius opus in *Russia* impressum. Sed et Franc. Skorinae me meminisse oportet. Praefixit is bibliis slavonicis titulum **БІБЛИА РѸСКА** | wyložena doktorom | Franciskom skorinoju | iz slawnago grada po|locka, bogu ko čti i | ljudem pospolitym | k dobromu naučeniju. | In encarpo supra scutum vacuum — infra solis et lunae facies conjuncta in uno, signum Ѫ in altero scuto; pag. 2da imago Creatoris — angelorum pugna — fol. ĭ. Praefatio d. Franc. Sk. de Polock in integra biblia russicae linguae; libri Novi Test. hic recensentur eo ordine, quo in Vulg. latina leguntur. Summaria se apposuisse »o sych knigach wseja biwlii« pro parvitate intellectus sui etc. Propositum igitur habuit, integra biblia edendi. Clausula post librum Geneseos, cum qua reliquae singulis libris subjunctae fere conveniunt: powěleniem i pilnostiju učenogo muža, w lekarskych naukach doktora Franciska Skoriny s polocka. U welikom meste Prazskom. Po letech — — 1519. (in 4to); ante Exodum | uti et alios libros: | — — knigi — — zupolne wyloženy na rusky jazyk doktorom etc. Singulis libris praefatio specialis praemittitur. Post Exodum: w slawnom welikom meste prazskom. Characteres sunt simillimi Venetis seu iidem prorsus, quos tibi libellum ab eo impressum recensendo descripsi. — Majusculae sunt rectangulis inclusae, varie ornatae. Pro ъ saepe contractio ^{s} (^{u}) (^{n}), non duo puncta, ut Bacmeisterus dixit, uno verbo *jerok;* pro ѣ saepissime simplex є post consonas, ut vulgo Russi: wera, mesto, chleb, delo, (pro дѣло) etc. ѹ rarius pro u (ѹ): naѹčenie.

In praefatione vox *mowiti* Polonum prodit. Lingua slavica non semper pura, sed ad russicam (Russiae albae) accedens. Bibliis slavonicis manuscriptis certe usus fuit, sed textum ad Vulgatae lat. fidem recensuit atque recenter interpretatus est; accentus acuti rariores. Cap. 3. Geneseos: zmijaže bje chitrjeiši wsech zwerěi zemli ichže sotwori gd bog. onaže reče k žene počto zapowědal wam bog neesti ot kažnogo drewa raiskogo. i reče žena ko zmii ot plodu drěw eže sut (сутъ) w rai esmy, toliko ot plodu drewa eže est posredy raju, zapowěda nam bog neiasti i ni dotykati sã ego da nepomrěmo. togda reče zmija k žene nikako smertiju umrete, westь ubo bog iako w kotoryiž kogda deň esti budete ot nego otowrut sã oči waše i budete iako bogowě wediãщe dobro i zlo. Chartarii signum nullum. Pragam judico polonicam judicari. Non jam miror, quod exemplar bibliorum integrum, dum Ostrogiensis editio pararetur, inveniri non potuerit. Nam excussis MS[tis] libris bibliothecae academicae non alia reperi, quam Evangelistaria, Evangelia quatuor, Apostolum, (nec unum exemplar Apocalypsis); nullum librum V. Test. praeter Psalterium. Conferendo exemplaria vetustiora cum textu impresso mutationes plurimas (non omnino semper felicissimas) subiisse vers. slavicam deprehendi, adeo quidem, ut dubitem, restitui posse versionem cyrillicam puram seu quoad textum seu quoad linguam. Lectiones jam inde a sec. XIV substitutae codicum graecorum recentiorum; lingua mirum quantum foedata, synonymorum infinitam varietatem e. gr. Joh. 4, 6: Kladãz, istočnik, studenec (*πηγή*) etc. etc. non attingendo. Supinorum neglectum, quem tamen nostrae editiones bohemicae antiquiores retinuerunt, doleo, uti Joh. 4 7: počret *al.* počert (wody), ubi impressus *počerpati* legit, v. 15. počerpat, počrpat pro—ati. Hoc tamen cum voluptate observavi, textum impressum non semper codicum juniorum mutationes sequi, quamquam hoc frequentissimum sit, sed quandoque antiquorum fide roborari. Maxime displicet, dum syntaxim slavicam neglexerunt anxii correctores e. gr. Joh. 4, 27 duo MS[ta] antiqua legunt: *niktože nereče*, ubi in impresso *ne* ommittitur etc. etc. Sed non est locus hic examinandi vitia vers. slavicae, ut eam habemus typis editam. Ipsa editio prima ad fidem codd. recentiorum excusa fuit. De his et similibus alias; nam vers. slav. descriptionem ampliorem paro.

Upsalae plures servantur libri slavonici a Sparwenfeldio et Bergio bibliothecae donati, quorum indiculum confecit Michael *Groeningius*, translator regius (auctor *grammaticae* russicae pro Suecis) anno jam 1753. 5. Jul., quem integrum descripsissem, si et anni et loca impressionis accurate fuissent apposita. Ex Sparwenfeldianis praecipuos nominabo (NB. imaginem viri reperire non potui):

1. Otca i ieromonacha Symeona polockogo *Slownik polono-slawensky* — fragmentum ab *A* usque ad miscurka; polonica lit. lat. scripta, slavice lit. cyrill. explicantur. fol.

2. Lexicon slaveno-latinum (manu Sparwenfeldii scriptum); additum: relié a Moscow 16. Decemb. 1584. Ex hoc, ut apparet, IV. voll. auctiora adornata sunt. Non magnum ego pretium huic labori seu potius rudimento statuo. Est enim simplex vocabulorum magno intervallo separatorum collectio cum latina interpretatione, quo fere nunc jam carere possumus. *Temleri* opus

multum praestat; est enim ex operibus slavice scriptis collectum. Sparwenfeldii opus certe nil aliud est, quam inversus Calepinus.

3. Lexicon latino-slaveno-germanicum, fol. 1. vol. germanica non nisi usque ad vocem calcifraga.

4. Lexicon slaveno-latinski (supra manu Sparwenfeldii: »le Calepinus renversé tout entier — — d'une methode inconnue) ахпс, 1686 fol. 1 vol.

5. Grammatica in 4to Mosquae anno 3tio Alexii Michael. impressa; pag. versa legitur titulus grammaticae slav. (Smotriskianae 1619) — — quae de verbo ad verbum a Sparw. versa est latine et marginibus hujus impressi exemplaris apposita. Haec grammatica in 4. foll, ҃мд non videtur tam accurata, uti Smotriskiana, quae causa fuisse videtur, quod Sparw. latinam vers. gramm. Smotriskianae cum hac conjunxerit, ad eam supplendam et illustrandam.

6. Elementa linguae slaveno-russicae (Mosquae 1667) latine reddita a Sparwenfeldio Holmiae 1704. in Januario. Versio scripta est in charta singulis foliis exempl. impressi inserta. 8. ms.

7. Epicteti enchiridion a Sparwenf. slavon. versum an. 1710 in eod. Cebetis tabula — — 1710 in 8. ms.

8. Seneca christianus (typis Dragonelli an. 1658) versus Stokholmiae 1702.8. N. 7. et 8. lit. slavon.

9. (Nectarii [1662]) *ὀρθόδοξος ὁμολογία τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλ. ἀνατολικῆς* in 8. foliis huic exemplari impresso insertis slavicum textum adscripsit Sparwenfeld Mosquae an. 1685. (num etiam verterit?)

10. Codex MStus Evangeliorum in charta. fol.

11. Quatuor Evangelia Mosquae 1657 sub Nicone patriarcha cum capitum et versuum divisione vulgo recepta, fol.

12. Beryndae Lexicon slav. russ. in Kutein. monast. 1653. 4. Expositio vocabulorum biblicorum seu nominum propriorum.

13. *Strykowsky* 3. voll. e polonico (Regiomontii 1582) in slavonicum conversa Mosquae (sed a quo?).

Praeter hos Upsalae servatur Katechismus lit. cyrill. in 8. minor. 1561 Tubingae a Primo Trubero Maximil. regi Bohem. dedicatus — germ. titulo: Catechismus mit Auslegung in der *syruischen* Sprach. Eundem lit. glagol. in lit. boh. recensui.

Bergiani (Nicolai Bergii) fere liturgici sunt argumenti, qui integrum scrinium implent, quos recensere non vacavit. Bibliothecarius Aurivillius, vir humanissimus, plur. sal. dicit cl. Denisio, pro quo mihi quaedam munuscula lit. tradidit.

Ex Sparwenfeld. libris est quoque »Constructio sive strues tritemiana, cujus hae sunt principaliores utilitates, qui nullum unquam idiomatis bohemici calluit verbum, per eam in momento scribet convenienter bohemice, quantum volet.« Auctore Raphaele *Mnisch*; ad fin. Junii 1618 (vel 1628). Mirum artificium, sed ut mihi videtur, nullius utilitatis; libellus MStus duos digitos crassus in 8vo.

Quaeris postremum ex me, quid eruditiores Russi sentiant de opere, quod paras. Ut verum dicam, non potui altero jam mense urbem percur-

sitans *eruditos* Russos istarum rerum amantes reperire. Interim spe delector, me reperturum Mosquae viros, qui slavonicarum antiquitatum curiosiores sint. Placuit quidem conspectus operis metropolitae hujati, quin tamen mihi significare potuerit, quid amplius desideret. Placuit quoque archiepiscopo Mohilewiensi, eccles. nostrae, qui opus de Taurica tribus partibus constans gallico sermone congessit, in quo quaedam de Chazaris (non slavicae originis) adferuntur. Russi nativi nihil, nisi vulgarem suam legunt, atque scribunt — minus curiosi aliarum rerum — romanenses historias vertunt et vendunt, solidiora fere fastidiunt. Nowikovium doleo nunc carceribus detineri, quod apud eum reperti essent libri prohibiti. Nobiles, qui Mosquae degunt, fere hujus ingenii sunt, ut aulae imperatoriae minus faveant. Horum suasu, ajunt, Nowikovium inductum fuisse, ut ederet vertique curaret libellos minus placentes auribus hominum aulae servientium.

Hungarorum originem mihi detexisse videor, examinando dialectos linguae finnicae, praecipue Permensium, qui se *Komi* appellant. Sed his tu non delectaris, nunc saltem non occuparis. Quos, putas, melius intelligi a me, Russosne an Polonos? Polonos. Russorum pronunciatio, praecipue accentus perturbat audientem Bohemum, qui clarius omnia profert et prolata distinctius audire consuevit. Taceo, usurpari vocabula nobis plane ignota. Nunc jam literas finire cogor, ob frigus cubilis mei. Auram asperiorem sine incommodo non fero. Aureae enim venae fluxum promovit, immo excitavit primum aeris asperitas. Proxime Petropoli discedam. Tu vero vale quam optime.

LXXXVI.

1793 — 4. února. Dobrovský zmiňuje se o svém pobytě v Moskvě, podává zprávu o zaslaných Durichovi knihách, o své zpáteční cestě, o bibliothekách Varšavských a o Skorinovi.

Olomucii, die 4. Februarii 1793.

Fortunato Durichio amico integerrimo s. pl. Josephus Dobrowsky redux.

Nescio, utrum literas Petropoli scriptas obtinueris. De hac re proximis lit. me facies certiorem.

Petropoli mense Octobri medio Mosquam festinavi. Ibidem facultatem impetravi synodalem bibliothecam lustrandi. Specimina quaedam e codd. antiquis misi hodie per aurigam *Franz Stephan* bei der weissen Rose in der Leopoldstadt — per eundem obtinebis:

1mo Biblia georgiana, quae usui p. Alteri concedit professor quidam Mosquensis; postea pretio notabili divendenda; si Bibliotheca Caesarea solvere velit 25 aureos, faciam, ut Vindobonae manere possint; secus mittenda erunt duci Würtenbergi. Si prius (ante annum) Mosquam venissem, licuisset ea emere apud bibliopolam Rudigerum, apud quem exemplar unicum 10 rublis prostabat, quod nunc in bibliothecam Comitis *Buturlin* illatum est.

2do Biblia slavica, 3^{tium} edita post correctionem, typis claris — editiones aliae non possent tibi esse usui — Kioviensem in folio recentissimam ob caritatem (30 rubli exigebantur) Mosquae emere non potui, sperans adhuc Kio-

vium me venturum. Sed multae causae iter aliud suadebant. Praefationem illam historicam in exemplaribus in 8vo non reperies.

3. Quatuor evangelia in charta scripta initio seculi XVI., in quibus ѧ et ѫ saepius confusa invenies. Haec servabis apud te, commoda occasione mittenda Ribayo, uti et libellos duos parvulimmos in 24 aut 32mo lingua suecica unum, alterum fennica impressos.

4. *Opyt trudow**) tuo usui ad tempus destinavi, reddenda mihi iterum.

His adjacent: excerpta e grammatica slavica, quam in bibliotheca typographica inveni, satis curiosa. Auctor fuit Servus.

Opuscula Upsaliae impressa cl. Denisio mittit *Aurivillius* junior, vir humanissimus. Sed ad rem tuam pertinebit dissertatio de libro *Dimne*, cujus usum facile impetrabis ab amico. Librum hunc, ut obiter notem, pulcherrime scriptum in charta lingua georgiana cum figuris coloratis in folio vidi apud principem quendam georgianum. Alios libros in Georgia impressos apud episcopos georgianos, quos Mosquae visitavi.

Mosqua abii 7. Januarii recta tendens per Danaprum, Njemen, Bug, Vistulam ad urbem regalem Varsaviam. Adiens bibliothecam Zalusk. manuscripta boh. et slav. inspicere volui, sed frustra quaerebantur. Dolebant bibliothecae praefecti sortem bibliothecae variam. Notavi tamen quaedam opuscula slavicis dialectis impressa. Sed de his alias; cum tibi ad quaestiones tuas ordine respondebo.

In regia bibliotheca nihil erat notandum. Cl. vir abbas Albertrandi, bibliothecarius regius et canonicus, regi exhibuit et praelegit conspectum operis tui. Bonam ille concepit ideam de hoc opere. De Skorina multa sciscitatus sum; nihil ille de hoc viro invenire potuit. De Praga seu inpressionis loco multis argumentis mihi persuasit, non posse intelligi Pragam ad Vistulae ripam e regione Varsaviae — ergo Praga nostra intelligenda erit. Libros Regum vidi in bibliotheca archivi Mosquae, item in typographia synodali — librum Actuum apostol. descripsit protopopus Alexius, auctor lexici ecclesiastici, in *Opyt trudow*. In alios (NB. non omnes) libros praefationes in bibliis manuscriptis biblioth. synodalis ad finem collectas reperi, ut inde conjicere saltem liceat, quinam libri editi fuerint. Cl. *Barsow*, professor Mosquensis, qui nuper obiit, asserere solebat, integra biblia russica Skoriniana extare.

LXXXVII.

1793 — 16. února. Durich raduje se z návratu Dobrovského, podává zprávu o zaslaných jemu knihách, jakož i o knihách vydaných Skorinou v Praze a o Časoslovci Krakovském.

Viennae, die 16. Febr. 1793.

Josepho Dobrowsky, amico suo integerrimo, feliciter ex itinere literario slavonico Pragam redeunti Fortunatus Durich s. p. d.

Intimo cordis affectu et summo gaudio te feliciter redeuntem amplector! — subsiste paulisper ipseque ad affectum redi, quo velles aequalem amicum identidem in patriam redeuntem salutare.

*) Durich nadepsal: Specimen difficultatum.

Die 9ª Febr. omnia et singula, ut adnotasti, per illum Olomucensem aurigam obtinui, atque singula opuscula cl. Denisio pertinentia in manus extradidi, qui de tuo, una cum omnibus tibi notis amicis Vindobonensibus summopere gaudens adventu, impense gratias agit, ego plurimum, non minus prof. Alter. Quod ad biblia georgiana attinet, nudius tertius, nimirum prima die post ferias, quum prius fieri non potuerit, perlato codice s. laudato in Bibliothecam Caes. cl. Denisius una cum celebri hac editione accessit praefect. Bibl. V. S. et ut codex Bib. Caes., quo fors tota Germania caret, adscriberetur, propositis rationibus ex recensione cl. Eichhorn: Von der Georgischen Bibelübersetzung pag. 153 — Allgemeine Bibliothek der biblischen Literatur. Leipzig 1787. 1. B., quibus et suas addidit, redux hoc responsi tulit, etsi necessitatem libri omni modo vindicare conatus fuerit: man soll *handeln*, quod verbum indigne tulit custos S.— et cl. Denisius repetiit admirans: handeln. *Si viginti nummis aureis vendi possit, hoc pretio ut codex ematur.*

Nunc itaque rescribe, quid facere debeam; sed prof. Alter humanissime te interpellat pro usu hujus codicis, quem ille prof. Mosquensis humanissimus ei concessit. Nunc meo nomine summas tibi habeo gratias pro codice slav. bibl., qui *spiritus et vita* est mei museoli; sed pretium omnium impensarum accipe a r. P. Joanne Chr. et quidquid tibi debeo, (ad impensas quoque vehiculi animum reflecte) tibi de meo peculio vindica.

Omni diligentia conabor mature excerpere illa monumenta literaria, quorum usum mihi concedis, quaeque mihi plurimum servient, praesertim *τοῦ* Опытъ Трудовъ pars 1. et 6. atque etiam gramm. MSS. et specimina charact. singul. Non possum hodie ad singula momenta tuae mihi gratissimae epistolae consueto more respondere et illa tecum communicare, quae mihi recenter investigare licuit; hoc solum noveris: Scorinianas editiones complurium partium sacri codicis mihi diplomatica certitudine jam innotuisse, ut, quod tu exceptis Libris Regum, frustra in partibus Russiae quaesiveras, id ego tecum ad desiderii tui satietatem communicare valeam, sed paulisper patientiam habe; coarctor enim praesentia mei ex fratre nepotis, qui nuper ad me adveniens de longinquo et accelerato itinere infirmabatur; sed jam hodie melius valet, quem ut primum vehiculo ad redeundum Pragam promovero, ad scribendum accedam tibique satisfacere plenius conabor.

Ribayus nuper ad me dedit literas notitiasque slav. episcopi Mun. Bačinskii aliasque mecum communicavit, qui desiderio tuarum epist. ferebatur; ad hunc identidem de tuo reditu perscribam. Unum exemplar tuae Historiae ling. boh. habere desiderat. *Pragam* nostram esse locum editionis complurium partium s. cod. Scorin. illa subscriptio Libr. Regum: **Выдана — ꙋ великом҆ месте Праꙁскомъ** *certum est.* Jam superest, ut te interpellem: velis in fastis medicae Facultatis decanorum inquirere, an Francisci Scorinae: **в҆ наꙋкахъ и влекарстве ꙋчитела. ꙋ великом҆ месте П** — memoriam circa annum 1518 — praecedentia nimirum vel consequentia tempora decani fecerint?

Scorinae memoriam et operum ab illo editorum a Bacmeistero primum factam fuisse magno errore scribitur p. 6ta Опытъ Трудовъ, nam ex Simonis Starovolscii opere inscripto »Scriptorum polonicorum *Ἑκατοντάς*, Francof.

1625 in 4to in margine ad N. XXXIX: »Anno 1430 multos in Moschovia parachr. typogr. sacrae Scripturae libros in *sclavonicam* ab illo [Joanne Glogoviensi] translatos vidimus, impressos vero Cracoviae sumptibus Jo. Haller, civis Cracov., qui omnes suas facultates in hoc ipsum contulerat, ut literae meliores diversis excussae linguis et characteribus spargerentur in usum Septemtrionalium. Similiter lustravimus libros doctore Francisco Scorina Polocense interprete Pragae excusos.

Nunc mihi constat etiam de **Ѵасословецъ — Доконуана бысна книга оу великомъ градѣ оу Краковѣ. при держалѣ великаго корола полскаго Казимира. и досконуана бы мѣщанинѡ краковъскымъ шваипольтомъ, фѣоль. из нѣмець немецкого родоу. франкь. и сконуашася по божнемъ нароженнем' ді съть. девятьдесат и а лѣто.** (1491.)

Sed jam vale et requiesce tanto itinere peracto; saluta omnes amicos, salutant te omnes noti etiam hujus monasterii; iterum vale!

Ignosce, quod omnino serius ad te perveniat haecce epistola adclusa, quam ad te mea cum epistola mittere debebam, sed accelerando quum ad te Petropolim literas darem, oblivione factum est, ut eam non includerem. Vere itaque respondere poteris ad te sero pervenisse, quia et mea Petropolim ad te serius pervenit, tegesque meam oblivionem, ne amicus indignetur.

LXXXVIII.

1793 — 21. března. Dobrovský děkuje za přání k šťastnému návratu, odpovídá k otázkám Durichovým z oboru palaeografického a literarního, zejména podává zprávu o ruských grammatikách, slovnících, o historii literatury, o překladu Homerově, o knihovnách na hoře Athos, a mimo jiné oznamuje svá desiderata, zmiňuje se o jazyku koptském, o Skorinovi a rukopisech synodální knihovny v Moskvě a končí drobnějšími zprávami.

Die 21. Martii 1793.

Fort. Durich Jos. Dobrowsky s. pl.

Primum est, ut tibi gratias agam, uti et omnibus, qui de felici reditu mihi gratulati sunt, pro affectu illo sincero, quo me licet absens redeuntem excepisti. Deinde te monitum velim, ut tu ipse mihi indices, quibus de rebus ampliorem notitiam a me cupias. Nam tam multa sunt, quae in chartas conjeceram, ut tempus mihi non suppetat modo omnia in ordinem redigendi; nisi forte malles, meis uti schedis, vix legibilibus. Nunc tamen ad quaest. palaeographicas ordine sed brevissime respondebo, exspectaturus a te, ut iterum alias atque alias quaestiones ingeras.

1. Nullane harum figurarum **ъ, ы** vel **ъі**. — — Resp. Reperiuntur sane, uti et omnes reliquae, puta **ю, ѡ ѯ ѱ** (**ѵ** fere excipiendum est) in manuscriptis codicibus antiquissimis, in inscriptionibus, in nummis, campanis, sigillis, vasis et vestibus sacris, librorum tegumentis ex argenteis aut alterius metalli laminis etc. etc. Tredjakowskii auctoritas nulla est, utpote qui deliret et multa asserat sine fundamento ullo. **ѧ** ego ex **ꙗ** seu **ѧ** ortum puto, non ex **ѣ**; nam figura **ꙗ** recentior est. **ѿ** non ex **ш**, nam et haec figura pro **т** recentior est; neque **ѵ** ex **П**, nam et haec figura pro **В В В** recentissima est, sed potius ex *u* la-

tino. Certe auctor alphab. glagol. ad latinarum lit. figuras saepius respexerat, uti in р formando pre п. Confer, si placet, lit. Hetruscarum figuras et reperies ‹ pro к etc.

ъ vocalis vice fungi seu fulcrum vocalis non scriptae esse, in codd. reperi, sed vix credo a Cyrilli institutione hoc ortum, sed a scribis russicis, qui cum eo loco ъ saepius offendissent, quo loco illi *o* pronunciant aut е, accidit eorum incuria, ut etiam quandoque ъ scriberent, ubi vocalis exprimenda fuit; e. gr. in instrumentalis terminatione *om* seu *em* (ъмъ).

2do. An ꙗ semper et ѧ nunquam. — Resp. utrumque in antiquiss. codd. inveniri et quidem ꙗ initio vocum et syllabarum post vocalem, ѧ autem post consonam. Hoc regulariter observavi. Exceptiones raro occurrerunt. Par ratio cum ѥ et є; primum initio vocum et syllabarum post vocalem, alterum post consonam scribitur. In nummis nulla salus, nam antiquissimi nummi multo recentiores sunt codd. manuscriptis. Non enim nummos lit. slavicis signabant ante sec. XIV, de qua re vide Bacmeisterum de bibliotheca academica — et das neue Petersburger Journal. Vidi ego nummos, qui in Academiae nummophylacio servantur, omnes et nihil memoria dignum ad illustrandam palaeographiam observavi, quod non in codd. observassem.

3tio. In archivo Mosquensi servantur diplomata a sec. XIII cum sigillis plumbeis, — in iis eadem observavi, quae in aliis manuscriptis. Diplomata varia edidit Nowikow in Bibl. antiqua et d. Stritterus in Prodolženię seu Continuatione hujus Bibliothecae, quae Academiae sumtibus prodiit Petropoli.

4to. De modo scribendi Varaegorum. — Resp. nihil detectum hactenus esse. Ego existimo eos aut non usos literis aut Runas incidisse lapidibus, uti Scandinaviae gentes.

5to. Gramotam sudebnajam edidit nuperrime tertium procurator synodi generalis *Mussin Pusskin* Comes, qui omnium monasteriorum catalogos inspexit et chronica Petropolim adferri fecit, e manuscripto antiquissimo, quod vidi. Sed multa jam russica vocabula in ea continentur, uti *golowa*, sic in manuscripto scriptum ipse vidi, pro *glawa*. Mittam tibi hanc editionem, quam primum obtinuero libros meos, quos Petropoli reliqui. Nihil enim recularum literariarum hucusque obtinui, nisi pauca ea, quae Mosqua in trahis una mecum advexi.

De slavico libro legum Methodios nihil omnino sciunt Russi, neque talem unquam exstitisse, qualem Diocleas finxerat, arbitror; nisi forte ille de Nomokanone, quem Russi *kormčaja kniga* vocant, audierit et talem etiam apud Croatas exstitisse crediderit aut opinatus fuerit. Istius sane libri exstant antiqua exemplaria, uti et recentissimae editiones, et re et stylo multum differentes ab antiquis. Praeter canones conciliorum etiam ducum statuta in iis leguntur.

6to. Karionis Istomin Bukwar inspexi (duo tantum exemplaria utpote rarissima vidi) et characteres examinavi; sed nihil, nisi codd. recentiorum implicatos illos oblongos ductus, qui initio Evangeliorum in titulis legi solent, observavi — amant enim Russi hos ductus praecipue in inscriptionibus turrium, aedium, velorum sepulchralium etc. De hoc rarissimo libro etiam in gallico auctore, qui de libris raris agit, *Bure* nomine, honorificam mentionem reperies.

II. *Ex hist. literaria.*

α) Primum grammaticum credunt Smotriskium; nec ipse potui quidquam invenire, quod eo antiquius foret. Neque Sparwenfeldio alia nota fuit, quam Smotriskiana et sequior Mosquensis in 4. anno 3[tio] Alexii Michaelowicž edita, h. e. an. 1648. Hujus ultima exemplaria 60 servantur in typographica aula Mosquae; nullis tamen precibus obtinere exemplar potui, quia e bibliotheca synodali eo illata fuere ante annos aliquot, ut ibidem servarentur. Hujus editionis marginibus adscripsit Sparwenfeld. versionem latinam grammaticae Smotriskianae. — Hafniae duo exemplaria vidi atque alibi. De brevissima illa *w Kremänci* in 8. 1638 edita, item de ea, quam *Laurentius Zizanius* composuerat, quae ambae Russis vix notae sunt, jam tibi scripseram quondam. Smotriskianam scis Mosquae hoc seculo bis editam anno 1701 et 1721 sine auct. nomine. *Theodori Maximow* grammat. slavon. in monast. Newskyano 1723 in 8. impressam possum pluribus describere aut, si mavis, tibi mittere, nam exemplar unum Mosquae, sed lacerum, emi.

Praeter eam, cujus tibi terniones aliquot miseram, *Bělikii*, alias duas manuscriptas vidi: unam Petropoli apud Com. Alex. Mussin Pusskin hoc titulo: **технологіа** — interrogationibus et responsionibus constans, et in qua sectionum seu capitum series secundum alphabetum numericum ab а—ц digeritur; an. 1725. foll. 213 in folio. Capite ultimo de soloecismo agitur. Aliud nihil speciale in ea observavi. Estque hoc opus quasi finis laborum a Russis vulgarem suam jam praeferentibus ad linguam slavonicam illustrandam susceptorum. Nuperrime tamen *Eugenius* quidam pro alumnis academiae militaris Petropoli libellum grammaticum edidit, quem ego exspecto. Altera grammatica (seculo 17[mo] scripta, uti conjecerat *Skiada*, catalogorum confector) exstat in bibliotheca nunc synodali quondam typographica л҃ѳ, libri enim ex typographica bibliotheca in synodalem translati numeros antiquos adhuc habent — in 4[to]. Dividitur in 4 partes: orthogr., etymol., synt. et prosodiam. In orthographia 40 numerantur literae, ubi et de prosodia seu signis pronunciationis. Canon orthographicus novus de ѫ sic sonat: ѫ ljudie serbstii upotreblajut w město ю i ѹ w Slowãnechže sostoitsã točiju w paschalnom ustrojenii. In 2[da] parte seu etymologica de declinatione nominum etc. Declinationes sunt 10, quarum ultima: usta, ustna ili ustně et sani.

Syntaxis non est integra, nam manuscriptum desinit in regulae 6[tae] (pravilo 5) de pronomine explicatione verbis his: priupodobnenie wtoroě. Nihil speciale continet, sed aut copia alicujus grammat. impressae aut compendium esse videtur.

γ) Lexicum antiquissimum, respondente Dom. Kamensky, cui quaesita quaedam Mosquae communicavi et Petro Alexio protopopo, auctore Lexici ecclesiastici, quod Societati lit. Mosquensi debetur, est Beryndae edit Kioviensis an. 1627 in 4. 2[da] editio prodiit in monasterio *Kuteinensi* an. 1653, omissis quibusdam, uti mihi investiganti constat. Characteres illos ignotos nemo novit Mosquae; Petropoli uni ex academicis schedulam reliqui; sed responsum nullum tuli. Nunc Petrus Alexius novam editionem Lexici ecclesiast. parat, in quo vocabula in supplementis adducta suis in locis inserentur; auctius vix prodierit, cum non nisi paucissima ab auctore correcta sint.

δ) Post Nowikowium nihil praestitum est in hist. lit. praeter Bibliothecam russicam Bacmeisteri. Prodiit tamen Mosquae 1784. in 4. Opyt istoričeskago słowara o swãtych mužach rossiiskych, ubi et quidam e literatis in numero sanctorum leguntur.

ε) Homerus slavonice redditus non est; sed solum pars aliqua russice. Inter libros slavonicos manuscriptos in catalogo biblioth. typographicae num. 75 *Ovidius* nominatur, qui liber non adest amplius.

ζ) De libris et bibliothecis slav. in monte Athos, quamvis monachos plures interrogassem, nihil rescire potui. Incidi tamen ipse in aliquot codd. slav. e monte Athos per Arsenium allatos in Russiam magnam.

Ad grammaticas adhuc spectare videtur libellus in biblioth. typogr. inter manuscriptos slavonicos in 8. num. 1: Ritorika et *Bukownik* pisana (w) Jaroslawlě powolskom 7128 h. e. 1620, in quo alphabeti expositio — cum literarum ductibus truncatis, scissis, varie inflexis ad formanda alphabeta cryptographica. — Sed nugas ejusmodi neglexi et contempsi.

Restat, ut num. III. QQ. ex hierographia respondeam. Proxime id fieri poterit. Nunc paucis tecum agam de iis, quae differre non licet.

Codex bibl. georgianus vendi non potest alio pretio, quam statuto aureorum 25. Carius vendi poterit in Germania — immo hic Pragae quidam majus pretium obtulit. Bibliothecae Vindobonensi inferri illum cupiebam propter p. Alterum, non ob aliam causam.

Codex slavicus tibi missus 8 rublis constat; sed nolo mihi pecuniam numeres, ut potius rogem, velis hoc munere contentus esse, cum meliora et cariora non habeam. Si tamen me juvare volueris quibusdam libellis, quorum curatio tibi Vindobonae facilior erit, quam mihi Pragae, facies rem mihi gratissimam. Tales sunt e. gr. alphabeta indica aut alia exotica, quae Romae prodierunt; praeprimis »*Sidharubam* seu gramm. *samscrdamica*«, Romae 1790. Auctor est Fr. Paulinus a S. Bartholomaeo, Carmelita. Dissert. de diis Indorum orientalium — neque auctorem novi, neque locum editionis — mirum ego in nominibus deorum indicorum et slavicorum consensum nuper detexi. *Lorenzo Hervas* Catalogo delle lingue Cesenae 1785. 4°. Ejusdem aritmetica delle nazioni — Ibid. Ejusdem Origine, formazione, meccanismo ed armonia degli idiomi — Ibid. *Tuki* aut Didymi grammat. coptica, prior Romae, altera Parmae, et similia ad cognoscendas linguas exoticas minus notas. Ex p. Altero quaeres, utrum coptica lingua majorem affinitatem (praescindendo a vocibus graecis serius assumtis) habeat cum semiticis, quam cum japheticis seu europaeis: graeca, latina, germ., slav. h. e. num structura linguae, quoad suffixa, verborum tempora, declinationes accedat ad europaeas aut orientales et quibus rebus ceu charactere proprio differat ab utrisque?

NB. Specimina, quae misi, non sunt specimina characterum, sed styli seu linguae, orthographiae, non ductuum. Hi enim non multum differunt inter se.

Scorinae memoriae placuerunt, sed doleo nos carere libris vetustis facultatis medicae — non possum igitur tibi satisfacere. Typos certe Venetiis comparavit — inde Pragam videtur commeasse, a rege Poloniae adjutus, ut autumo, ut libri impressi facilius ad Poloniam vehi possint. Quos libros ego conjiciam ab eo editos, quamvis haud quaquam visos, — mox dicam. In

bibliis slavon. integris manuscriptis, olim monasterii S. Trinitatis seu Sergii ad Mosquam, nunc bibliothecae synodalis, ad finem leguntur varii prologi a descriptore collecti. Post apocalypsim legitur: Praefatio in biblia russica — in biblia generalis, deinde in sing. libros Moysis speciales — mox ego agnovi Skorinae praefationes esse, quamvis nomen ejus non exprimatur. — Sequuntur deinde praefationes in Ecclesiasticum et in Jesu Sirach, in Proverbia, in Jobum, in libros Salomonis Cantica Canticorum, Ecclesiasten — in 4 libros Regum universim et in sing. libros — in Jesu Naue seu Josue, in Judicum, Ruth, Judith, Esther, Sapientiae libros, in Psalterium. In Acta apostol., in epistolam catholicam Jacobi; ad Romanos — Hebraeos. Evangelia ab eo edita vix probare poteris, cum anno 1512 in Ugrowlachia curante gospodaro *Basaraba* prodierint. Videturque rex Poloniae munificentia sua supplere voluisse pro subditorum suorum solatio, quod Basaraba non potuit. Supposito nempe has praefationes ex bibliis russicis impressis descriptas esse, sequitur has partes ab eo editas. In codice biblioth. synodalis num. 470 manuscripto chart. legitur itidem praefatio Skorinae in libros Regum cum aliquot capitibus, quam ex impresso descriptam omnino certum est.

De Skorina memorias communicare mihi volebat canonicus Albertrandi Varsaviae, qui conspectum operis tui regi se praelecturum spondebat; sed dum accessissem eum secunda vice, nihil se invenisse respondit.

Nob. dno. Guldener de Lobes interim salutem dices, quoad ei satisfacere potuero. Attendi certe ubique et semper, ubi quidquam rei lit. augendae innotescere poterat. *Končina* apud Ottonis biographum quid sit, nunc certius scio. *Konec*, monente Strittero, in chronicis russicis vocabantur civitatum sectiones seu partes — inde *končina*, aedes coetui apta in tali parte seu sectione, deducendum est. Ad elevandos mala scriptione ortos Skalavanos tuos, immo armenici scriptoris potius, non jam tuos, velim advertas, a Turcis scribi et pronunciari terram Sclavorum (آرض صَقَالِبَة); igitur Sclavi *Tsakalabi*. Uti igitur Turca, auctor de mirabil. mundi a Podesta p. 108. gramm. turcicae citatus inter S et k interposuit vocalem *fatha*; ita Armenus inter sk et l ad facilitandam pronunciationem, invecto nimirum a Graecis k inter S et l.

Nostine Joannis Glogoviensis versionem et editiones hujus vers. Hallerianas? Ego quidem nihil oculis usurpavi istorum, quamvis alias sequioris aevi versiones viderim manuscriptos quorundam librorum. Jam vale et me amare perge. — Glossarium slavicum quale istud, quod Viennae prodiit?

LXXXIX.

1793 — 28. března. Durich vyslovuje svou ochotu zaslati Dobrovskému výměnou žádané knihy, zmiňuje se o rozpravě o bozích Indických, podává zprávu o koptském a egyptském jazyku, zmiňuje se o tiskaři Št. Novakovići a o archimandritu Raići, žádá o příspěvky ke svému dílu »Bibliotheca slavica« a podává o něm zprávu.

Viennae, 28. Martii 1793.

Josepho Dobrowsky suo Fort. Durich s. pl. d.

Sedibus tuis Pragensibus, immo Musis te incolumem peracto longiori itinere tandem restitutum gaudent omnes mecum, qui profectum et incre-

menta rei literariae amant; ego cum primis, qui non tantum hanc ob causam, verum ob alia quam plurima mihi collata beneficia tibi majoribus officiis sum devinctus. Nihil illo munere totius sacri codicis slavonici Mosquae tertium editi a. ҂аѱнз mihi gratius est, et mea quoque aestimatione meliora et cariora non habebas munera, quorum istud omnino pretiosius sit. Cum igitur nolis, ut tibi pecunia pretii impensi numeretur, libellos ad cognoscendas linguas exoticas, non solum tuis inscriptionibus designatos, verum quoscunque alios hujus commatis obtinere omni conatu satagam. Grammaticae *Sidharubae* auctor mihi notissimus est a pluribus annis, quem oppugnavi universam theologiam Pragae defendentem, a quo commercium epistolare Chinense mihi dono datum iterum donavi regiae bibliothecae Pragensi; si apud bibliopolas hujates venalem non invenero, per Patrem Isidorum ejusdem P. Paulini a S. Bartholom. Carmel. Instit. socium heic commorantem tibi procurare studebo.

Quod ad diss. de diis Indorum orientalium attinet, ut primum Bibliotheca post ferias paschales aperietur, inquiram in auctoris nomen et locum editionis, atque omni studio apud bibliopolas investigabo, ut eam comparare valeam, quo magis mihi ille consensus in nominibus deorum indicorum et slavicorum admirationi est, antiquitatem summam redolens antiquissimarum sedium gentis nostrae; nisi forte sequiori commercio ille consensus adscribendus sit in **Slavia inferiori** (nunc inferiori Saxonia), ut haec adhuc sub finem sec. XV. in libris typis excusis scribebatur. Nosti urbes a negotiatione celebratas, aeque ac cultu idolorum.

Cum professore Altero communicabo tua desideria, copticae linguae proprietatem et comparationem cum semiticis et japheticis attinentia: vix tamen spero, ut tibi, quod ad semiticas attinet, singulatim hebraeam, satisfacere valeat; quum observem hujus linguae studio eum minus teneri, quippe qui Armenorum, Graecorum maxime, atque Slavorum linguas colat. Sed possum mea opinione falli, et utinam fallar!

Quod si meis quibusdam excerptis ex Christiani Scholtz Grammatica Aegyptiaca utriusque dialecti, quam breviavit, illustravit, edidit Carol. Godofr. Woide Oxonii e typographeo Clarendiano 1778 4to maj., ex fragmentis bibliothecae Nanianae a Mingarellio atque Assemano in fasciculis editis; item ex commercio epistolari Lacroziano descriptis et cum lingua slavica a me collatis velis uti, lubens tecum communicabo. Interim haec specimina accipe: 1°, vocabula, nam singulares sonos linguae copticae tute nosti nostra cum lingua communes, quaedam ejusdem prope literarum complexus inveni atque significatus: e. g. ϣⲉⲣⲓ, filia (nosti slav. дщерь); sed, cur non eadem ratione ejusdem originationis ad *filium* designandum utimur voce ut illi, ϣⲏⲣⲓ usurpant? pensa vocabuli antiquitatem philosophicam; atque etiam alterius nostrae vocis sonum et significatum τοῦ *hrom* cum illa copt. ϩⲣⲟⲩⲙ̄ⲡⲉ, ejusdem nobiscum soni et significatus. Particulae ϫⲉ consensum plane admiror, praesertim cum bohemicae dialecti consuetudine comparatum II. Tim. II, 33: ϫⲉ ⲁⲩϫⲡⲉ ⲙⲓϣⲉ; Frat.: *že* plodí ſwáry; ubi slavonica Mosq.: ꙗ҆́кѡ раждаютъ свⷶры. Exodi X, 29: ϫⲉ ⲁⲕϫⲟⲥ ϫⲉ etc. Vid. Scholtzii § 162. —

Conjunctio ab initio commatis aut responsionis saepissime ponitur, ut nota allegationis aut declarationis. Aequivalet graec. *ὅτι,* item aliquando *εἰ*, ut Psal. XIII, 2. In fine positum significat *ἔτι*. Expende nostros idiotismos: Že ne; že to mám; yakž' ſy mluwil etc. Confer verbum ⲗⲉϫϩ, lingere cum nostro lížu; expende nomen Mariae scribi ⲙⲁⲣⲓⲍⲁⲙ, quem ad modum apud nos dicitur Marza; immo quis crederet apud Coptos identidem, ut apud nos ex archiepiscopo sit arczybiſkup, ita apud illos ⲁⲣϣⲓⲙⲁⲛⲇⲣⲓⲧⲏⲥ dici lit. Ϫ in ϣ mutatione; nec offenderis *τῷ cz* et ϣ, qui nosti literarum ejusdem organi variationem, etiam apud nos in participio fieri solitam, ψι in *cz* transeuntis. Sed tu magis desideras ***structuram linguae copticae quoad suffixa, verborum tempora declinationesque nosse, num illa accedat ad europaeas aut orientales et quibus rebus ceu charactere proprio differat ab utrisque?*** Infixa sunt pronomina inseparabilia, quae inter articulum nominis et nomen ipsum inseruntur et cum substantivo praecedenti in genere conveniunt. In singulari masculino articulus Ⲡ, in faem. Ⲧ (NB. Aegyptii genus neutrum non habent, etiam duali N° carent); in plur. Ⲛ, in utraque dialecto semper adhibetur ⲃⲁⲗ *oculus.*

ⲡⲁ ⲃⲁⲗ, oculus meus.

ⲛⲁ ——, oculi mei.

ⲡⲉⲛ ——, oculus noster.

ⲛⲉⲛ ——, oculi nostri.

Conjungatio tantum est unica. Hiphilica exprimitur per verbum ⲑⲣⲉ et ⲑⲣⲟ *facere* cum suis affixis.

Animadverte: ⲑⲣⲉⲕ *facit te* (puto in ⲕ latere semiticum ך). Forma passiva ab activa non differt terminatione, sed e sensu et circumstantiis determinanda est; hac in re japheticae linguae Slavorum v. g. similior est, qui formam diversam non habemus, sed pronom. ca determinamus. S. Hieronymus praef. in regulam S. Pachomii (observante auctore fascic. I. Aegyptiorum codd. reliqq. biblioth. Nanianae pag. LXXXII.): »Simplicitatem Aegyptii sermonis imitati sumus.«

»Verum, prosequitur Mingarellius, haec lingua, ut libere dicam, quod sentio, non modo simplex mihi videtur, sed etiam rudiuscula. Hebraica quoque simplex est, sed sublimi quadam, nobili et eleganti simplicitate, si de illa tamen sermo sit, qua sacri libri conscripti sunt. Aegyptia vero insuavis, stridula, compositis quidem vocabulis abundans, inops tamen potius quam copiosa ideoque ambiguis vocibus ac locutionibus referta, multoque minus in summa elegans meoque quidem judicio est, quam illa, qua populus servitute ab Aegyptiis oppressus loquebatur.« Quae porro addit Mingarellius de lingua aegypt. dicens: »Graeca ipsa verba, quae adsciscit, videntur saepe quasi purpureus pannus plebejae ac lacerae vesti adsutus. Eadem vero Aegyptii saepe numero sive auctores sive librarii, memphitici praesertim, depravant corrumpuntque. Passim itaque in eorum libris invenias: ⲕⲩⲃⲱⲧⲟⲥ

exempli gratia pro ⲕⲓⲃⲱⲧⲟⲥ, ⲭⲣⲩⲥⲧⲁⲗⲟⲥ pro ⲕⲣⲩⲥⲧⲁⲗⲗⲟⲥ — et alia innumerabilia;« ista inquam, quae Mingarellius vitio vertit, etiam nostrae slavonicae versioni, immo interpretibus Alexandrinis vitio vertere debuisset, quorum oeconomiam ex lingua hebraea sacras Scripturas reddendi sequuti sunt Aegyptii et istorum rem literariam ab alphabeto usque ad superscriptam *Titlam* (҃) (de qua Didymus Caecus primus ante Hieronymum suum discipulum egit) imitati sunt Cyrillus et Methodius. Pluribus argumentis hanc rem comprobatam habeo, et tu jam vel ipse parvis exemplis induci poteris, ut idem mecum sentias. In literarum formis ductus earum nosti causa palaeographiae observare: confer igitur ⲗ aegypt. cum illyrico et ruthenico, ⲍ aegypt. cum illyr. ⲙ, et me tacente non dubito futurum, ut illyricis istis duobus characteribus palaeographiam cyrillicam adscribas, ut ego plane tecum consentio antiquius esse ꙁ τῷ ѕ, quam priorem etiam in editis formam invenio.

Vehementer itaque gaudeo te rei copticae literariae studio teneri, sine quo slavica res biblica illustrari non potest; sed doleo illud illustre opus cl. Georgii Augustiniani Romae editum et a Göttingensibus jam pridem recensitum pro Bibliotheca Caes. comparatum non esse (ale wzdychnaut mohu!).

Opportune accidit, ut, dum hanc epistolae partem scribo, ad me veniret prof. Alter, cui tuam epistolam legendam dedi, cum primis quae ad illum causa Georgiani cod. s. et collationis l. aegypt. cum semitic. et japhetic. pertinebant eumque humanissime interpellavi, si quid nosset, ubi et apud quem bibliopolam desideratos a te libellos adquirere valerem. Lecto indiculo sponte se obtulit, grammaticam Didymi, quam ex editione Parmensi nitida possidet, tibi dono daturum, quam ego proxima occasione cum aliis quibusdam tum ad linguam malabaricam pertinentibus tabulis, quas possideo, tum speciminibus novorum characterum slavonicorum typographiae d. Stephani Nowakowicz, agentis aulici et typographi hujatis illyrici, qui jus illud a defuncto d. de Kurzbek emit et ante aliquot dies haec specimina characterum perfecit, atque glagoliticos identidem elegantes diligentia et arte Mansfeldiana incidi curabit, apud quem opus meum excudetur. His speciminibus adjungam conspectum historiae Johannis Raicz, archimandritae monast. S. Archangeli Kowilae, hac inscriptione insignitae: **Историѧ хра́брыхъ славе́нскыхъ наро́довъ а найпаче Бо́лгаръ, Се́рбовъ и Хо́рватовъ** etc.

Jam quod ad prof. Alterum attinet: primum tibi summas habet gratias pro illa benignitate et affectu, quo biblia georgiana in Biblioth. Caes. inferri ejus potissimum causa cupiebas, et pro usu, pro quo te proxime per epistolam interpellabit, atque de restituendo codice illo, ut primum Bibliotheca post ferias aperietur, perscribet; servatur enim in Museo custodum. Notitias linguae copticae tales, quales tu postulas, tecum communicare non valere ingenue confessus est, quippe qui tantum causa Novi Test. aliquid ante aliquot annos in chartam conjecerit, ex quo tempore haec studia minus quam armena, graeca, slavica etc. tractavit; sed quaecunque inter adversaria collegerit, opportuno tempore retractaturum et ad te missurum promisit.

Summopore delector tuis responsionibus ad meas QQ. slav. cum primis, quae ad palaeogr. attinent, quia his praecipue nunc egeo. Quod de Tredja-

kowskyo observasti, idem mihi jam tum cogitabam, quum illius opus legerem. Quum velis, ut ipse tibi innuam, quibus de rebus ampliorem notitiam a te desiderem, nec tamen tibi tempus suppetat multitudinem adversariorum in ordinem redigendi, neque ego tibi molestus esse velim, si memoria teneas, quid ad volum. I. seu introductionem in Bibl. slav. specialiter rei mihi ignotae et tibi primum in itinere cognitae subsidii conferre posset, interim breviter mecum communica vel commone, quod ad alias alio pertinentes attinet, differ in tempus magis opportunum, nisi malles tuas schedas subinde mecum communicare; illas tamen, ut promisisti responsiones N° III. ad QQ. hierographicas, quando fieri poterit, a te cum primis exspectabo.

De hac re cum d° Nowakowicž primum constitui, ut ante volumen primum ea forma libri et artis typographicae elegantia singillatim excudatur opusculum lectioni Bibliothecae I. volumini necessarium: *cyrillicae, glagoliticae* atque *bohemicae* Slavorum literaturae analogia, causae et praestantia in usum communem breviter propositae, quo facilius diversitas legendi libros et intelligendi difficultas superentur. Analogiam hujus triplicis literaturae in aes incidi scalpro Mansfeldiano curabit d. Nowakowicž, quia glagoliticis lit. formis adhuc non sumus instructi. Versio literalis slav. mei conspectus Bibl. slavicae facta a secretario principis Galiczinii est in censura et proxime apud eundem typographum typis exscribetur una cum originario latino et ephemeridibus serbicis adjungetur. Vult ille typographus, etiam lingua slavica literali ut prodeat Bibliotheca mea; sed primum necesse est, ut mihi Deus vires concedat vitamque eo usque producat, ut opus perficere valeam. Cum in opusculo laudato agam de antiquitate ac ratione sonorum linguae slavicae sive graecis sive latinis literis ante Cyrillum perscriptorum, non possum omittere certiorem te reddere a me inventum esse id, quod tu pag. 2 Geschichte der b. Sp. und Literatur, factum fuisse a Procopio Caes. istis verbis desiderabas: »hätte er uns nur einige Dutzende von diesen barbarischen Wörtern mitgetheilt« etc. Omnino non tantum nomen istud: *Σκλαβηνοι*, verum etiam alia complura tam constantis formae slavicae, ut dubitare nequeas. Certe non legisti ejus de aedificiis Justiniani imp. libros sex; praecipue lib. IV. cap. I. — nimirum talia sunt (opera Justiniani), qualia postulat fluminis Istri vicinitas et consequens inde necessitas ob imminentes illis partibus *Barbaros* etc. — vim faciunt gentes tauricae scythicaeque, Sclaveni — cap. IV., in quo texitur catalogus castellorum, num illa nomina: *Δολεβιν, Πετριζην, Ζδεβριν; Βισδινα, Βελεδινα, Ρεσιδινα, Βασσιδινα; Λαβυτζα; Ροτũν; Βιδζω*, et ut alia complura isto aliisque capitibus comprehensa ommittam, certe ista cap. VI.: *Ζερνης, Ζάνες*, omnium vero, quod mihi maxime placet, propter formam nominum locorum in — **ище**, *ΣΜΟΡΝΙΣΤΕ* memoratu et tuo omniumque Slavorum desiderio digna sunt.

Nunc jam, ut primum potueris, rescribe, in quem modum te aptius vindicare possim a dictis: »allein ausser dem Namen der Slaven — ist bei ihm kein anderes slavisches Wort zu finden.« Fors tantum illius verum opus de bello gothico existimabas, usus praeeuntium scriptorum excerptis; sed ego, ut jam tibi scripsi, excerptis non ita inducor ad negandum, quam ad asseverandum a Borkio instructus — »difficilius quaedam negantur« etc. Sed jam

vale quam optime meque tibi gaudiosum Alleluja canentium tempus adprecantem veterana consuetudine ama! Salutant te omnes amici et noti domesticae etiam nostrae familiae.

XC.

1793 — 7. dubna. Dobrovský odpovídá Durichovi na dotazy o staroslovanských vydáních písma sv. na Rusi, o ruském překladě písma sv., o konkordancích, památkách slovanských, privilegiích školních, o tiskárnách, o překladech sv. otců, o seznamu zapovězených knih a mimo jiné zmiňuje se o svých excerptech z rukopisů slovanských a o etymologii místních jmen a řek.

Die 7. Aprilis 1793.

Josephus Dobrowsky Fortunato Durich amico integerrimo s.

Quaestionibus ex hierographia jam respondere festino. Verum ad quasdam, uti

А) de Pentateucho Franc. Scorinae me respondisse memini. Attingam igitur duntaxat eas, quarum mentio nulla facta est, ut saltem monere possis, ubi et qua de re ampliorem notitiam desideras.

Б) Cl. Schereri memorias non satis certas jam alias dixi. Theophanis opera exigua fuisse videtur, verum aliorum laboribus correcta sunt biblia Mosq. anni 1663 eo modo, quo ea imprimi voluit Petrus I. Cujus laboris specimina, immo totus labor VIII. tomis constans (excepto Novo Testamento) exstat in bibliotheca synodali Mosquae. Si tibi libuerit conferre primum duntaxat caput Geneseos edit. Mosq. antiquae cum ed. tua, atque aliis ab anno 1751, quo anno tertium correcta prodiere biblia integra, impressis, mox apparebit, quot faciliora vocabula substituta sint antiquis etc. Mutationes, quoad textum, indicatas leges in praefat. historica edit. tuae. Verum antequam prodirent biblia sic emendata, uti ea synodus 1751 Elisabethae obtulit, coepta fuerant imprimi iisdem omnino literis, novis omnino, eadem forma, iisdem aeneis tabulis, sed alia methodo; nempe voces e. gr. *iskoni* in textu relictae erant, infra vero Nota a) notabatur: w načale, et sic omnibus in locis usque ad Esdram (si recte memini cap. 16). Hanc editionem, quae nunquam prodiit, cujus tamen exemplaria duo vidi, (unum servatur in typographia synodali Mosquensi), indicare voluit ceu imperfectum opus cl. Scherer. Tibi certe ea methodo edita biblia placuissent uti et mihi, sed fuisset ea res offensioni legentibus, praecipue Razkolnicis, qui jam loca tot indicata haberent, in quibus corrupta essent, eorum judicio (vere etiam meo), biblia. Immo et hoc volebant alii, ut textus slavicus antiquus in una columna excuderetur, in altera vero russica, ut hac ratione lectores juvarentur, quod adhucdum fieri optat metropolita Mosquensis Plato.

В) Narravit mihi proto-popa *Alexius*, auctor lex. slavici, Mosquae a Tredjakowskyo quaedam specimina vers. vulgaris russicae oblata synodo, sed fuisse reprobata. Immo ne quidem hoc concessum fuit typographo Petropol. Weidbrechtio, ut excuderentur biblia slavonica literis civilibus (graždanskymi). Iam enim praeferunt characteres profanos, utpote nitidiores, sacris, uti fit in aliis, quamvis sacri argumenti, libris a privatis auctoribus editis. Stylo in trans-

ferendis patribus, commentariis biblicis nunc fere utuntur medio, temperato nimirum e slavonico puro et vulgari. Hoc Theophanis sermonibus sacris vitio tribuitur, quod nimium affectaverit purum slavonismum. Petri Magni molimina e praefat. bibliorum aliqua ex parte cognosces. Vidi ego ipse opus bibliorum N. Test. hollandice impressum in una columna Hagae an. 1717, in altera slavonice typis monast. Nevensis an. 1718 in bibliotheca academica Petropoli. Additur in catalogo hujus bibl.: eodem modo impressum Vet. Test., sed sine textu slavico. Sed haec exemplaria disjecta et pessumdata sunt, cum hollandica versione, uti ego existimo, offenderentur Russi. Ex ipsa hist. editioni 1751 et omnibus posteribus, quae ex ista fluxerunt, cognosces, quam parum Petrus proficere potuerit, Russis nimirum non ex animo probantibus intentionem imperatoris. Volebat ille, cum non succederet conamen primum, corrigi biblia, e Vulgata, Hebraeo etc. Polyglottis differentias notari et sic edi, sed haec Russis, non omnino criticae artis peritis, difficiliora visa sunt et periculi plena. Nihil igitur post tantam annorum seriem effectum est aliud, quam vocabulorum recentiorum in locis bene multis substitutiones et paucae quoad textum mutationes susceptae; hujus rei causa legitur in titulo: *isprawlena*. Notandum tamen in Nov. Test. pauciora loca mutata — et in Nov. Test. separatim edito legi adhuc plurimis in locis textum antiquum, quod saepius observavi conferendo editionem Nov. Test. an. 1783 Mosquensem meam, cum bibliis integris an. 1778 et 1759.

Г) Concordantiae totius s. codicis editae nondum sunt. Optant autem, Alexio narrante, Russi, ut prodirent aliquando, usui futurae curatis et aliis. Exiguo pretio comparantur, quas ego emi, excepta una parte, cujus nulla amplius prostant exemplaria.

(Mosquae.) De auctore illius notitiae seu narrationis de origine alphabeti cyrillici, quem recudit Nowikowius, nihil omnino comperire mihi licuit. In bibl. synodali Mosq. duo exemplaria manuscripta in catalogo inveni. Unum Num. 237, qui nunc non adest, quia *otoslan*, h. e. missus Petropolim. Continet autem *alfabit* seu lexicon vocum peregrinarum in s. Scriptura — ad cujus finem: o prestawlenii s̃tago Kirila učitelã slawenskomu jazyku an. 6377 (Ch. 869), die 14. Februarii. Alterum Num. 628. titulo noto: Skazanie kako sostawi sw. Kirill filosof azbuku po jazyku slawensku i knigi prewede ot grečeskych na slawensky jazyk. Praecedunt et sequuntur alia: Chronologica solum excerpsi: post septimum concilium an. МД. sub Michaele rege Graec. et matre Theodora — Boris duce Bulgariae — Rastiç duce Maraviae — Kostelã duce *Blatinska* anno a m. creat. ѕтѯг (6363, Chr. 855); finitque hisce verbis: Sutže i inii otwěti iaže inědě rečem a nynie njest wrjemã. Takow jest razum, bratie, bog darowal slowãnom, jemuže slawa, čest etc.

2[do]. Utique in bibl. patriarchali, nunc synodali, exstant monumenta antiquitatis slavicae tot ac tanta, ut nullibi locorum plura exstare credam. Mittam tibi catalogum in compendium a me redactum.

ℵ. De privilegiis scholarum Stauropigiae hoc solum monebo, a Petri Magni temporibus monasteriorum privilegia fere abolita. Nec satis scio, quae tu privilegia indicare velis et de qua Stauropigiae (plura sunt enim Stauropigialnia monasteria) inscriptione loquaris. Academia latino-graeco-slavena in

monasterio Ikonospasky habet inscriptionem recentem russicis characteribus: Moskowskaja akademija w 1677 godu zawedenaja.

ב. Typographiae Mosquensis historiam, jussu superiorum, contexuit d. Alexander Naumow, qui ab an. 1790 typographiae synodali praeest. Etiam hanc tibi mittere ad tempus potero. 1728 unita fuit typogr. Newskyani monast. cum Mosquensi typographica. A seniculo humanissimo *Parthenio*, episc. Smolenskii, graeci ritus, didici monasterii Kuteinensis situm prope *Orszam*, urbem Mohilewensis eparchiae — e monasterio hoc translata fuit typographia ad monasterium Iwerense (iwerskoy prope Walday), inde ad Nevense s. Trinitatis monasterium. Ipseque ego observavi ab eo tempore, quo desinunt impressiones Kuteinensis — Iverenses incipere. Hoc addam, *Petrum Timofeew syn Mstislawec*, qui cum Iwano Fedorowicz institutor et director operarum fuit in typographia ducali, e qua prodiit 1563—1564 Apostolus, quem vidi in typogr. synodali, eundem esse, qui *Vilnae* Tetraevangelium impressit an. 1575, uti fortasse lecta notitia ad finem jam nosti. Anno 1596—1597 iterum Apostolus Mosquae prodiit, qui *Tetr* in subscriptione appellatur. Haec appellatio multum exercet Russos, ut qui eam explicare non valeant. D. Naumow **тетръ** vocem graecam esse putat, quasi editio quarta designari debeat. Sed relinquam tibi rem dirimendam, antequam opinionem meam explicem. Quid Tetraevangelion sit, novisti; eadem voce *tetr* integrum Apostolum designant, excepta Apocalypsi. Si Apostolus *tetr* Apocalypsim contineret, possemus dicere, a quatuor apostoli partibus 1. Act. apost. 2. Canon. epist. 3. Pauli epist. 4. Apocal. hanc denominationem ortam fuisse. Sed vides hoc non posse sustineri. Quid igitur censes? Praeter synodalem typographiam optime instructam, praecipue edendis libris sacris probante synodo destinatam, nominari meretur Nowikowii seu academica universitatis Mosquensis, e qua curante Nowikowio plurima egregia opuscula prodiere. Sed viri hujus literati fata nosti. Petropoli synodalis minus bene instructa est, in qua solum minora opuscula imprimi solent. Academicam multum ornavit princeps faemina *Daschkow*. Typi enim sunt elegantissimi, sed civiles solum. Omnium commendatione celebratur Kiowiensis, quam doleo me videre non potuisse. Vidi tamen opera ibi impressa, quae carius venduntur, quam alia. Biblia tamen non sunt alia, quam antigrapha editionis 1751 Mosq. 2[dae].

ג. Versiones ss. patrum quod attinet, reique ecclesiasticae codices jam quaedam monui in speciminibus tibi missis. Reliqua e catalogo bibl. synod. manuscriptorum cognosces.

ד. Librorum prohibitorum catalogum in Kamen wěry exstare negavit *Alexius*; nec indagavi alias, quamvis librum tractaverim. Si tamen scire velis, quinam eorum slavice versi sint aut non sint, sufficiet eos nominare; vix enim credo, exstare librum ullum slavonicum, quem non e catalogis notaverim.

Olgae cochleare omnino repertum fuit, sed cujus Olgae? ambiguum. Exstat quidem dissert. latina *Eugenii*, episc. Crimmensis, quam d. Theod. Bause, prof. Mosquen., mihi ostendit, de Olgae baptismo, sed altum de his silentium. Haec si non sufficiant tibi, opus erit, ut me commoneas frequentibus literis.

De Copticis quae communicasti, grata mihi fuere, quamvis multa jam mihi nota. Poterit certe mihi satisfacere Alterus in *Copticis* et Armeniacis, quam primum quaesita mea ei misero, e. gr. quaero ego, utrum lingua NN. praepositiones praeponat, an vero postponat? Habeatne tria genera? Cum praepositionibus num componantur verba uti apud Graecos, Latinos, Germanos, Slavos. Speciminis causa, peto, interim brevissime respondeat mihi secundum characteres linguae slavicae, uti eos a pag. 14—a. b. c. d. etc. et pag. 6. num. 1. 2.—7. explicavi.

Didymi Taurinens. grammaticam habet bibl. academica nostra. Sed non recusabo oblatam a d. Altero, qui bibliis Georgianis anno integro uti poterit pro lubitu. Neque enim de emtore multum sollicitus sum, cum res non urgeat. Vehementer gaudeo de iis, quae de typographia illyrica melius instruenda per d. Nowakowić scripsisti — annon si unquam plenius lexicon illyricum ederetur, vellet emere aut dato pignore mutuo accipere lexicon Temleri, quod adtuli. Cupio enim quacumque re juvare Slavorum commoda. Immo optarem ego, ut episcopi illyrici tandem aliquando expergiscerentur et Novum saltem Testamentum correctius (quoad linguam et textum), sequendo manuscripta antiqua servica, ederent typis Vindobonensibus, ne opus haberent, libros semi-russicos magno pretio emere. Huic rei medelam poterit industria d. Nowakowić adferre. Ego nunc excerpta e codd. slavicis in ordinem redigo pro nova editione Griesbachii. Habebunt jam critici subsidia nova e vers. hactenus neglecta. Alteri diligentiam quamvis admirer, tamen subinde dubium mihi suboritur, dum non invenio in ejus farragine lect. var., quae in aliis codd. slav. occurrunt, e. gr. Matth. V, 47. slavici mei, etiam editi legunt ἐθνίκοι (iazyčnicy). — Alterus nihil notavit, quasi Vindob. codd. ambo legerent τελῶναι. Mallem ego eum in aliis minutioribus grammaticis minus diligentem fuisse. Quaeso, fac inspicias, unum saltem cod. Vindob.

Procopii librum de aedif. Justiniani novi, quamvis non nisi excerpta legerim, aliqua etiam notaverim. Dubia mihi omnia e nominibus propriis petita etyma slavonica. Cum enim non nisi certa adferre voluerim et diu quaesiverim, omnino negare potui, quod tu te reperisse gaudes. Si castella a Slavis exstructa essent, facile sumere liceret, quod postulas. At alii etiam Barbari, quorum linguas non novimus, occasionem vocabulis his dare potuerunt. Doleßin et *Σμορνιστε fortasse* slavica sunt; quamvis nesciam, cur slavice appellare voluerit a se constructa castella Justinianus. Terminatio in *ινα* (ina) pluribus linguis communis est. *Avarica* quis novit? Ergo incerta haec omnia. Nuper iterum etymologias slavicas venatus est d. *Anton*, de antiquis sedibus Slavorum, in — nescio quo nomine insignito — periodico opere. Sed ego sine indignatione legere non potui. Immo *Vislae* nomen forte non est slavicum, quoad significatum *τοῦ vis*; nam *vize* apud Ungaros, vese apud Fennos aqua est. – Igitur Visla, prussice *isla*, monente Müllero, fluvius. Ita et *Visera*, *Ister* etymo suo, *Vis*, *is*, idem quod fluvius. Sed cujus gentis appellatione prima. Deus novit (bog znajet), ita Russi ignorantiam suam excusant. Vale.

XCI.

1793 — 21. dubna. Durich zmiňuje se o své nemoci, podává zprávu o Maximovi Řeku a jeho grammatice, jakož i o jiných staroslovanských grammatikách, vybízí Dobrovského k studiím staroslovanštiny, podává mimo jiné zprávu o nových typech slovanských, jakož i o vydání svého díla »Bibliotheca slavica«.

Viennae, 21 Aprilis 1793.

Josepho Dobrowsky amico suo integerrimo Fortunatus Durich s. p. d.

Hesterna die primum de lectulo consurrexi, quo novem diebus tenebar, non valens aliquot aliis prioribus diebus adversam valetudinem superare; fractis itaque viribus, quantum valeo, dabo literarum, tanto majori animo, quanto imbecilliores sunt manus ad scribendum. Satisfacis meis QQ. slavicis, ut tibi satis exponere nequeam, in quem modum ista a te fieri potuisse admirer, qui tam breve spatium temporis habueris! Felicitate igitur mira mihi obtingit, ut, ubi tu apud Russos QQ. quibusdam solvendis nihil idoneum invenire potueras, nunc ego ipse quidquam tecum communicare valeam. Itaque quod ad QQ. ex hist. literaria *α*) attinet, mihi diu jam inquirenti et dispersas notitias colligenti adscitoque examine critico comparanti, quod ad primas grammaticae Slavorum literalis institutiones jure pertineat, nihil antiquius hucusque licuit invenire, quam sit opus illius viri gente Graeci, nomine Maximi, instituto monachi montis Athos monasterii Batopedae, quem superiores monasteriorum laudati Montis a magno duce Basilio Iwanowicz literis interpellati, ut virum in Russiam mitterent, qui hujus ecclesiae libros ecclesiasticos in meliorem ordinem redigeret, hunc Maximum operi suscipiendo aptum et linguae slavicae gnarum elegerunt. Is itaque ex dicto Monte Mosquam anno 1513 (mundi 7021) feliciter adveniens consedit in monasterio Czudowiensi (de hoc monasterio si qua habes, mecum communica!) ista opera sibi commendata a Balaamo metropolita, ut libros ecclesiasticos ab erroribus et formulis interpretationum, quae cum graeco contextu minus conveniebant, diligenter repurgaret. Hoc labore suscepto tandem Maximus a. 1521 *Psalterii* cum expositione novam versionem confecit, atque etiam *slavonicam grammaticam* edidit. Ita Johann. Bacmeisterus in prima appendice ad vitam patriarchae Niconis (Beiträge zur Lebensgeschichte des Patriar. Nikon, aus russischen Nachrichten. Riga 1788. 8°).

Si res gestae ab adventu Maximi ex anno 1513 usque ad annum 1521 pensi habeantur, quo labor critico-philologicus jam egregia parte confectus dicitur, et inquiratur, quae sit illa grammatica slavica Maximi, monachi Batopedani, ubi et quo anno primum edita fuerit? haud difficulter colligitur primum: laudati viri opus grammaticum esse illud ipsum, quod *grammaticae majori slavonicae* a. 1651. in 4to editae adhaeret hac inscriptione: »Mokae Maximi, Graeci, grammaticales quaestiones et specimen, quomodo slavonica vocabula in analysi grammat. tractanda sint.« Nec alius mihi videtur esse iste Maximus ab illo Batopedae monasterii Athonitani monacho; nec ista editio prima est; sed posterior illis, quarum mentio fit nomine *grammaticarum slavicarum* in bibliotheca Bodlejana vid. tit. *Sclavonia v. Preces* — unius

quidem *Vilnae* 1516 in 8° editae; alterius a. 1518 *Ostrog.* Utriusque sane editio convenit cum illo tempore, quod Maximus Batopedanus monachus Mosquae emendandis codicibus impendit. Videor mihi jam tenere: et primum grammaticum slavicum et antiquissimas grammaticae editiones, atque etiam veram operis grammatici inscriptionem. Sed, quo magis de veritate constet, interpellavi cl. virum doctorem Holmes, Anglum, Oxoniae profess. poes., ut bibliothecae Bodlejanae laudatarum grammaticarum inscriptiones paulo melius describi curet, quo primi nostri grammatici opus cum orbe erudito clarius communicare valeamus. Sed illud jam certum est Maximum monachum Athonitanum esse centum annis antiquiorem grammaticum Meletio Smotriscio, archiep. Hierapol., cujus prima editio mihi videtur esse illa, quam ego possideo: **лѣта ах҃ѳі**. Vilnae 8°. Cur illius Maximi memoria apud Russos neglecta fuerit, ut nec tu ipse potueris quidquam invenire, quod Smotriscio antiquius foret, reliqua fata Maximi Russis crassos errores in libris eorum ecclesiasticis passim tunc occurrentes publice objicientis et propterea in exilium missi, facile produnt. Haec sit interim eorum, quae ad antiquiorem Meletio grammaticum pertinent. Nuper excel. metropolita Carlowitzensis Meletii grammaticam ante paucos annos in Ribnik editam mihi promisit; postquam ejus exemplar obtinuero, tibi mittam. Is te humanissime salutatum interpellat, ut literaturae cyrillicae apud gentem nostram sis promotor, quo magis nostri homines huic asvescant in incrementum rei literariae communis. Nosti ipse tua vota pag. 38. G. d. B. Sprache: Hätten die Böhmen — et pag. 40: Hätte der König Wratislaw — nunc nihil desideratur, quam quod facile fieri potest, consensus eruditorum in rem literariam cyrillicam seu literalis linguae culturam. Itaque cum ipse noveris, quid ad cultum linguae nostrae patriae conferre possit illius literaturae cyrillicae studium, conatus eosdem et desideria cognatorum nobis proximiori gradu Serborum tanto majori molimine promovere studebis, qui Augusto Leopoldo demonstrasti Slavorum animi domui austriacae adhaerentis propensionem.

Barbariem *aliorum* Slavorum satis graphice mihi descripsisti; erit itaque majori Domus laudatae honori, si Slavi omnes Austriacae monarchiae in meliorem literaturam consenserint. Quod si adjuveris, facies aliquid apud nos Callistrati simile; vid. Concordiam naturae et scripturae cap. VIII.

Pro specimine tibi mitto exempla novorum typorum cyrill. typographiae cl. viri de Nowacowicž, qui meum totum opus suscepit suis impensis nitide edendum, et a me interpellatus, omnia praestare promisit, quae ad operis omni arte perfectioris editionem pertinent: nimio enim illius tenentur desiderio Serbii, quo factum est, ut literali dialecto reddita mea Sciagraphia typis edita fuerit et postquam opus ipsum prodierit, identidem laudata dialecto redditum volunt, ut excudatur.

Glagoliticorum characterum moduli scalpro Mansfeldiano incidentur, et quidquid aere inciso in opere fuerit expressum, illius opera fiet. Ne igitur amici succenseant morae, pensi habentes apparatum necessarium, quo perfectius integrum successive prodeat opus. Sed ut primum vires collegero hac infirmitate fractas, ut jam nuper cum eodem Nowacowicžio contuli, excudetur primum opusculum, quod complures desiderant vel maxime metropol.

Stratimirowicž urget: »Literaturae Slavorum cyrillicae, glagoliticae et bohemicae analogia atque praestantia.« Hde gedin gazyk, tam geho sláwa... гдѣ — ѿ, [illegible] — —) Dalem. Dicunt enim hoc necessarium esse, quia primum vol. II° prodibunt alphabeta slavica, quorum tamen vel ad 1ⁱ vol. lectionem cognitio pertinet; nullum tamen exstet opusculum, quo quis de triplici illa literatura simul edoceri valeat. Hoc opusculum tali forma prodibit, qua deinceps omnia voll. excudentur, eritque specimen futuri contractus inter me et typographum, de quo postea te certiorem reddam. Nunc age, et, ut primum potueris, mitte alphabetum Divissii abbatis cum literis bohemicis, ut scripsisti, collatum, nisi forte tu ipse edere velis, qua ratione ad tuam editionem lectores provocarem, in quem modum sec. XIV. Bohemi analogiam literaturae cyrillicae servare studuerint literis latinis utentes.

Vale quam optime, non enim possum jam scribere ob nervorum debilitatem. Suscipe grato animo, quae ad te mitto; postquam res constitutas, quas heic emere non possum, aliunde Roma nimirum et Venetiis obtinuero, satisfaciam tibi, ut decet, omni modo possibili. Vale iterum, prof. Alter te salutat. Saluta amicos!

Si non habes Niconis patriarchae vitam, ego eam nuper emi et, si volueris, tecum communicabo. Plura deinceps, cum melius scribere potuero.

XCII.

1793 — 1. května. Dobrovský podává zprávu o Čudově klášteru v Moskvě, o rukopise sv. Alexeje a jiných rukopisech tohoto kláštera, o Maximu Řeku, o klášteru sv. Trojice a knihovně tamější, o staroslovanských tiscích a rukopisech na Rusi a jiné drobné zprávy.

Pragae, 1. Maji 1793.

Fortunato Durich amico integerrimo, veterano s. pl. d. Josephus Dobrowsky.

Ex membrana singulari infra alphabetum latinum agglutinata in codice giganteo Holmiensi (olim Braunowiensis, postea Brzewnow. monast., scripto vero, ut nunc ex Necrologio colligo, in monasterio Podlažicensi, districtus Chrudimensis, prope Chrast et Rossitz) solummodo haec notavi: az, buky, widi, glagole, dobro, geſt, zzywyte, zelo, zemla, yzze, i, ge, kako, ludy, myſlyte, naſſ, on, pokoy, rczy, ſlowo, trdo (sine w), urt, ſrt, chyr, ot ſſtya, ci, czrw, ſſa, ger, yat, yus Praeter nomina literarum supra figuras literarum scripta appositus est valor literis bohemicis a penes Ⰰ, b penes Ⰱ etc., uti initia nominum satis produnt. Penes zelo Ⰷ autem num. 8, penes ger seu I *tit.* hoc modo titl (ger) I. Penes yat: ya Ⱑ. Penes yus: yu Ⱓ. Valor numericus infra literarum figuras notatus est sub ot — 700, sub ſſtya — 800. Utrum 900 sub *ci*, an sub *ya* scriptum sit, non habeo notatum. Credo autem *ci*, alias certe notassem. Valorem *ro:* Ⱋ numericum = 800 etiam in cyrillicis codd. inveni et *roi* Ⱑ = 900, quod ipse Sciada, qui catalogum bibliothecae typographicae ante annum 1730 confecit, non ignoravit, quoad Ⱑ, reducens aetatem mundi ad Christi aeram. Figuram myſlyte alteram bis enim scribitur, notavi Ⰿ. Ⱃ omnino clausum est tenui linea. Aliud quidquam, quo differet alphabetum, non adnotavi. Infra alphabetum scriptum est literis glagoliticis:

1 2 3 4	1 2 3 4
Opat diviш kazal pis-	Abbas Divissius mandavit scribe-
5 6 7	5 6 7
-ati az Bukownak.	-re hoc azbukividarium.

Latina singulis vocibus sunt superne apposita.

In alia minori membranula: *Alphabetum Rutenorum;* hoc ordine: А Б К Г Ѫ Є Ж Ѕ Ꙉ І И Ꙟ Ҍ Л М Н О П Р С Т Ѹ Ѳ Х Ꙋ Ѣ Ч Ү Щ Ъ Ꙗ Ꙋ Infra lit. cyrillicis: opat Дивищъ. Vides et in alphabeto desiderari ш et hic pro ш scriptum щ. Vides Divissii ignorantiam in exarandis genuinis ductibus cyrillicis. Eadem ignorantia laboravit Bohemus ille, qui in tomo bibliorum 2do, qui an. 1416 literis glagoliticis exaratus ab Emautinis et an. 1541 in consilio (w radě) h. e. praetorio locatus fuit, literis glagoliticis rudi manu scriptis, numero 32, bohemice subdidit: glaholeczsky pismo, moskewsky litery folio 1mo, alias vacuo.

Czudow monasterium in ea urbis parte, quae *Kreml* appellatur, et in qua praeter palatium ducum, domum patriarchalem, nunc synodalem, non nisi dua monasteria sita sunt, a S. Alexio, metropolita totius Russiae, an. 6874 (Ch. 1366) fundatum, *a čuda archistratiga Michaila* ita appellatum est. Est illud ab an. 1744, concedente imperatrice Elisabetha cathedrale archiepiscopi Mosquensis, cujus aulam et conclavia lustravi. In aula seu triclinio spectantur metropolitarum plurimorum Mosquensium imagines ad vivum depictae. Sepultus in ecclesia h. monasterii S. Alexius, cujus sepulcrum visitavi. Deductus ad Ryznicam, locum, in quo vestes, vasa, libros sacris destinatos conservare solent, mihi ostendi petii illud exemplar Nov. Testamenti, quod propriis manibus descripsisse Alexius dicitur. Meretur sane, etsi ad curandos infirmos non amplius deportetur, ut diligenter et religiose asservetur. Unicus est enim is liber hujus seculi, qui integrum N. Test. una cum Apocalypsi, in tenui membrana, forma maj. 8va descriptum contineat. Hic Alexius, ut biographus ejus (vide *Služba*, Mosq. 1760 in 4°, solent enim officia de sanctis separatim imprimi) monuit, graece doctus, quod rarum, Novum Test. convertisse e graeco in slavicum dicitur, quod ego de nova recensione intelligo. Servatur in eodem Czudow, in quo literis ab archiepiscopo Platone provisus omnia spectavi, testamentum in charta scriptum ejusdem Alexii. Inter libros in armario sepositos impressos et manuscriptos, chartaceos sec. XV et XVI plerosque, nihil inveni, quod notatu dignum esset, praeter Psalterium in charta laenigata (qualis turcica esse solet) in 4. latinum, sed literis *slavonicis* scriptum. Nam vitas sanctorum, Joan. Climaci, Chrysostomi quaedam opera, commentarium in Jobum, 16 Prophetas a minoribus incipiendo, quorum alterum exemplar, duo enim adsunt, in Isaia desinit, — atque alia ubique fere invenias. Recentiorum quorundam impressorum nullam rationem habui, titulis celerrime tantum inspectis. Nec bibliothecae nomen meretur cumulus librorum hic locatorum; negliguntur enim adeo (excepto N. Test. Alexii, quem meliori loco servant), ut nemo pulveres dejiciat. Hoc in monasterio, utpote domui patriarchali proximo vixisse Maximum Graecum non abnuo; quamvis Russi dicant vixisse (longius certe) in monast. S. Trinitatis Sergiano, 64 werstis Mosqua dissitum. Hic enim sepultus est, de cujus tumulo in descriptione

Laurae Sergianae (Mosquae 1790) p. 14 haec leguntur: »A pri sei cerkwě w osobliwoy časowně (oratorio) nachoditsă grob učenago Maksima Greka, znamenitago swoimi prewodami i sočinenijami muža.« Monuerat me protopopa Alexius (auctor lexici slav.) in hoc Sergiano monasterio Maximi Graeci cura emendata opera reperiri, quem etiam quaerenti mihi primum dixit in Russia grammaticum. Ab aliis dum alia quaererem de eo, non est mihi satisfactum. Igitur ad monasterium excurri trahis celerrime vectus; prima die lustravi quosdam codices jussu archiepiscopi Platonis, qui utpote archimandrita hic residet (dum Mosquae est, in Czudow), allatos; ad vesperam in cubili rectoris seminarii catalogum bibliothecae percurri adnotavique praeter alia praeprimis: Grammaticam slavicam Maximi Graeci MS. in 4to, Maximi Graeci Psalterium, cujus exemplar elegantissime scriptum fol. grandi servatur etiam in bibliotheca synodali; Maximi Graeci opera varia, Psalterium slavenograecum, sed etiam graeca lit. slavicis scripta sunt, duo exemplaria; iterum Psalt. slaveno-graeco-polonicum, recentioris longe aetatis. Summo mane bibliothecam adii et ad candelarum lumen coepi lustrare codd. Sed proh dolor! nullum librum numeris signatum (in catalogo enim numeri appositi erant) inveni, adeo ut diu quaerendus esset, quem postulavi librum. Plurimos tamen inveni, sed, quod maxime cupiebam, grammaticam Maximi invenire non potui. Ego certe culpa careo, dum tibi satisfacere in multis non possum. Utinam ad archiepiscopum scriberes, cui fortassis unum volumen operis tui dicare posses: posset, ut credo, inveniri haec grammatica. At ego eandem esse cum illa anni 1651 in 4to ab aliis edoctus sum; nam quaestiones illas easdem esse censeo cum Dialogo Maximi, quem tibi ad usus tuos per P. Chrysostomum mittam. Adjiciam autem et specimina typorum Mosquensium, ut ea d. Novakowicž exhibere possis. Typi, quibus conspectus impressus est, summopere, ut verum fatear, mihi non placent; nec possum explicare literis illud, quod in iis desidero. Grammaticarum slavicarum ex. bibl. Bodlejana anni impressionis mihi suspecti sunt. Quo enim exemplaria omnia devenissent? Cum enim nec Psalteria nec Evangelia iis in locis eo tempore imprimerentur, quis credat, grammaticas fuisse editas. Emendationes margini hinc inde appositas in bibliis integris manuscriptis, quorum unum exemplar an. 6066 (Chr. 1558.) jussu ducis Joannis Basiljewicz scriptum est, alterum sine anni nota olim fuit monasterii Sergiani SS. Trinitatis (Troice vulgo), utrumque nunc servatur in bibliotheca synodali Mosquae, credo ego a Maximo profectas. Istorum bibliorum unum exemplar, credo autem primum, Ostrogium missum fuit. Tertium exemplar bibliorum, cujus mentionem fecit *Poletica* apud Michaelis in Introduct. in N. Test., quod adhuc sigillo synodi munitum esset, cum ante paucos annos Mosquam mitteretur Petropoli, in bibliotheca synodali conservandum, tractavi quidem manibus, sed copia mihi saepius petenti concessa non fuit, ut sigillis solutis inspicere possem. Sed occurrit, non potuisse corrigi haec biblia a Maximo propterea, quod in utroque exemplari legatur *w soborě* Apoc. I. 1. pro *w skorě, ἐν τάχει.* Vel ex hoc loco potes judicare de indole bibliorum et errorum, quibus scatebant. Legitur tamen *w skorě* in iis codd., qui Andreae Caesariensis Commentarium in Apocal. continent, quorum plura exemplaria servantur in monast. *Troice.* Sed biblia manuscripta post Maximum scripta

sunt; potuit igitur etiam ex correctis bibliorum partibus textus describi et recenter corrumpi.

Heyrenbachii dissert. cura, etiam nostris impensis, describi pro Societatis Boh. Commentariis, uti promiseras. Vetenikorum occurrit nuper explicatio, quos ex Ditmaro notasti olim; *Wiėta* in *Ruhigii* lexico lituanico est Ort, Stäte; Wiėtininkas (slavice pronunciatum *Wětenik*) Verweser, Stadthalter. Nonne satisfaciet haec expositio? Vides, unde saepe vocum significatus peti debeat obsoletarum. E Lithuanicis multa notavi ad etymologiam slavicam e. gr. tětiwa, quis explicet etymon? In Lithuanico est *temptiwa*, eodem significatu — occurrit mox latinum tendo, tentus, quia *tětiwa* tenditur.

Pro munusculo p. Alteri gratias habeo maximas. Pro iis, quae tu misisti, mittam alia, quam primum intellexero, quae tibi magis placebunt. Excell. metrop. Carlowiczensi me commendabis significabisque, me quidem pro viribus promoturum res slavicas ac praecipue literaturam cyrillicam, quamvis de successu fere desperem. Nostri enim, qui maxime deberent linguis slavicis incumbere, patrium sermonem contemnunt aut negligunt. Russi suum jam slavico puriori ita praeferunt, ut quidam e puristis (ut ita dicam) in libris russicis Slavica pura ferre nolint vertuntque ex. gr. Theophani Procopowicz vitio, quod in sermonibus suis, quamquam sacris, Slavica miscuerit cum Russicis. Optarem ego vellemque juvare operam illorum, qui huic labori se accingerent, ut Serbi episcopi saltem Nov. Test. editionem slavicam puriorem adornarent, rejectis vocabulis russicis utpote barbaris minusque intelligibilibus, ratione regionum et populorum australium et substitutis slavicis purioribus, quae in antiquis, minus corruptis manuscriptis exemplaribus, reperiuntur, ita ut ratio habeatur etiam syntaxeos genuinae, immo ipsius longe melioris textus, quem Russi a seculo XIV. emendare volentes e codd. plerumque recentioribus graecis reddiderunt quidem talem, qui exemplaribus graecis vulgo receptis conveniat magis; non vero talem, qualem e penna Cyrilli aut Methodii fluxisse antiqua manuscripta satis manifeste produnt. Reperi sane in antiquis manuscriptis multis in locis textum emendatiorem, magis consonum cum manuscriptis graecis optimae notae, cum vers. antiquis, immo cum vers. latina Antehieronymiana. Atqui Serbi nunc utuntur libris biblicis in Russia male emendatis ac impressis. Cur ipsi collatis manuscriptis, quorum copia certe in monasteriis quibusvis latet, nolint procudere textum, qui russico-slavico praeferendus sit. Possem consignare centena vocabula, quae a Russis substituta sunt, ejectis aliis, quae certe a Serbis intelligerentur melius, quam recens assumta. Literatura slavica a Serbis commigravit in Russiam; nunc eam jam semibarbaram in Septemtrione effectam amplectuntur Serbi, nihil solliciti de emendatione librorum a Russis corruptorum. Incredibile dictu est, quantas mutationes subierit textus biblicus a sec. XIV praecipue, tantis ignorantiae crassissimae vestigiis relictis, ut nisi ipsemet oculis meis usurpassem, nunquam credere potuissem. Optarem igitur, ut saltem, si pro usu communi meliora sectari non jam liceret, antiquissima manuscripta conferrentur et ex iis textus slavicus ederetur in usum philologorum cum in modum, quo Germani Ulfilae, Otfridi versionibus gloriantur et proficiunt, quoties etymologica tractant. Utinam ista possem explicare latius, — sed fient

fortassis ista, si otium nactus fuero historiam textus slavici conscribendi. Quod enim de infinita interpretum latinorum varietate dixit Augustinus, hoc ego potiore jure de slavicis codd. in Russia visis et tractatis ausim pronunciare. Eadem est ratio editionum. Editores enim e. gr. Vilnenses, emendantes vers. slavicam ad textum graecum an 1623, judicarunt omnino textum graecum editum, ut vulgo legebatur, emendatione non indigere. Jam nunc, collatis tot per orbem universum dispersis exemplaribus, aliter judicandum est apparebitque ex iis lectionibus slavicis, quas in nova editione gr. textus Griesbachius laudabit, multa loca emendatione non indiguisse, quae tamen correcta, id est bona intentione corrupta sunt. Ex recentissimis manuscriptis, quale etiam illud est, quod manibus tenes, a me pro Ribayo missum, (nunc autem non amplius ei mittendum, sed mihi quam primum remittendum; pluribus enim opus habeo in consignandis var. lect. exemplaribus), editiones primas manasse, extra dubium est. Etiamsi ad manus habuissent codd. antiquos editores e. gr. Ostrogienses, tamen nec uti voluissent iis, quod nollent multum differe textum suum a textu recepto. Occurrit hic, quod jam tu fortassis observaveris, male *Poleticam* existimasse, Ostrogienses habuisse exemplar Wladimiri temporibus scriptum, nam in praefatione non de aetate exemplaris sui, sed versionis slavicae in genere locuti sunt.

Rudimenta coptica sufficiunt mihi; video enim Coptos nihil fere cum japheticis linguis habere commune, spectato linguae totius ingenio. Hoc unum quaeres ex Altero, num Copti habeant verba composita ex praepositionibus more Graecorum, Lat., Slav., Germanorum: ire, exire adire, perire etc., num vero singulis radicibus utantur ad notiones tales exprimendas, more Hebraeorum, apud quos alio verbo simplici dicitur: *intrare*, alio iterum *exire*.

Deprehendi enim diu quaerens characteres linguarum, in hac re summum et praecipuum inter semiticas et japheticas discrimen. Asiaticae hoc differunt, quod postpositionibus loco praepositionum utantur. Mihi enim divisio in japhet., semiticas, chamiticas insufficiens videtur ad linguarum differentias explicandas. Qui ab una omnes derivant, plane delirant!

Parce festinanti neque relegenti literas. Manuscriptam Procop. vitam a me petiit d. Tomsa, si potes, eam remitte.

XCIII.

1793 — 7. května. Durich oznamuje, že dvorní knihovna ve Vídni koupila bibli gruzínskou, zmiňuje se o hlaholské abecedě, podává zprávu o Maximu Řekovi, o Heyrenbachově rozpravě, o sbírání slov z písma sv., zmiňuje se o slově *větenici* a končí mimo jiné zmínkou o stolici jazyka českého při universitě Pražské.

Viennae, 7. Maji 1793.

Josepho Dobrowsky amico suo integerrimo, veterano Fortunatus Durich s. p. d.

Dum valetudine necdum confirmata Bibliothecam Palatinam adire non valeo, petit a me prof. Alter, ut illam partem epistolae tuae, in qua nuper scripseras: exemplar illud bibl. Georgianorum infra pretium viginti quinque aureorum vendi non posse, quod tu dicto pretio cupiebas laudatae Biblio-

thecae causa studiorum prof. Alter inferri. Nescio, in quem modum actum sit me absente, ut tamen de illo pretio emptionis praefectus B. cum custodibus convenerit; nam prof. Alter me accedens, responsi loco pecuniam attulit et 112 f. 30 x. numeravit chartamque signatam una cum praesenti pecunia a custode Stratmanno datam exhibuit, in qua numeratae pecuniae et acceptae pro illo bibl. Georgianorum exemplo a Bibl. Caes. empto testimonium scribere debui. Non mihi fuit grata haec venditio sine ulla interposita responsione, quia scripseras esse quendam Pragae, qui velit plus numerare; ideo dubitabam a prof. Alter pecuniam numeratam suscipere, ne fors offendaris: sed interpellanti tuo amico, cujus causa librum Bibl. Caes. destinabas, cessi, pecuniam accepi, quam tibi nunc per heic adclusam schedam cambialem reddo, sperans futurum, ut nihil contra voluntatem tuam egerim. Itaque accedas velim laudatum mercatorem d. Cajetanum Witha et acceptatae schedae cambialis notitiam, ut primum poteris, mihi redde.

Summas tibi habeo gratias pro communicatis mecum rei liter. slav. notitiis: et quod ad potestatem literarum glagoliticarum cum lit. boh. collatarum attinet, miror ambiguitatem ъ = g et э = *geſt*, quia scribis, uti initia nominum satis produnt. *Trdo* (sine w) non miror; nam in *Postilla Slovenska* — Ratisbonae excudebat Johannes Burger 1567 in 4[to] Bibl. Caes., ubi lit. slav. appellationes habentur, laudata lit. *t* appellatur *têrdo* (sine w). Quod sequens nomen urt signasti, utique est, quod ad nomen attinet, idem cum зы *Caramani* sive икъ, potestate ꙁ seu ꙋ in alphabeto Vinidorum 1555, gedruckt in Sybenburgen durch Jernei Skuryaniz — vta vocatur. Figuram M alteram Ⰿ non puto solitariam vel in plena scriptione usurpatam fuisse, sed solum in contractionibus, e. g. Ⰿ — Ⰿ — Ⰿ — zemla, muž, mucženik.

In monasterio *Cžudow* describendo mirum in modum me adjuvisti, nec possum satis admirari tuam ingentem industriam et exiguo temporis spatio tantam notitiarum slavicarum collectionem! vixisse posteriori tempore Maximum Graecum in monasterio S. Trinitatis Sergiano 64. verstis Mosqua dissito Russi recte videntur asseverare; nam Bacmeisterus pag. 163 Vitae patriarch. Niconis de Maximo scripsit: »und er wurde als ein Ketzer — in ein entlegenes Kloster ins Elend geschickt«.*) Quantum equidem ex subjecta*) nota Bacmeisteri colligo et ex te vel istis adhuc temporibus illorum hominum barbarie didici, simile quid Maximus cum nostris PP. Cyrillo et Methodio passus est; Dialogum itaque Maximi avide exspectabo cum speciminibus typorum Mosquensium; utinam tantisper innueres, quid in literis Nowakowiczianis desideres, quin possis illud literis explicare.

Quod ad grammaticas slavicas bibl. Bodlejanae attinet, videbimus, quid rei sit, postquam doctor Holmes jam interpellatus responsum dederit.

Heyrenbachii dissertationem curabo describi, ut primum post ferias Bibliothecam accedere potuero, necdum enim longius progredi ob debilitatem valeo. Opportune adhuc scripsisti de MSS. non jam Ribayo, cui hoc per cl. Horany, qui te humanissime salutat, mittere volebam, sed tibi reddendo; itaque prout desideras una cum MSS. tuo bohem. sec. XIV. membr. per d. Ricžl, cond. currus diligentiae, ut primum is officium hoc mihi praestare

potuerit, ad te dirigam, quo securius tibi tam pretiosum rei nostrae monumentum reddatur.

Utinam collecta vocabula typis ederetis sub nomine symbolarum ad perfectius quoddam lexicon slavonicum; in hunc enim modum subsidia prius colligi debent et singillatim edi a pluribus collectoribus. Possemus inter nos studia partiri, e. g. unum alterumve librum, nempe 4. libros Regum ego assumerem et cum lexico cl. Tomsae, quem utpote veteranum amicum et vicinitate agri civem meum humanissime salutatum cupio, diligenter conferrem vocabulaque deficientia adnotarem illius mori me conformando, vel necessaria, quae mihi viderentur addendo ex bibliis slavicis ubique in hanc rem collatis. Observavi sane, nisi me mea industria fefellit, ex uno cap. Exodi XXVI. vocabula 12 colligi posse, quae in lexico illius non invenio; nimirum 1° přeſukowany v. 1°, 2° koltra, 3^{io} poſtawecz, 4° oſtření v. 6, 5° přikrytí v. 11, 6° wydražení Vulg. = incastratura »duae incastraturae« *δύο ἀγκωνίσκοι* sl. **двѣ закроница (на краѧхъ)**, 7° v. v. 15. 17. aliisque dſka, dſky, dſku; deſk, dſkami, w dſkách; tam celebre vocabulum *dſky zemſky*; 8° ſwlak v. 26 vectis, *μοχλός* 70. J. sl. **вереа**, pl. gen. **верей**; 9° zdržowání v. eod., 10° opažení tabulatum v. 29. (10.) colum. lex. 876. *Slitownice* supl. *2°propitiatorium*; certe etymologia non satis apte reddita secundario significatu, pro qua voce melius sl. v. **завѣса** = *καταπέτασμα*, *operimentum*. 11° zaſtřenj = מסך; sl. **закровъ** = *ἐπίσπαστρον* meliori sensu quam Vulg. *tentorium;* sed quaeso animadvertas, cur boh. v. puto FF., ad manus enim non habeo illorum edit., reddiderint zaſtřenj = מסך? Vides non exiguum numerum ex uno cap. Script. s. collectum. Sed observo pulcherrima quaeque vocabula in lex. desiderari ut: *Sled*, unde *ſlídím*, vestigium, investigo, maxime *ſledopis* ab *ἴχνος*, **слѣдъ** etc. *ichnographia;* profecto latius patet *ſled* quam *ſtopa,* qua inepte quis uteretur reddendo: *vestigium manus*, ſtopa ruky; anne manibus gradimur? (ſtupugi[u]) et nonne *ſtupadlo* pedum scabellum est? melius itaque dixerim: rukoſled, ſled ruky, ſled ručný. Nolim, ita rem accipias, ut aliquid tuae opinionis confessioni sub initium praefationis subtraham; etiam ego hanc praerogativam ei dederim, quamvis optaverim Thamiana probae auctoritatis vocabula non omittenda, quale est *čtena*, quo longe melius sensum *literae* illius assequimur, quae proprie *legitur;* unde nostrum čitati et počitati, **число**, numerus coeleste signum (**въ число лѣтоко** MSS. Calend. Bibl. Caes.) quaeso, expendantur et conferantur cum praeclare dictis in libro: *Concordia Scripturae et naturae;* expendatur quoque hebr. ספר etc. et Aegyptiorum formae lit. epistolographicae apud W. Büttnerum. *Lecta* igitur proprie sunt numerata = *sečtěna* aneb sčiſlena; ergo *čtena,* ratione, antiquitate, auctoritate et consuetudine (Princip. ed. Nov. T.) nititur. Vocab. *řepice*: »dwě čeſſky naplňugí gednu řepicy; čtyry řepice dělagí čtwrcy« etc. Barnerus Knihy Hospodářské d. 2. p. 331. Alio significatu edit. princ. ut nosti. Heic te interpellatum volo, ut exemplar Barneri mihi procurare velis oblata occasione. Cuperem vocem *srub* ex Nestore identidem illustratam, ut Hagekus noster scripsit: »aby baudy leſnij opuſtice sruby etc. fol. III. Hrad z srubuow hlinau oblepenych fol. VI.

Sed necesse est, ut tibi gratias agam pro illustratione vocis apud Ditmarum bis occurrentis: *ductores* erant duo *Vethenici* — lib. VI. — in ea parte,

qua *satellites* habitant, dicti slavonice *Vethenici* lib. V., ergo scimus isto nomine *satellites* significari, nec ita obstiterim tuae originationi, immo hanc quoque proferam; sed velim etiam expendas vocem in vers. slavonica occurrentem а҃ Reg. ѳ҃і, л҃і: и҆ посла Саꙋлъ вѣстники — ubi Sept. habent *ἀγγέλους*, ut Hebr. Vulg. *satellites*, qui certe sensu Vulg. int. nil aliud sunt, quam nuncii *custodesque*, ut ex contextu patet, et identidem Ditmaro *ductores*; putarem igitur bene Větenik = вѣстеникъ omisso c, quod vocabulum semel tantum invenio, utique ad exprimendos satellites; quia nuncios alias reddit sl. посли. In dipl. *Otakari* reg. a Carolo confirmato — *Vetzen venatorum magister;* nescio autem, an non magis nomen sit personae quam officii postea latine expositi, ut heic alia et praecedunt et consequuntur. Hruto-Oztoy etc.· Vet (Frencelio cap. III. de Vitho) est *talio*; wečžu ulciscor, vindico; — wečžec vindex, ultor. Quid tibi optimum videatur, mone.

Gaudeo, quod ad Lituanica redeas! Utar benevolentia tua, qua mi communionem notitiarum defers, ut primum intellexeris, quae mihi magis placeant, immo quibus primum egeam, tua enim omnia mihi placent. Itaque prae reliquis Maximi Dialogum et illum catalogum bibl. synod. slavon. desidero et si quid nosti prioribus meis voluminibus magis idoneum. Metropolitae Carlowicz. proxime tuam promptitudinem ad promovendam rem literariam cyrillicam et maxime veterem serblo-slavicam codicum collationem, una cum aliis tuis consiliis perscribam.

Nunc maxime ex te scire cupio originem aut historiolam novae cathedrae bohemicae in univ. Prag., terruisti enim spem meam his verbis: Nostri — patrium sermonem contemnunt aut negligunt; tu certe patriam illustrare tuis impigris conatibus et veterem linguae gloriam restituere valeres; itaque vires impendamus primum in illam disquisitionem: Quae sunt causae neglecti linguae slavicae studii? et quibus modis obices tolli, atque avita linguae cultura promoveri possit? Vale, amicos saluta.

XCIV.

1793 — 30. srpna. Dobrovský zmiňuje se o rozpravě Heyrenbachově, o svém vydání života arcibiskupa Jana, o svém listě z Varšavy, o nových srbských spisech, o Englovi a o novém časopise »Für Böhmen von Böhmen«.

Pragae, 30. Aug. 1793.

Fortunato Durich amico Josephus Dobrowsky s. pl.

Miror, a te nihil responsi datum. Saltem optassem, ut me certiorem reddidisses de receptione schedarum mearum, quas per P. Chrysostomum misi. Verum si tu tempus omne inpendis in opus tuum perpoliendum, summopere probo. Nuper dum Pragam advenissem, tradita mihi est dissertatio Heyrenbachii docta sane et solide deducta. Mone, si d. Leoni quid solvendum sit. Potero enim rem agere apud Soc. Scient.

Ruri nunc per aestatem degere soleo, unde factum est, ut me absente irreperent quidam typi errores in Vitam Joannis archiep., quam occasione

promotionis theologicae nuper edidi notisque illustravi.*) Exemplaria hic accipis duo, unum, si placuerit, trades d. Zlobiczkyo.

Literas Varssavia datas et inter alias, quas in ordinem redegi, Zlobiczkyanas inventam tibi fortassis usui esse poterunt. Indagavi ipse quoque in codd. slavonicos, sed idem fere responsum accepi. Servabis eas aut dom. Zlobiczkyo reddes.

Dno. Nowakowicž, quam primum accesseris, nomine meo salutem dices et gratias ages pro missis novis serbice scriptis. Character est certe elegantissimus; verum lingua corrupta magis, quam purior russica atque aliae dialecti. Praeterita in *o* pro *l* summopere displicent, fwoy*m* pro swoi*mi* non placet, kralico*m* instrum. faemininus, atque alia sexcenta vocabula turcica, germanica, quae tamen magis tolero, quam si auctor finxisset nova. Commendant se nova haec brevitate et argumento; futilibus enim locus dari non potest. Desunt mihi numeri aliquot praecipue ex iis foliis, quae adtulit d. Ribayus — nihil tamen opus est, ut mihi mittantur. Ob linguae enim solius cognitionem ea quandoque lego et cum voluptate relego. Si pretium solvendum est aut saltem expensae postae, monebis.

Dno. *Engel*, auctori dissert. de origine Ungarorum (nescio, cur Hungaros ille scribat) salutem plurimam expedies a me. Occasione data mittam ei, si placuerint, notationes quasdam; in summa rei me consentientem habet — methodumque triplicem, qua investavit originem gentis suae, vehementer probo. Si laudem ungaricorum scriptorum audire velit ex ore Angli, legendum ei commendo *Gibbon's* Geschichte des Verfalls des röm. Reichs; vers. german. tom. 15. (Lips. 1793) a pag. 280 cap. LV. nota 18 et seqq. Non vacat plura nunc scribere. Vale.

Rieggerus et Noë edunt nunc scriptum periodicum: für Böhmen von Böhmen. — Optarem, ut saltem unum aliquod continuationem mereretur, cum tot jam similia coepta fuerint ac brevi iterum finita. Reddita aliquando pace sperare licet, etiam literarum amorem reviviscere posse. Nunc omnium ora caedibus resonant ac politicis nugis.

Cl. Alterum, Denisium aliosque,quos a me aestimari scis, saluta.

XCV.

1793 — 16. září. Durich odpovídá na předcházející list, chválí Heyrenbacha a podává zprávu o jeho rozpravě, o přípravách svých k vydání »Bibliotheca slavica« a končí poděkováním za zaslaný život arcibiskupa Jana.

Viennae, 16. Septembris 1793.

Josepho Dobrowsky amico suo integerrimo Fortunatus Durich s. p. d.

Epistolaris tui mecum commercii omni auro mihi gratioris ultima epistola N° XLIX. signata est, quam die 1. Maji anni currentis dedisti, et MS. S. Procopii vitam causa d. Tomsae, remittendam volebas; ad illam responsum a me tibi datum fuisse, atque etiam pro obtentis perutilibus schedis tuis

*) *Vita Joannis de Jenczenstein*, archiepiscopi Pragensis tertii, olim episcopi Misniensis. Ex manuscripto Rokycanensi coaevo nunc primum edita notisque illustrata, Pragae 1793, 8°.

aliisque exemplis editis gratias egisse, ideo commemini, quia vitam Procopii MS., me tibi missurum per d. conductorem currus diligentiae, ut primum ille assumere potuerit, promisi, ut omnino factum est, adjuncto codice MSS. slavonico alias Ribayo assignato, item partibus: 2da et 3^{ia} Опытъ трудовъ, quem fasciculum ad te perlatum fuisse non dubito, quin nihil moneas, ut tibi vita Procopii remittatur. Sollicitus tamen eram vehementer de omnino obtento venerandae antiquitatis monimento prae omnibus reliquis. Epistolam huic fasciculo nullam adjeci, quia tuum responsum praestolabar et, quod neque ultimo fasciculo, dissertationem Heyrenbachii continenti ullam addiderim, causa est, quod ista die, qua illam d. Leon integre perscripsit et haec a me collata fuit cum originali, praeter omnem spem adhuc me accesserit virgo Pragensis, cui apographum diss. secure committere potui ad P. Chrysost. perferendum, quae, quod a te *doctae sane et solidae deductae* diss. judicium meruerit, mihi primum, quod illam tibi commendaverim, deinde toti Slavorum genti, quod in Heyrenbachio tam ingenuum vindicem ex Germanis (erat enim Bojus natione) nacta sit, gratulor. Nihil ex illa, nisi paucissimis verbis, ubi omnino necesse fuerat, ut vol. I. cap. I. §. 5. ita inscripto: »*Ingenuitas Slavorum augg. imperat. caesar. auctoritate ac diplomatum fide comprobata;*« et §. 6: »*Allophylorum nostri aevi scriptorum illustrium, cum primis Germanorum studia et humanitas in Slavorum nomine ab injuriis vindicando;* — ita excerpsi, *ut sub finem prioris §. scriberem: — paucis tantum verbis innuo: peculiarem enim dissertationem minime suspecti de studio partium auctoris Joh. Heyrenbachii S. J. Biblioth. Palat. Vindob. custodis, impetrata facultate Societas regia scientiarum bohemica suis Commentariis insertam e MSS. laudatae Bibliothecae publici juris faciet gratique animi causa ejusdem cl. auctoris memoriam posteritate tradet.* Ad hanc conquirendam ipse animum adjeci, atque in edita, pauciora MSS^{is}, diligenter inquisivi, ut aeque merear de Heyrenbachio, sicut ille, at longe eruditiori opera de Slavis meritus est; sed cum laborem hunc ob crebras infirmitates hoc anno meos labores intercipientes, de quibus rogavi P. Chrysostomum, ut te notiorem redderet, accedentibus feriis ex die 31 Aug. non potui omnino perficere, etsi ex vol. IV° Recensionum Bibl. Pal. Schwandtnerianarum, quo pag. 545. Heyrenbachianorum MSS^{torum} fasciculorum recensio inchoatur, triginta propemodum fasciculos distinctis numeris a Schwandtnero recensitos ex N° 311. cod. MSS. usque ad finem inclusive N^{i} 1982 collegerim, inter quos N° 1937. sunt: »*Dissertationes* duae, una de antiqua Marchia bohemica Austriae septentrionalis, quae ferme elaborata est, in VII plagulis. Deutsch. Altera de antiqua Marchia vindonica Styriae. In schedis confuse sparsis cum typicis scutis ducum Styriae« — ita Schwandt. Sed quia inter hos fasciculos, collectiones et adversaria, non vero ipsius Heyrenbachii propria opera recensentur, quamvis et haec industria, praesertim quod ad collectionem variorum diplomatum sec. VII, VIII—X, XI, XII propria ipsius manu descriptorum *operosissime*, ut Schwandt. dicit, summam laudem mereatur, adnectam recensionem fascicul., prout illam in mea adversaria A E. X. retuli, ut scias locum, si me mors subitanea occuparet: non enim scio meliorem mei sudoris heredem, quam te meum integerrimum atque talem, qui istis adversariis uti noverit et velit.

D. Leonis, officialis Bibl., qui equidem a me suscipere nihil volebat descriptionis causa, non potui operam non demereri; sed tu nihil apud Societatem de refusione ingesseris; illius enim et tui vel maxime amore utinam plura et majora praestare valerem. Ille meum officium supplevit, quum ego nequiverim, ut tuae voluntati aliorumque desiderio citius satisfacere valeam I[i] voluminis Biblioth. slavicae traditione ad id typis exscribendum, cujus specimen nudius tertius nobil. viro Stephano de Novakovicž dedi et proxime recipiam, die vero 21. hujus mensis contractum inibo futurae editionis illius impensis adornandae in hunc, quantum circumstantiae admittent, modum formae atque elegantiae typograph., ut sunt C. Julii Caes. opera, excusa Londini M. Rithie et J. Sammelo industria a. M. DCC. XC. in 8°. maj. Ut primum specimen excusum obtinuero, illud tibi mittam et facti contractus rationem perscribam: nihil enim te latere volo meorum conatuum, quippe talium, quorum tua est quoque magna portio et major, si a te posthumis schedis perfectio accedere deberet, ut equidem petenti mihi non renuebas. Laudato nobili typographo ea, quae denuntianda volebas, retuli et tuo nomine gratias egi: nihil pretii solvendum; plura in sequenti epistola perscribam.

D. Engel per id tempus non possum convenire. Dissertationis illius aut colloquii, in quo Passionale bohemicum ab auctoritate laudari asseverasti, non habeo exemplar; exscribe igitur locum, quo habeo necesse. Sed jam complicare epistolam necesse est et sub finem, quod in principio faciendum erat, gratias ago pro exemplo Vitae archiep. Joannis; et Zlobitczkyus, cui alterum extradidi, identidem mecum humanissime agit. Saluta amicos et, quos tu salutatos volebas, salutabo in reditu eorum. Vale quam optime et plura, ut promisi, a me exspecta intermissi commercii supplementa, ut primum potuero. Iterum vale et celeriter scribenti nec relegenti epistolam parce!

Roma necdum obtinui desiderata linguarum exoticarum grammatica monimenta; sed noveris me tui studiosum esse tali simplicitate mentis, quae decet *pares amicos* ad vitam beatiorem reddendam.

XCVI.

1793 — 26. září. Dobrovský zmiňuje se o odpovědi na svůj dopis ze dne **1. května**, o názvech dní v týdnu, o zaslaných jemu knihách, o rozpravě **Heyrenbachově**, slibuje, že se ujme literární pozůstalosti Durichovy, žádá pro **Pelzla** o přepis **Husovy abecedy**, připomíná Hilariovu disputaci s Rokycanou a mimo jiné zmiňuje se o **vytištění českých sklonění** pro Pelzla a jeho posluchače, o Alterových různých čteních a o **překladu staroslovanském písma svatého**.

Pragae, 26. Septem. 1793.

Fort. Durich amico veterano Jos. Dobrowsky s. pl. d.

Nescio, utrum bene memineris ad postremas literas meas, te responsum dedisse. Sed non moneo istud, quasi officio humanitatis defuisses, occupationibus tuis id tribuo. Qua die mensis literas ante abitum meum Praga dederim, non recordor. Si 1. Maji id factum, oportet in literis fieri mentionem de appellatione dierum utery, čtwrtek, patet consentiente cum nominibus dierum indicis. Scis enim utery, id est, secundam diem hebdomadis, non esse feriam

ecclesiasticam; nam feria III, V, VI non potuit reddi per 2^{dam}, 4^{tam} et 5^{tam}, de qua re memini te mihi olim scripsisse.

Duas partes **Опытъ трудовъ** omnino obtinui, uti et manuscriptam Procopii vitam et reliqua, quae in lit. 16. Sept. datis nominasti, significassemque statim, haec pervenisse ad me, nisi responsum a te praestolatus fuissem, ut una eademque epistola complecti omnia possem.

Heyrenbachii memorias si communicare volueris, rem gratissimam Societati praestabis. Iudico equidem pauca de eo monenda, saltem in nota dissertationi illius subjicienda. Num dissert. de antiqua Marchia bohemica dignam typis censeas, me, quaeso, edoce; posset enim cuidam tomo dissert. nostrarum inseri commode. Nostra enim tangit.

Tibi autem et vitam longaevam et vires perficiendo operi, cui tot annis insudasti, pares ex animo precor, quamvis me digesturum reliqua, si mors, quod absit, praematura te nobis eriperet, spondeo, ut saltem hac ratione amicitiae officiis satisfaciam.

Cl. Pelzelius te humanissime compellat, ut ei alphabetum ab Husso redactum: a bude dáno etc. aut ex libello abcdario, Prostannae edito, aut ex manuscriptis, de quibus tu me in literis quondam, quas nunc aliquot diebus frustra quaero, edocuisti. Cum enim Olomucio Pragam res meas transvehi curarem, factum est, ut literae quaedam, quas nolebam, comburerentur. Quod fatum num expertae sint duae illae, quas frustra quaesivi, adhuc ignoro, quamquam id metuam.

Passionalis bohemici mentionem fieri in disputatione Hilarii cum Rokyczana an. 1465, quam post Canisii binas editiones lect. antiqu. iterum Pragae 1775 in 8. typis excudi fecit Adauct. Voigt, — judico iis in locis, quos nunc exscribo: »Postquam Rokyczanus allegabat *Sanctorale* de sancto Andrea apostolo, quod communicasset populum corpore et sanguine Domini sub utraque specie, dixit Krzižanowsky in faciem coram rege et regno et restitit, quod non esset ibi scriptum *sub utraque* specie. Contra Rokyczanus, quod esset; ille vice versa, quod non.« p. 65. et pag. 76. »In fine autem cum petitum fuisset a partibus, ut *liber Sanctoralis* legeretur et doctor Krzižanowsky instaret asserendo: ibi non esse positum *sub utraque specie,* lectus est ille passus de sancto Andrea, ubi dicit: Ego immaculati agni corpus et sanguinem populis trado.«

Verum hic duo supposui: primum librum Sanctorale dictum esse vitas SS., deinde exemplar allatum fuisse bohemicum. Disputatio quidem bohemice habita est; sed utrum liber allatus lingua boh. scriptus fuerit, dubium manet.

Vocem *domowit*, ut hoc ratione Passionalis rhytmici addam, invenies Matth. 13, 32. Bibl. slav., ubi *οἰκοδέσποτα*, domowit člowěk redditur.

Ad hist. Serviae editionem, si fortasse ob defectum subscriptionum retardaretur, volo etiam conferre pretium unius exemplaris. Quaeso igitur, ut pecuniam hanc numeres ei, qui curam ejus rei habet, mox tibi per me apud P. Chrisostomum refundendam, quam primum monueris factum fuisse, quod flagito.

Typum declinationum bohemicarum (pro usu d. Pelzel et ejus auditorum) digessi et d. Pelzel typis edidit, quem, si nondum recepisti, servabis; alias dno. Zlobiczky trades.

Parce jam festinationi, nam alias adhuc literas scribendas tempus monet. Vale et fave mihi.

E Lucae Evangelio lect. codd. slavicorum proxime mittam Griesbachio. Altero, quamvis ejus diligentiam admirer semper, tamen etiam indignor, quod res nihili notaverit diligentissime, alias maj. momenti non tetigerit, ut multis exemplis docere possem. E. gr. Luc. II, 22; *jeju* exposuit per *αὐτῆς* hancque lectionem notavit, cum tamen *αὐτῶν* notandum fuisset; *jeju* enim dualis numeri genitivus est. Hallucinationes alias nunc praetereo. Mittam tamen tibi aliquando, nunc enim iis vix indiges, notas meas, quarum ope codicum descriptionem dare poteris meliorem. Sed et schedas communicabo plures, quibus nunc ipse ego indigeo. Descriptionem slav. vers. generalem multis in locis emendandam sumam, e. gr. monendum erit praeprimis: codd. slav. antiquissimos habere lectiones latinorum codd., qui Antehieronymianam vers. continent; has ejectas omnes in junioribus ad graeca exemplaria medii aevi refictis. Hinc quaeritur: Annon ante Cyrillum Evangeliorum versio slav. exstiterit e lat. codd? aut annon Cyrillus etiam (praeter Graecos) lat. codd. habuerit, quos subinde secutus sit? Sed haec exemplis illustrari debent, quae tempore suo adducam. Vale.

XCVII.

1793 — 13. října. Durich opět zmiňuje se o Heyrenbachově rozpravě, přeje si svůj spis, o kterém podává zprávu, věnovati kr. české učené společnosti a přeje si o tom Dobrovského mínění, podává přepis Husovy abecedy s dodatky, zmiňuje se o Ondř. Klatovském, o staroslovanském překladě písma svatého a končí zmínkou o pojmenování dní v týdnu.

Viennae, 13. Octobr. 1793.

Jos. Dobrowsky amico suo veterano Fort. Durich s. p. d.

Maturius responsum dedissem ad tuam nuper ad me datam epistolam, nisi fuisset necessarium prius in res illas penitius inquirere, quibus tibi et cl. Pelzel ad amussim satisfacere cupiebam.

Dissertationem de antiqua Marchia bohemica videtur mihi Heyrenbachius, quantum equidem mihi nunc ex schedis illius constat, atque intelligere valeo ex illarum collatione, non absolvisse in talem modum, quo eam de Slavis in Austria typis exscribendam in MSS. reliquit; immo illam prius animo conceptam interim seposuisse videtur, ut hanc perficeret aut fortassis aliis rationibus inductus ad finem illam priorem diss. non deduxit; quapropter Schwandtnerus in recensione non adposuit eam typis paratam esse, quem ad modum adnotavit ad istam, cujus exemplar ad te misi. Nollem ego, neque tu id committeres, ut quidquam in lucem prodeat, cui ultimam emendationis lineam auctor adposuisse dubitatur: nec illi dissertationi tanta insunt rerum nostrarum momenta; quidquid vero notatu dignius est, alia opportuna

occasione tecum communicabo tantoque magis satagam tibi et Societati debitum praestare officium, quanto tenerius te diligo et Societatem veneror.

Hujus et dilectionis et venerationis ut testimonium habeas, propositum animi, quod pridem concepi, tecum communico, nimirum: Opus illud meum, atque magna parte tuum quoque vel magis tuum, si mors absolutionem editionis praeveniat, Societati volo inscribere et hujus rei causa typographum interpellavi, ut mihi hanc animi gratitudinem contestandam indulgeret; nec ille contradixit, sed lubens mihi hoc meo nomine faciendum concessit. Vides igitur me patriis fontibus quadam ratione similem esse, qui uno alveo collecti, uno in veteres Slavonias ostio influunt: ita ego vobiscum cujuscunque industriae, quum ingenio non praestem, specimina viginti propemodum annorum communicare vestroque nomini inscribere jam constitui; nisi forte quidquam obstet, quo minus id facere mihi liceat, qua in re tuum erit, ut me instruas; nosti enim simplicitatem animi et facile tibi persuadebis, id a me grata mente fieri, quum haberem, quibus hoc lucri gratia quidam insriptum volebant. Ego Baconis de Verulamio consilium sequor et in te primum, Pelczelio atque omnibus sociis et amicitiam et eruditionem suspicio. Nec plura de hoc negotio expediendo perscribere necessarium puto; tute nosti melius, qui ordo, cum primis propter nobilitatis gradus, servari debeat, meque hujus ordinis aut observantiae causa commonebis et suscepto meae gratitudinis officio instrues, in quem modum inscriptio aut epistola nuncupatoria, cui insignia Societatis juxta ectypon majoris sigilli in aes incisa praefigere volo, formari debeat; vel quid tu maxime scriptum desiderares. An dignum sit opus vestri nominis inscriptione, tu optime judicare poteris; qua vero forma exteriori proditurum sit, etsi doleam adhucdum emendatum et perfectum specimen exempli excusum non esse, propter novos typos majuscularum literarum, qui omnes etiam minoribus comprehensis, novi funduntur; textus autem moduli praesentes jam fusi, ut arbitror, non displicebunt, tum etiam forma columnarum, excepta inscriptione paginarum argumentum continente, quae contrahi debet, ut majoribus formis excudi possit. Alia, quae heic ad perfectionem artis typographicae desiderantur et orthographiae constantiam, emendabuntur; est enim rude et primum specimen; nec illa scenographia in aes incisa heic expressa est, ad quam illa solum Horatii verba adponentur: *ita verborum vetus interit aetas;* contextum ego typographo dedi, fingendae scenographiae causa. Si quid adhuc emendandum putas, rogo, velis me commonere. Nuper nobilis ille typographus mihi asseveravit 700 f. a se impensos in varietatem characterum. Contractum necdum literis descriptum habeo; sed promisit nuper ad me perferendum proxime; obtentum fideliter tecum communicabo. Sed jam cl. Pelzelio satisfaciam, necesse est.

Ex codice MSS. theologico N° CCCCLXXX olim 312 chartaceo, non una manu scripto fol. 356. ad finem mutilo, seculi 15. varia opuscula continente, ut M. Procopii de communione parvulorum.

A folii 74. pag. aversa, qua primum perscriptum est alphabetum bohemicum, dein vero catechismus bohemicus, sub cujus finem ista subscriptio eadem manu exarata est: »Amen leta bozieho 1414 w uſtí den ſwatych mučedlníków jana a pawla.«

»A b c ċ d ḋ e f g h i y k l l̇ m n n* o p q r ṙ ſ ẛ s ṡ t ṫ v v̇ w x z ż ch«.

*) NB. Sine puncto aut stigm.

A bude cele čeledi dano diedictwie ey farař genz hoſpodin ili y kral lidi İakan mnoho nas niekdy on pokoy. rad řadem ſluzil ẛlechetny tak tieleſtny vkazaw velikoſt wſobie xil zany żiwotem chtie genz geſt konec y počatek pozehnany na vvieky.

(Alia, ut mihi videtur, manus superscripsit quasdam illustrationes ut super) farař kryſtus kniez — super Hoſpodin pan — super ili owſem — super lidi wſech — super lakan y od diabla y od knież. — pokoy proto ze nam dawa pokoy — řadem čnoſtnie — ſluzil każdemu — — — ſlechetny t. čtnoſtny — tieleſtny t. gſa — vkazaw ſwymi ſkutky — velikoſti bozſtnie y clowiectnie — xil t. kdyz geſt vmrzel — chtie t. ny ſpaſiti — konec pronz gſu wſecky wieci — poczatek od nieho ſu wſeczky wieci.«

Ut de antiquitate sermonis Catechismi ejusque indole conjici possit, haec adjungo excerpta: »W cierkwi ſwate trie ſu ſwieti ſtawowe: manzelſky, wdowſky a panenſky a cztwrty zmietencow a zmietenic, ale giż kagicich.

Pjet geſt achow tieleſnych, t. zrak, ſluch, wonienie, chut a dotknuti a tak ciely w achu člowiek moz hřeſiti zrakem, ſluchem, wonienim, chuti a dotknutim.

Sedm geſt poſwatnych wieci: prwa geſt křeſt, druha biřmowanie, trieti manzelſtwie, cztwrta kniezſtwie, pata kanie, ſeſta ſwatoſt tiela bozieho, ſedma poſlednie oleiowanie.

O hřieẛe.

Hřiech geſt nedoſtatek ctnoſti, Ctnoſt geſt milowanie řadu, Ṙad bożie zpoſſobenſe; protoż ktoż miluge řad od boha wydany, ten geſt ctnoſtny, a ktoż nemiluge řadu, ten geſt hřieẛny, tak ze neb ſmrtedlnie hřeẛſ neb wẛednie.

(Sub finem post laudatam chronologiae et loci subscriptionem sunt descripti jam noti versus hexametri antiquissimi: Pro čtýri přičiny bywa muži poznańſe żeny etc.; ad finem minio scriptum est:

Ċeſt, ctnoſt, ſtud, bazeň ktoż ma, neńſe blazen.

Andream Klatowſky, quod ad ch attinet, in libello apud Melantrichum in 8⁰ a. 1578 edito, identidem in fine alphabeti posuisse, epistola XIX ante quinquennium scripsisti, et monuisti: discrimen inter l et ł neminem unquam illo Andrea melius docuisse.

Summas habeo gratias pro communicatis mecum notitiis literariis et oblatis in usum schedis tuis; sed postquam illas, quas habeo, in succum et sanguinem traduxero, te humanissime interpellabo remissis prioribus.

Alia, quae per me fieri volebas, ad amussim perficiam.

Antehieronymianam versionem in antiquissimis codd. slavonicis contineri, quum subinde observassem in Act. Apost., hujus convenientiae causam apud me reponebam in consensum optimorum archetyporum vers. slav. antiq., cum originali cod. vers. Antehieronymianae; immo hoc mihi persuadeo, Cyrillum et Methodium consuluisse lat. vers. De hoc autem alias plura conferemus.

De feriarum slavonicarum appellationibus nihil scriptum a te habeo in hunc modum, ut mones; sed arbitror ego in opinionem inductus Assemani

expositione tom ult. sub finem Kal. eccl. v. diversitate modi appellationis dominicarum et rationis numerandi apud Grr. et Latt. Sed hac ratione utique *dies lunae* esset feria 1ª, et has ferias consequens dominica foret index peractae hebdomadae. Sed jam vale quam optime et saluta amicos.

XCVIII.

1793 — 26. října Dobrovský zmiňuje se o věnování Durichova spisu kr. české učené společnosti, poučuje, jakým spůsobem se to má státi, rozepisuje se o pojmenování Slovanů a dní v týdnu, o Husově abecedě, o svém seznamu staroslovanských rukopisů a o své sbírce různých čtení z písma svatého.

Mieschicii die 26. Oct. 1793.

Fortunato Durich amico suo J. Dobrowsky s. pl.

Commode accidit, ut, quod cupiebas, Soc. Scient. exponere possem animi tui propositum. Inscriptionem igitur operis tui tot annorum lucubrationibus elaborati, atque eo jam perducti, ut de eo typis exscribendo sollicitus sis, gratanter omnes suscipiunt. Typorum forma mihi placet. De aliis ornamentis non possum modo judicare. Meo quidem judicio opus Societati inscribi posset sine epistola nuncupatoria, sed stilo lapidari, brevissime commemorando, te id facere amore patriae et veneratione erga homines, qui ad ornandam eam studia sua consecrant, et grati animi contestandi causa. Ordo in serie nominum nullus observandus est alius, quam is, quem in Commentariis proxime editis legere potes. Solum id monendum, Comitem de Sternberg inter membra Societatis ordinaria ultimo loco ponendum. Nam, ut credo, extraordinariorum nomina non appones, quamvis optem, ut tu te subscribas tamquam membrum Soc. Aliud nihil monendum restat. Modestiam tuam laudarunt omnes; fac igitur et tu, ne quid committas, quo modestia sociorum offendi possit.

In specimine transmisso nihil est, quod emendandum putem, nisi forte illud, quod plures male intellexisse cognovi: *abusu veteris orthographiae* Sclavorum; cum orthographia sit recta scriptio, facile quis induci posset, *Sclavorum* rectam esse scriptionem. Mallem igitur: *mala scriptione* Sclavorum vel *non recta* scriptione, aut quid simile hic reponi. Alterum, quod nescio, num subsistere possit, est **Словен**, in nomin. singul. Qua auctoritate id scribis? gentilia enim non desinunt in **ен**, sed *an* aut *in* (*Rusyn* apud Dalemilum, *Serblin* etc.). In derivatis quidem et nominativo plur. *an* mutatur in *ěn*, *en*: Slowan, plur. Slowené, slowensky — Dalemilus id constanter observat: Miſſňan, Miſſněné, sed accusat. casu Miſſňany; ita Polan, Polené, Polany. Sic quoque in derivatis, wogensky pro wogansky, ab obsoleto wogan (a quo Moravi dicunt woganka, boh. wogačka); atque etiam slowensky pro slowansky recte dicitur, quin sit rectus fingendus in *en*: Slowen. Malim igitur omitti **Словен**, et addi **Слѧван** — et pro Slowen scribi Slawan vel Slawãn. Nam apud Nestorem *Slawãne* leguntur, non Slowãne. Nisi forte tu **ѧ** olim jam, uti nunc apud Russos, ut *e* pronunciatum putes. Apud nos quidem **ѧ** jam in a, jam in ě deflectit, pět, patdesat, pátý, patero. Sed tuum erit, haec

dijudicare et de iis statuere. Qua intentione ista monuerim, novisti utique. Annon ѧ per ã aut â aut ae aut quocunque alio modo melius exprimi possit, quam per *ja*? Sed haec tu jam examinaveris; a Bohemorum et Polonorum scribendi ratione *ja* (etiam post consonam) non abhorret.

Doleo unam epistolam meam perditam fuisse seu ad te non pervenisse. Monui in ea de *Jata* Indorum aliqua, de Georgiani alphabeti nominibus cum slavicis quadam ratione congruentibus. De dierum nominibus apud Indos, qui plane congruunt cum *úterý, čtwrtek, pátek* — *středa* enim Germanorum imitatione nata est; sobota cum religionis christianae initiis (uti neděle et hanc consequens dies pondělí, collato germanico Feyertag, est enim *feyern* proprie a labore cessare). Sed de his tempore suo me commonere poteris. Vestigia appellationum Latinis ac Germanis, Gallis, Anglis communium a planetarum seu deorum nominibus non nisi apud Venedos Luneburgenses reperi: *peren den*, Donnerstag, i. e. perun den etc.

Alphabeti descriptione Pelzelio rem praestitisti gratissimam, pro qua ille gratias plurimas agit.

Adnotare lubet pauca: *nás* utique legendum náš (noster seu nostra pax), ut sit sententia: náſſ někdy on pokog, quod ipsum expositio confirmat, proto že *nám* dáwá pokog. Cum *ili* exponantur per *owſſem* patet ili non fuisse Bohemis notum, sed aliun de assumtum. Literam x utique vocabulo bohemico (nisi detorto) explicare auctor alphabeti non potuit, uti alias jam monui. Pro bozſtnie, clowiectnie legendum haud dubie bozſtuie, clowěctuie (*u* non *n*). İ cum puncto in bibliis bohemicis Olomucens., in 2[do] exemplari paulo juniori, scribitur iis in locis, ubi natura pronunciationis exigit: *ſlowo*, *ſluha*. Video expositionem ipsam alphabeti non esse auctoris, sed alterius etiam ex eo, quod *chtie* exponatur t. ny ſpaſyti. Atqui *chtie* sine addito explicari potest *lubens*, *volens*. Sententias ego sic ordino, ut prima finiatur voce dědictwie, secunda mnoho, quae tamen ceu periodus includit alteram, (genz hoſp. ili y kral lidí); tertia voce pokog, quamvis haec cohaereat cum sequenti quarta, voce ſlechetny terminata; quinta voce w ſobě; sexta demum voce *chtě*. Magis placuisset mihi, si de sententiis colligandis nihil cogitans auctor, singulas literas singulis brevibus nominibus compellasset, imitando Cyrillum. *Děd* ego posuissem pro dědictwí, *tělo* pro *těleſtny* etc. Sed aliis alia placent. Sunt utique, qui in alphabeto cyrillico institutionem paganismi viderint; alii alia; ego simplices in eo compellationes, non connectendas, ut sententia prodeat, sed singillatim enunciandas censeo. Sed quid ista tibi? Voce *achow*, w *achu*, sic enim scripsisti, multum excruciabar; non enim potui etymon exsculpere. Tandem occurrit, vocem hanc aut male scriptam aut non bene lectam, et substitui debere cichow, w cichu (čich generaliter sumendo pro omni sensu).

Qui discrimen inter l et ł recte docuerit, Klatowskyum dixi, cui addendus erit *Petrus Gzel*. Monendum hic editionem institutionis a Klatowskyo adornatæ primam circa an. 1534 (e memoria scribo) prodiisse, quam possidet d. Ribay; hinc illi discrimen inter l et ł magis notum esse poterat. *Olegowanie*, imitando Germanorum *Oelung*, ortum est etc. etc.

Cum nuper Johannem absolvissem redigendo lectiones var. pro editione *Griesbachii*, codicum catalogum opus erat conficere. Sed excrevit paulo amplius, quam ut inseri possit praefationi ejus operis. Tu forte eo uti poteris, nisi fortasse singulare opus magis a me exspectes. Externum ego codicum habitum non describo, sed magis textus tenorem. Ne vacua pagina remaneat, cum quae scribam nunc, non occurrant, codicum (apud me 5, 6, 7), descriptionem pro specimine tibi communicabo, ut monere possis, si quae desideres, amplioribus verbis exponenda.

5. Codex quatuor Evangeliorum, Bibliothecae Caes. Vind. Num. CCCLVI. ejusdem, si recte conjicio, aetatis et provinciae, cum sequenti.

6. Codex 4 Evangel. Bibl. Caes. Vind. Num. CCCLV., quem Joan. Petrus, dux Moldaviae, monast. Xiropot. donavit an. 1535.

Utriusque lect. var. collegit Fr. C. *Alterus* vol. I. N. Test. p. 1122—1194. Contuli lect. ab Altero notatas denuo cum textu slavico et graeco recepto. Alterus enim utrumque cod. cum graeco Vindob., qui multis in locis a recepto differt, contulerat. Sed neque hac ratione certus esse poteram de lectionibus singulorum codicum, cum *saepius* lectiones citentur ex uno, tacente altero, et quidem iis in locis, in quibus utrumque consentire invicem existimo. Resecui illa omnia, quae ad lectionis varietatem minime pertinent et quae Alterus aut male legerat aut male interpretatus est. Ad posteriorem textus slavici recensionem uterque codex pertinet, praecipue habita ratione vocum et phrasium slavicarum, quamvis lectiones quasdam, paucissimas tamen, a cod. 7. et editis discrepantes, alteruter exhibeat. Peculiares lectiones, utrique communes hae fere sunt: Joh. 5, 44. *τῶν ἀνθρώπων* pro *ἀλλήλων* Joh. 8, 4. *ταύτην εὕρομεν* pro *αὕτη ἡ γυνὴ κατειλήφθη*. Formulam, qua lectio inchoatur, uterque subinde textui male inserit. Vide Marc. 6, 55, cap. 10, 32, adde Matth. 12, 9, ubi tamen tacet 6. Aliam, qua lectio finitur, Matth. 25, 30, quam tamen retinent 7. et editi, recte resecant cum aliis antiquioribus (3. et 4 apud me). Ex his aliisque locis apparet codicem utrumque ex uno aliquo exemplari Moldaviensi derivari. Lectiones singulares, quas habet 6. (tacente 5. nisi fortasse tamen cum 6 consentiat) haec notari merentur: Matth. 25, 26: *σκληρὸς εἰμὶ θερίζων* pro *θερίζω*. Marci 6, 3: *τοῦ τέκτονος υἱὸς καὶ* pro *ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς* — ; uti et ea, quam habet 5tus (tacente 6to, nisi et is consentiat) Joh. 20, 13 addendo: *ἀπὸ τοῦ μνημείου*. Cum antiquioribus enim his in locis conveniunt. De omissionum vitiis, quorum alteruter, praecipue 5. habet non pauca, nihil moneo.

7. Codex 4 Evangel. (est is, quem pro d. Ribay destinaveram) in charta in fol. sec. XVI. initio scriptus. Continet recensionem postremam, quam primi ex editis (uti Vilnensis 1575) in omnibus fere sequuntur. Additamenta in eo, uti aliis junioribus, jam nulla habentur, quae non agnoscant etiam editi, a quibus tamen omissionibus paucis differt. Matth. 5, 27: *τοῖς ἀρχαίοις*; Luc. 7, 31: *εἶπε δὲ κύριος* (formula lectionibus praemissa), Luc. 17. versus 36 integer, quae in codice desunt, restituta leguntur in editis. Aliae differentiae leviores sunt, quam ut notari mereantur. Addit Joh. 1, 16, *καὶ* ante *χάριν* cum editis, quod in codicibus aliis, fere omnibus, quos inspexi, omissum est. Joh. 1, 7. legit *jemu* i. e. *αὐτῷ* pro *δι' αὐτοῦ*, quem locum sic corruptum, et codices, exceptis tamen antiquissimis, et editiones omnes exhibent.

Antiquissimi enim instrumentali casu num. sing. reddunt *δι αὐτοῦ* per *im* (confer v. 10, ubi *δι αὐτοῦ* omnes reddunt *tjem*), quod sciolus quidam putans esse dativum plur. mutavit in singularem *jemu*, contra sensum originalis textus. In bibliis postremae emendationis recte in margine appositum est: črez nego.

Plura ejusmodi loca, in quibus vitia librariorum incorrecta adhuc etiam in novissimis editionibus manserunt, notata habeo, de quibus fortasse alias plura. Vale et me ama. Saluta Vindobonenses amicos.

XCIX.

1794 — 9. května. Dobrowský zmiňuje se o své cestě do Italie, o slovinštině, o dvou staroslovanských rukopisech v knihovně sv. Marka v Benátkách a o řecko-illyrské tiskárně tamtéž.

9. Maji 1794.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Adeo nobis properandum fuit in itinere italico, ut nec te, nec alios de loco commorationis meae certiores facere potuerim. Redii jam nunc ex Italiae finibus, obstabant enim negotia illust. familiae, quo minus ulterius progredi nobis licuerit, mense Aprili. Laybaci d. *Kumerdey* visitare volui, sed eum domi non reperi. Carniolos aegre admodum intellexi — illi asserebant a se facilius intelligi Russos, quam Bohemos. Hoc semper miratus sum, quod illyrica l. ad russicam propius accedat, quam bohemicam, cum tamen Constantinus Servos e regionibus *Boici* adventasse perhibeat. Sed quis novit, quot et quales migrationes gentis slavicae populorum fuerint? Plurima in historia veteri incognita nobis sunt, unde fit, ut facta illa, quae novimus, non cohaereant omnino. Dalmatas ad litus seu potius in mari adriatico, eo loco, quo Venetias naves adventant, excubias agere Venetosque gloriari milite Dalmato, satis tibi notum est.

In bibliotheca S. Marci abbas *Morelli*, hoc tempore bibliothecarius, narravit mihi, dissertationem Dolcii refutatam fuisse ab aliquo *Zanetti* paucis pagellis. Sed videre non potui libellum. Idem Morelli codd. servianos, uti vocantur, mihi exhibuit duos, unum in charta in fol. satis recentem, lectiones Evangeliorum et officium festorum continentem; alterum in membrana in 8. sec. XV, ut existimo. Hunc pro temporis angustia diligenter satis lustravi. Continet etiam Apocalypsim, quod rarum, mox post Evangelium Joannis et reliquos libros N. T. paucis exceptis; in fine enim mancus est. Codices ejusmodi quam rari sint, novisti. Non nisi duos inveni in tot Russiae bibliothecis, qui integrum Novum Test. continerent: unum bibliothecae synodalis Mosquae in charta in 8, in quo tamen Apocalypsis deest; alterum monasterii Czudow, manu metropolitae Alexii scriptus sec. XIV. in membrana in 8, quo languidos curare solebant monachi, ob hanc virtutem religiosius asservatus.

In plateae slavonicae (riva de Schiavoni) vicinia Venetiis est typographia graeco-illyrica (slaveno-grečeskaa), cujus possessorem Dimitrium Theodosiew adii. Excussi loculos et quosdam ibidem impressos usibus tuis aptos coemi,

quos per P. Chrysostomum mittam aliquando. Typos glagoliticos elegantes certe videbis in libello precatorio, quo characterum genere nulli amplius libri imprimuntur ob emtorum defectum et fortasse propterea, quod typis et literis glagoliticis utentes Romanae ecclesiae addicti sint.

Habet Dimitrius ille Graecus natione sorores duas Viennae dixitque mihi, se scripturum Viennam, et si quos coëmere libros illyricos ibidem impressos posset, curaturum.

Jam finire epistolam cogor. Vale. Saluta amicos Vindobonenses omnes.

C.

1794 — 13. května. Durich raduje se ze šťastného návratu Dobrovského z Vlach, zmiňuje se o hlaholštině a žádaných knihách, o Raićově spise, o hlaholských literách a pravopise a zakončuje svůj list zprávou o rukopisech nalézajících se v uherských klášteřích.

Viennae, 13. Maji 1794.

Josepho Dobrowsky suo veterano amico s. pl. Fort. Durich.

Gaudeo vehementer de tuo felici ex Italiae finibus reditu, sed etiam doleo, quod institutum iter perficere non potueris. Profecto multum optimarum quarumque notitiarum ad rem literariam Slavorum illustrandam pertinentium nobis imperfecto itinere subtractum est: ego cum primis literaturae glagoliticae sperabam futurum, ut tua opera lumen accederet lustratis potissimum Dalmatiae praecipuis civitatibus, maxime ubi ritus adhucdum slavonicus viget et seminaria clericorum exstant. Sed nescio, qua opinione rei contra spem eventurae correptus sum lecta tuae epistolae pericopa, — quo characterum genere (glagol.) nulli amplius libri imprimuntur, ob emtorum defectum: — illud tamen, quod adjecisti — et fortasse propterea, quod typis et literis glagoliticis utentes Romanae ecclesiae addicti sint, — tantisper timorem meum excussit; ea quoque ratione, quod Dimitrius Graecus vix eo sit animo comparatus, ut nostrae ecclesiae addictorum peculiarem communis linguae literaturam promovere velit.

Nescio, in quem modum tua in me studia, beneficentiam officiaque singularis amicitiae demereri potero: sum enim tibi adhucdum debito necdum integre soluto, causa Mosquensis edit. bibl., obstrictus; nihil enim eorum opusculorum, quae postulabas, adhuc obtinui; sed in partem majorem refusionis illius pretii bibl. cum typographo meo egi, quod attinet ad opus Raicžianum, cujus primum volumen brevi typis elegantibus forma 8ª excusum, praefixa ejusdem effigie, prodibit; tu velim scribas, qua formula praenumerantium numero inseri velis. Si nihil omnino desideratorum opusculorum obtinere valuero, reliquum pretium, quod impendisti, cum gratiarum actione reddam.

Quos Venetiis usibus meis coemisti libros, horum pretium meo nomine a meo dilectissimo Chrysostomo repete, prius quam sub initium futuri mensis ille pensionem ad me mittat; et illum interim libellum precatorium ad me perferendum trade; necdum enim glagoliticae literarum formae, quarum ego tuo consilio exempla ex Romanis descripsi, sunt excisae: quia hae in II. vol.

primum necessariae erunt, quamvis maluerim jam incisas. Illae formae Caramanianae Ⱑ́, Ⰻ́, praeter istas Ⱑ̇, Ⰻ̇ et easdem omni puncto destitutas cum cyrillicis ѣ, ї; et ѧ, и convenientes, in alphabeto romano cyrillicis literis analogo non habentur; sed illas invenio in Missali Romae a. 1741. 4. opera Caramani edito. Cum de usu atque causa hujus peculiaris discriminis a Caramano in literaturam glagoliticam inducti ex illustratione alphabeti edoceri non possem, ad collationem ejusmodi locorum, in quibus illae literae Ⱑ́, Ⰻ́ a Caramano ponuntur, cum editione Ostrogensi bibl. et cum Romanae editionis de anno 1631. 4. Missali Rom. glagolitico me contuli, ut meis observationibus aliquid causae illius atque usus diacritici signi investigarem. Collatione facta videor mihi rationem hanc invenisse et primum quidem quod attinet ad Ⱑ̇: ista orationis dominicae particula — ⰔⰂⰅⰕⰋⰔⰅ ⰋⰏⰅ — edit. Rom. 1631. a Caramano in edit. 1741. scripta est: ⰔⰂⱑ́ⰕⰋⰔⱑ̇ ⰋⰏⱑ́ — in edit. Ostrog. — ст̃нтсѧ нмѧ. Quia Caramanus non poterat popularem usum enuntiationis dalmaticae, quam nos cum Dalmatis (quod equidem ad istam partem attinet, ѧ, in pronomine сѧ, per *e* alias *ie* [*ſie*] pronuntiandi) eandem habemus, ita ruthenicis codicibus coaptare, sicut in restitutione antiquiorum vocabulorum commutationem instituere facilius poterat: tentavit nihilominus orthographiae restitutionem forma literae Ⱑ = ѧ, sed adjecto signo ' diacritico ad potestatem *τοῦ* Ⰵ translatae, ut distinctio sit Ⱑ̇ = ѣ, ad potestatem soni *je* pertinentis, cujus *j* puncto superno, illius vero privatio apostropho convenienter signetur Ⱑ́, velut quodam subtractae *vocalis* indicio. Manet itaque in hac recentiori, ut ego arbitror a Caramano introducta in glagoliticam literaturam orthographia, veteris enunciationis ruthenicae monumentum, et recentior pronunciatio novo indicio signatur. Similiter, quod attinet ad Ⰻ́, nosti codices glagol. superiorum seculorum Latinorum more *η* enunciandi habere ⰀⰏⰅⰐ pro Caramani ⰀⰏⰋ́Ⱀı; quum itaque ista enunciatio usu nimium confirmata sit, Caramanus ruthenicae consuetudini omnia adaptare cupiens etiam heic reformationem instituit, fors ut demonstraret, quo fonte glagoliticae res deducantur. Facile intelligis, cur haec ad te scribam; nimirum desiderio sciendi, quid tu sentias et in quem modum ego me gerere debeam, ut apte formentur characteres glagolitici, quibus specimina etiam recentissimorum codicum imprimantur, et cognoscatur indoles restitutae, saltem parte majori, glagoliticae literaturae suis fontibus. Tum etiam, ut ex te resciam, qua ratione possit perfectior analogia institui nostri modi scribendi nostram dialectum literis cyrillicis, non equidem eo animo, ut aliquid mutatum velim in orthographia nostra bohemica; sed quia vellem in gratiam cognatarum gentium et nostrorum popularium quaedam specimina cap. VIII. vol. I[1] edere literis cyrillicis, at servata enunciationis nostrae orthographia tali ratione, ut nec vim inseram consuetudini nostrae, nec sim obscurus assuetis literaturae cyrillicae. Sed heic patior difficultatem in compluribus literis nostro usui recte coaptandis tunc, quando nostra dialectus ab enunciatione slavonica literali recedit. Nosti ѧ cyrillicum, quam in aequali potestate a nobis enuncietur, maxime in declinationibus post illas consonantes, quarum characteres proprios non habemus; et quanta difficultas lateat tum in hac ratione iterum slavonice reddenda, ubi causa soni proprii nos dura necessitate inducimur *non jeratus*

vocales seu illam diphthongum duram y = ы scribere. Sed huic forte necessitati facilius subvenire valemus, quam perscribendae diphthongo *au*, ut haec manifesta reddatur, quando nascitur ex оү et dum aequivalet slav. ю; sed ne confundatur cum illa potestate, quam apud nos in verbis potissimum habet, ut слю = *ſli*. Incidit mihi illum sonum *au* alias aequalem ȣ reformato seu in usum nostrum parum inflexo ductu literae ѫ (velim diligenter attendas causae, cur etiam in antiquioribus MS. boh. Bibl. Vindob., etsi rarius omnino *au* inveniatur, scripta diphth. et quam ob rem Berinda notaverit мѫдрость literali, мȣ — vero vulgari usu scribi) in Ѫ; quia licet putem ѫ tantum hac ratione differre ab ю, quod in monogramma magis contractum sit, velut ѧ = ꙗ et ѣ = ѥ; sicut et Meletius alphabetum recensuit: ѣ є или ѥ, ю или ѫ, ꙗ или ѧ — tamen aliquid discriminis interesse, etiam temetipso observante, heic latere puto. Profer itaque judicium tuum; nihil enim novi, atque non satis discussi etiam illustrandis rebus nostris idonei moliri volo.

Jam superest, ut tibi gratias agam pro novis notitiis, quas mecum communicasti; et, ut similem tibi notitiarum vicem reddam, accipe interim codd. MS^{rum} antiquiorum in visitatione regia monasteriorum slavo-graeci ritus in Ungaria non unitorum anno 1772 ex die 6 Julii et sequent. investigatorum brevem descriptionem ex copia hujus visitationis peractae die 15. Julii subscriptae 1772 excerptam. Quaestio 2^{a} in visitatione fuit: *In quibus illic praeexistentia manuscripta consistant?*

In monasterio *Šišatovacz*, — quod dicitur a. 1520 super antiqua fundamenta restauratum: *Liber Evangeliorum hic in v. monasterio Šišatovacz sub igumeno Theophilo 1560 anno scriptus.*

»2^{dus} Liber Actorum et Epistolarum apostolorum in pargameno scriptus in patriarchatu Pekiensi regnante Stephano tertio Uross cognominato rege Serborum ex mandato Nicodaemi archiepiscopi per hieromonachum Damianum conscriptus 1314.«

Hujus codicis quaedam specimina describi et ea, quae ad criticas observationes codd. MS. pertinent, mihi expetam ab excell. d. metropolita. Tu, velim, pericopas designes, quarum contextum cum primis describendum optares.

»7. Acta et Epistolae apostolorum in monte *Athos* conscriptae a. 1670.

Etsi junior codex sit, propter loci praestantiam, ubi antiquissimi codices servantur, adnotavi.

In monasterio Jázak:

»1. Duo libri Evangeliorum, ex quibus 1us Szegedini per Georgium in districtu Bacsiensi archiepiscopum et metropolitam Szegediensem a. 1581 conscriptus, 2^{dus} conscriptus in possesione Borcsa medio Semliniensis presbyteri Petri nomine 1567 anno.«

In monasterio Oppovo:

»5.us Libri Evangeliorum, primus ex ipsis sine dato, argento tamen obductus a. 1630, in Oppovo. Secundus aeque Evangeliorum sine dato a. 1657 argento obductus in Oppovo typo veteri illyrico editus. Tertius aeque sine dato.«

»10^{tus} liber, jus canonicum in se comprehendens, scriptus in Jast Moldaviae metropoli, per Damianum Grammaticum a. D^{ni} 1495.«

Sed jam interpellare te debeo, ut hanc adnexam chartam velis cl. d. Pelzelio extradere, cujus desiderio necdum satisfacere potui, ut ipse ex mea responsione intelliges.

Omnes amici Vindobonenses te humanissime salutant. Mei vol. 1^{i} lit. G. machinis exscribitur lenteque opus promovetur, ut eo citius Raicžianum vol. 1 prodeat prius promissum; quo excuso typographicae machinae occupabuntur meo vol. 1°, ut mense Sept. absolvatur.

Vale, saluta amicos et me, tuum veteranum amicum, dilige.

CI.

1794 — 12. června. Dobrovský odpovídá na předcházející list, zmiňuje se o díle Durichově, o hlaholštině a cyrillštině, o vydáních staroslovanských, o užívání cyrillských písmen v češtině, o českém a staroslovanském pravopise, vykládá některá slova a podává seznam rukopisů staroslovanských, z kterých si výpisky učinil.

Miessicii prope Pragam 12. Jun. 1794.

Fortunato Durich amico suo integerrimo s. pl. d.

Noli esse sollicitus de refundendo pretio bibliorum. Haec enim tibi a me donata sunt. Mone, quid solveris aut mihi solvendum sit pro vol. primo operis Raicziani? Satis erit, si inter praenumerantes nomen meum ponatur ita, ut aliud non addatur, quam *presbyter Pragae.* Libellos, quos proxime per P. Chrysostomum obtinebis, servare poteris praeter *promptuarium servicum*, quod, postquam contenta videris et examinaveris, iterum remittes.

Proxime lustrabo libros, quos nuper Petropoli obtinui ac ibidem ante annos duos reliqueram. Si quid tibi ignotum judicavero, significabo tibi, uti soleo.

Gaudeo enim summopere progredi jam opus tuum; metu nunc solutus, ne imperfectum aut prorsus non inchoatum relinquatur. Tibique gratulor de partu ingenii tui ex umbris scrinii in lucem tandem aliquando protracti. Jam illud Horatii scrupulosius observasti: *nonum* etc. Sed jam studebo, ut responso ad quaesita tua tibi satisfaciam.

Recte observasti discrimen illud literarum glagoliticarum a Caramano punctis diacriticis notatarum. Sed ego glagoliticae literaturae monumenta quaeque edi posse arbitror sine his punctis. Mallemque, ut ostenderes, quam inutilis labor fuerit Caramani, qui reducere seu conformem reddere conabatur literaturam glagoliticam russo-cyrillicae, a qua jam a primo instituto semper discrepabat. Nam si alphabetum glagoliticum accuratius conferas cum cyrillico, videbis *auctorem* ipsum, quisquis fuerit, studio voluisse pronunciationem dalmaticam praeferre alteri illique ceu fundamento superstruere alphabeti conformationem. Cum enim et discrimen inter ъ et ь neglexerit, patet eo tempore vixisse auctorem alph., quo jam discrimen istud in Dalmatia saltem exolevit. Immo vero et codices cyrillici ad Danubium scripti jam commutant frequentius vocales et ь fere semper (saltem ad finem vocabulorum), in quibus Russi jam ъ, jam ь adhibent et constanter usurpant. Nec credo in restituendis vocabulis antiquis feliciorem fuisse Caramanum. Nam

si perpendas codd. in Russia sec. XIV ac praecipue XV jam recentiora continere vocabula eliminatis antiquis proprie slavicis substituta, qualia putas arripuisse Caramanum?

Utinam uti posses excerptis meis in Russia collectis, vix legibiliter scriptis, videres sane, si quidem tibi in promptu sunt vocabula a Caramano substituta, quam vera sint, quae opinor. Nam certi necdum affirmare quidquam audeo, cum indicem vocabulorum a Caram. substitutorum non habeam. Codicum certe antiquissimam recensionem ratione linguae (nam de textu nunc sermo non est) continentium tanta est raritas, immo et tam exigua aestimatio, ut eos nemo fere, nisi qui felici auspicio et ferreo labore eo penetret, legere possit aut velit. Editores primi nec inspexerunt quidem codicem antiquiorem, nam presse (correctis paucis hinc inde locis corruptioribus) recensionem omnium postremam in manuscriptis sequuntur, jam semirussicam, tam ratione vocum, quam formarum grammaticarum, cujus rei exempla varia connotavi in adversariis meis. Eodem igitur jure, quo Russi aut quarumcunque provinciarum monachi vocabula magis nota substituerunt antiquis et formas inflexionum recentiores obsoletis, auctor alphabeti et totius literaturae glagoliticae omnia coaptare voluit pronunciationi suae; hoc enim intendebat, ut linguam suam consignaret literis ingeniose effictis, atque hac ratione populares suos a graeco-slavis magis retraheret. Credoque fabulam de Hieronymo esse alphabeto ipso coaevam studioque sparsam.

In dialecto nostra bohem. literis cyrilllicis exprimenda optarem ita te gereres, ut magis studeres nostram pronunciationem accurate reddere, quam cyrillicae orthographiae conformare, e. gr. si localis casus *dusse* occurreret; mallem scribi: дѹше (aut si boh. aut. *dussie* exprimendum sit, дѹшѣ) quam дѹсѣ. Deset potius scriberem: десет, quam десѧт, et monerem potius in notis haec, qua ratione scribantur et pronuncientur in slavico puro, ne obscurus sis lit. cyrillicae assuetis. Atqui ipsa slavica jam differunt, quos jam sequeris eosne, qui чѧдо, an eos, qui чѧдо aut чедо scribunt. Nostrum *gísti*, moravice *gésti*, si cyrillico omnia conformare velis, ѩсти scribendum esset; sed pronunciatio nostra hic negligi non potest, si nostra exhibere velis potius, quam peregrina. Moravi et Slovaci multa possent facilius exprimere, conformiter orthogr. cyrill., quam nos. Sed haec est natura dialectuum.

Discrimen inter *i* et *y*, cum post *c*, *ſ*, *z* et *č*, *ſſ*, *ž* prorsus arbitrarium sit, scrupulose non erit observandum. Nam e. gr. *y* in plur. kozy aequivalet τῷ ы; non vero *y* in plur. nebozý (post щ etiam in nominat. ы habent nunc cyrillici libri, olim и; quam cyrillicam orthographiam tu observare intendis?) His ergo in casibus substitui posse и arbitror. Diphthongus *au* ego redderem per ѹ cum accentu notaremque pronunciationem antiquam, quam servant Slovaci, Moravi, nimirum *ú* longum, protractum — et hodiernam proprie *bohemicam*, cujus quaedam indicia jam sec. XIV occurrunt. Neque hic opus est discrimine ullo, sive nascatur ex оү seu ѹ, sive ex ою, ut ſyl*au* instrumentalis. Discrimen inter ѫ (sic etiam efformatur in mss.) et ѹ a *Berinda* observatum omni caret fundamento. Meletii observatio ѣ, є ili ѥ, ю ili ѫ, ѧ ili ꙗ hunc sensum solum admittit, quod unum aequivaleat alteri, (quamvis et hoc falsum sit de ю et ѫ), non vero quod ѣ ortum sit ex contractione τοῦ

і et є; nam ѣ revera ex armenico alphabeto sumtum est. De ѧ ex ꙗ orto non disputo. Sed ѫ ex ю ortum omnino falsum est. Nam primo ю non aequivalet τῷ ѫ, quamvis hoc dixerit Meletius. Ego ad codices provoco. Est in monasterio Resurrectionis (wozkresenskoi) prope Mosquam, *nova Jerusalem* dicto, Evangelistarium antiquissimum (sec. minimum XIII) membraneum in majori folio, donatus monasterio a Nicone patriarcha. In hoc scribitur frequentissime ѫ: сѫбота etc. etc., ergo ѫ aequivalet τῷ ꙋ, non ю. In eodem frequenter scribitur NB: ѭ h. e. і et ѫ linea transversa conjunctum (uti і et а in ꙗ): глѭ, glago*lju*; ѭже, iuže, *quam* ѭ, ju, eam. Exempla haec notata habeo cum nota: ѭ frequenter, sed et ю non raro. Habes igitur rationem, unde appellatio τοῦ ѫ. Habet et alia prorsus singularia hic codex. Ergo ю ex і et о ortum existimo, primum fortasse ad eas voces exprimendas adhibitum, in quibus sonus *jo* audiebatur magis quam *ju*, e. gr. юноша, confer nostrum *go*nák; atque non nisi serius τῷ ѭ substitutum, quia figura ejus facilius pingebatur et quod voces jam paucae essent, in quibus sonus *jo* non jam in sonum *ju* deflexisset. Figurae ѫ potestas prorsus ignota fuisse videtur librariis; continuo enim confunditur cum ѧ, h. e. ѫ reperies eo loco, quo scribendum fuit ѧ et vice versa, quod ego primum observavi in cod. chartaceo, sec. XVI initio scripto, quem ego inter codd. in Actis et Epistolis pro cl. Griesbachii nova editione critica N. Test. N. 7. posui. Deinde in alio chartaceo quatuor Evangeliorum, quem hiero-monachus Russus Athanasius quidam an. 1430 in monte Athos emit, qui nunc in monasterio Resurrectionis servatur. Tandem in cod. inter a me collatos N. 5, h. e Ribayano, ac in Vindobonensi ab Altero collato et male lecto saepius ob confusionem τοῦ ѧ et ѫ, qui apud me est N. 8. Meletius quidem sic concludebat, є pro ѥ compendii causa scribitur, ergo ѫ, cujus veram potestatem certe ignorabat, pro ю; neque ѫ appellari deberet *jus*, nam hoc nomen primitus fuit figurae ѭ, uti є male *jest* appellasset Cyrillus, si non in locum graeci ε substituisset sonum slavicum *je* et figuram ѥ; atque haec ratio est, quod vocales graecas puras ad finem rejecerit, inter quas et є occurrit, non utique sine ratione, cum slavicam appellationem dare non posset. Quae enim est vox slavica, quae ab *e* puro incipiat? Cur lineola transversa opus fuerit, in і et а, і et є connectendis, facile quisque assequitur, qui potestatem graeci *ια* in *ἰατρός*, *ιε* in *ἱερός* etc. novit. Si homo latinus alphabetum instituisset pro Slavis, *ia* et *ie* et *iu* divisim scribere potuisset, cum Latini *ia* in *ja*nua, *ie* in *je*ci, *iu* in *ju*dex, conjunctim enuncient. Mone, si qua displiceant, aut magis firmata velis.

Inter libros a te consignatos, quorum quidem aliqui nominari vix merentur, maxime placuit liber Actorum et Epistolarum an. 1314. Hunc si mihi conferre liceret, non taederet sane laboris alias ingratissimi. Recensebo tibi epistolam 1mam ad Timotheum aut Judae, ut comparatio pro usibus tuis facilius institui possit. Immo optandum esset, ut e codice hoc atque aliis hujus aetatis restitueretur textus slavicus saltem pro Slavis ad ripas Danubii, ne illi opus haberent coemere libros semi-russicos, quorum omnia vocabula insertis innumeris *o* distorta sunt. Sed quis hominum divumque res slavicas curat aut colit? Ego hanc quoque voluptatem capio ex collatis veteribus

membranis, quod subinde offendam vocem, qua antiquitates nostrae illustrari possunt, e. gr.

1. *Kramola*, quam quidem vocem etiam Bohemi olim usurpabant. D. prof. *Mederer* nuper edidit antiquissimas *Bajuariorum* leges e cod. antiquo bibliothecae Ingolstadiensis. Explicavit ille felicissime voces obsoletas germanicae originis, sed in hac voce explicanda hæsit ei aqua. Interpellavit ille me, dum Ingolstadii mense Januario diebus tribus commoratus essem, an non esset slavicae originis. Respondi esse, atque explicavi. Tu certe alia monumenta legeris, ut anonymum de Convers. Carantanorum apud Freherum aut Salagium, in quibus vox eadem occurrit, paulo corrupta; sed de legibus istis te monere volui, ut inspiceres, quas Vindob. exstare aut prostare non dubito.

2. *syrište*, quae vox in cod. slav. apud me Num. 3, synodali Mosquensi, typographico olim N. 10 (e quo habes specimina) et quidem 1. Tim. 5. 23. occurrit, ubi alii legunt *stomach*. Nostrum igitur *žaludek* a forma ventriculi sumpta ceu glandula, notum non fuit interpreti. Sed quid *syřiště* sit apud nos, nosti; *ventriculos* vitulorum sumi ob acrimoniam ad lac coagulandum norunt ancillulae nostrae aeque atque Walachi in Moravia, qui *brynzam* conficiunt. Vides igitur, quamvis ego ineptum interpretem non laudem, etiam hoc modo rem Slavorum oeconomicam illustrari posse. Promam aliud adhuc exemplum.

3. *Swãtba* est in cod. apud me Num. 5 *ἁγιασμός* I. Cor. 1, 30 in editis *oswãщenie*, iterum in cod. I. Thess. 4 v. 3 et 7, ubi editi habent *swãtost*. An aptius explicari possit *sacer* atque sollemnis nuptiarum ritus swatba (nunc swadba) dictus? *swat* certe seu staro*swat* persona sacra huic ritui olim destinata erat, quam nunc sacerdotes christiani sustinent. Si quis a polonico *swatać*, conjungere, deducere malit vocem *swatba*, uti a honiti honba etc., concedam ego illud, sed verbum *swatać* a functione τοῦ *swat* repetam, et iterum notio rei *sacrae* suberit. Nunc quasi aliud agendo, invenisse mihi videor, solutionem quaestionis mihi a te olim propositae.

4. *Wět*, finge radicem esse, e qua orta sint vocabula composita: *zawět*, *priwět* (Ostrog. **привѣтъ**) propositum II. Tim. 3, 10; *priwěten* Tit. 3. 2. in cod. slav. Vindob. ἐπιεικεῖς, quod ibidem addito *krotkom* (Ostrog. edit. **по ти́хомъ и҆ кроткомъ**), in ed. *tichim* explicatur; ot*wět*, ot*wě*щati, ot*wěten* Rom. 2, 1. Adde nostrum přiwětiwý, atque *wece* inquit. Nota etiam graecum ἀσυνθέτους Rom. 1. 31. in cod. slav. apud me 5. reddi: ne*wěto*chranitelã, in editis *neprimiritelny* (Ostrog. **непримирителе-**); Vulg. incompositos habet. Iterum vocem ἄσπονδοι, Vulg. sine *pace*, slavice reddi in cod. 5. ne*wěto*chranitele, in ed. neprimiritelny (absque foedere **несвѣтохранители**); adde tandem notissimum *swět* compositum ex *s* et *wět*; nam simplex **свѣт**, lux et comp. **съвѣт** origine differunt, facile assequeris significatum primitivi *wět*, nostro *wece* convenire atque inde vocem *vetenici* apud Ditmarum aptissime explicabis. Occurrit adhuc ubique obvium *obětowanie*, slav. promissio, comp. ex *ob* et *wětowanie*, excidit nimirum *w* hic, uti in obratiti, obleci etc. Fuere igitur *vetenici*, qui de pace, foedere tractabant, sponsores ac fidejussores; řečníci bohemice dicerentur. Si mavis *consiliatores*, quasi *swětnici*, non renuo; proprie tamen *locutores*, qui datis verbis atque promissis negotia pacis atque belli tractabant, proponebant.

Indiculum eorum codd., quos in Actis et Epist. contuli aut inspexi, communicare volui tibi, ut monere possis, si qua desiderares amplius.

1. Lectionarium Olomucense Hankianum; idem in Evangeliis n. 1. antiquiorem sane codicem non vidi in Russiae bibliothecis.

2. Codex membraneus in fol. an. 1220, biblioth. synodalis Mosquae num. 6. Continet epistolas Pauli ad Rom., Cor., Gal. et Ephes. usque ad cap. IV. v. 4. cum amplissimo commentario.

3. Apostolus sive lectionarium ex Actis et Epist., codex membran. in 4. olim biblioth. typograph. num. 10, nunc synodalis Mosquae.

4. Apostolus seu lectionarium ex Actis et Epist., codex membran. in 4. biblioth. olim typograph. num. 24, nunc in synodali, scriptus an. 1307. Omnes isti continent recensionem antiquissimam.

5. Apostolus integer, continens Acta, Epist. Paulinas et catholicas, sec. XV. codex chartaceus in fol. d. Georgii *Ribay*, pastoris Czinkotae in Ungaria. Continet recensionem mediam inter antiquam et postremam.

6. Novum Testamentum, excepta Apocalypsi, in charta in 8. num. 620 biblioth. synodalis.

7. Apostolus integer in charta in 4. biblioth. academicae Petropoli, quem codicem b. Bacmeisterus in descriptione biblioth. academ. (Petersburger Journal, 3. Band; S. 110). Hic, uti n. 6, postremam recensionem continet, eam nimirum, quam excusam dederunt primi editores, paucis omnino mutatis.

8. Codex Bibliothecae Caes. Vindobonensis num. CI. continens Acta, Epistolas catholicas et Paulinas, cujus lectiones cl. *Alterus* vol. II. Nov. Test. p. 968—1039 collectas edidit, alibique sparsim, uti Act. 7, 14, 20. p. 692, cap. 20, 23. p. 699, cap. 27, 40. p. 703 ex eodem codice notavit, quarum ne quidem in syllabo generali lect. var. fit mentio. Quoad textum eum *mire* consentire cum cod. theol. graeco Bibliothecae Caes. num. 300 scripsit quidem cl. Alterus p. 451. At certe mendum cubat in numero, cum ne quidem versus 28. cap. 20 Act. exempli causa citatus, in cod. 300 sic legatur, ut consentire possit cum cod. slavonico, ut dissensum in aliis locis taceam Scribendum autem fuit num. 37 pro 300. Istius enim codicis lectiones a p. 689 relatae non solum versu citato, sed aliis quoque in locis omnino conspirant cum cod. slavonico, e quo lectiones saepius ibidem ab Altero, ad utriusque consensum ostendendum, adducuntur. Recensionem textus slavici codex iste continet *mediam*, eandem prorsus, novas emendationes et vocum aliquarum substitutiones, si excipias, quae habetur in cod. 5, quem etiam aetate sua attingere videtur. Nam et in vitiis consentiunt, ex antiquiori exemplari derivatis. I. Cor. 2, 2. uterque legit *εἰδέτι* pro *εἰδέναι*, quod vitium in margine hujus codicis emendatum est. Ibid. v. 5. *ἡ* uterque omittit. I. Cor. 1, 11 ambo omittunt vocem Χλόης, cap. 13, 11 omittunt *ὡς νήπιος ἐφρόνουν*, II. Cor. 9, 6 *τοῦτο δέ*, Gal. 4, 17 male legerunt *ἐκκλησίας* pro *ἐκκλεῖσαι*, Act. 20, 14 *ἦλθεν* legerunt pro *συνέβαλεν ἡμῖν*. Conveniunt quoque in peculiaribus lectionibus, uti Act. 25, 16 *ἴδοι* pro *ἔχοι* legendo etc. Habet tamen codex hic quasdam lectiones singulares, vitia, omissiones et additamenta sibi propria. Lectiones singulares vide Act. 12, 25, ubi *εἰς Ἀντιοχίαν* legit, non alii. Act. 16, 17, ubi *τῷ Σίλᾳ* pro *ἡμῖν* habet. Act. 18, 25, ubi *Ἰησοῦ* pro *τοῦ κυρίου* legit.

Vitia sunt: Rom. 2, 11. *liccmerie* pro na lica zrenïe, uti 5 habet. Nec emendator in margine solito more vocem προσωποληψία reddidit per licoprietie. Nam προσωποληψία alias lica vel licu obinowenie, uti Coloss. 3, 25 ac alibi reddi solet. Rom. 8, 11. 15, 16 (budete pro budeť), II. Cor. 8, 10. c. 9, 4. *wam* pro *wy*. Huc refer quasdam omissiones, uti II. Cor. 7, 4, Philip. 1, v. 11, 14, 26, Act. 7, 27, II. Tim. 4, 18 etc. etc. Nova additamenta, quibus a 5. differt, praecipua haec fere sunt: Act. 7, 3 videtur addere: καὶ ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου, cum haec in ed. Vindob. legantur, nec *Alterus* moneat, ista abesse in Cod. slav. I. Cor. 8, 6. glossema illud: *i jedin duch* etc. (NB pro *imže* legendum w němže, ἐν ᾧ) jam textui insertum habet, quod non nisi in codd. junioribus et editis legitur. Carent eo alii antiquiores, quos quidem inspexi omnes, uti 2. 5. 10.

II. Cor. 5, 5 addit: καὶ χρίσας ἡμᾶς, non 5, neque alii. Alia additamenta minutiora, uti Act. 9, 27, ubi κυρίου, 10, 48, ubi Ἰησοῦ, 11, 16, ubi ὅτι, 12, 20, ubi πάντας, adduntur, praetereo. Emendator codicis, qui in marginibus lectiones seu interpretamenta notavit, videtur habuisse ad manum cod. graecum, vide Act. 15, 5. et Jacob. 3, 6. Si sumas codicem, e quo hicce descriptus fuit, jam notis marginalibus instructum fuisse, facile consequeris, quomodo factum fuerit, ut jam additamenta haberet in textu, quae in aliis slav. codd. desiderantur. Nondum enim recensionem mediam in hoc cod. ex integro reformatam, sed non nisi in paucis mutatam deprehendo, quod maxime ex vocabulis in margine rejectis apparet. Nam quod hic in margine legit, 5^{tus} *plerumque* adhuc in textu servat.

E. gr. *Colos.* 1, 25 *ustroim*, hic habet in margine, 5^{tus} in textu. 2, 8. kradowodā (servat enim ѧ, ubi Vind. є scribit), 5^{tus} in textu, hic in marg. *wode*, cum in textu *wod* (in *kradowod*) legatur. Cap. eod. v. 14. učenmi 5. in textu, pro qua voce in textu Vindob. substituit *weljenmi*; v. 17. hreduщiim (grāduщim) 5. in textu. V. 18. Vind. in marg. *wěra* et *blagočestie*, quibus θρησκεία, hoc loco *služba* in slav., explicatur, uti alibi in textu. Cap. 4, 2 požidaite 5. in textu, v. 17. *skončajessi* 5. in textu; *swrssissi* recentius est, uti *dowerssissi* editorum. I. Tim. 1, 19. Vind. in marg. pogruzi (subaudi pogruziš sa), 5^{tus} adhuc in textu. Cap. 2, 2 Vind. in marg. čistotě, 5. in textu; v. 6. *swěděniju* dativo casu uterque in textu; sed emendator in marg. casum immutavit svěděnie, τὸ μαρτύριον, sic pro *w wrjemena swoja*, emendavit wrěmenmi swoimi. V. 8 choщu 5 in textu, cap. 3. *newosaždenu* uterque in textu, in marg. *krщenu* interpretamentum, v. 11. σεμνάς, *čestiwam* noviter substitutum τῷ čistěma ? ? 5^{tus} in textu *čistam*. 4, 6. skazajā 5^{tus} in textu, v. 7. γύμναζε, *poučaiže*. Vind. in marg. *obučai* 5^{tus} in textu. *obnaži* enim et *obnaženie* est servilis graeci etymi imitatio. 5, 4. *prosnich* 5. in textu v. 13. consentiunt Vind. et 5. in textu. Est ergo vox in margine *bezčini* nova interpretatio seu graeci seu slavici vocabuli; v. 17. vox in marg. nova interpretatio; v. 18. pro *zausišsi* legit 5. *obrtišsi*, cum editis; v. 19. pro *swaщennika* legit 5^{tus} cum 3. *popa*, graecum in marg. *preswitera* assumserunt editi. 6. 6. convenit 5. cum textu Vindob. Notandum autem, emendationes seu novas expositiones Vindob. cod. non fuisse probatas iis (fortasse nec innotuere), qui postremam recensionem, qualis est in 6, 7, adornarunt. Nam non nisi paucae cum novo re-

censionis postremae textu consentiunt. A casu enim hoc dependebat, quod emendationes aliorum publicam nanciscerentur auctoritatem.

Sed jam ultra fines progressus mihi videor. Monebo solum, cod. Vind. non ferre aetatem illam, quam ei Alterus tribuit.

9. Apostolus seu lectionarium ex Act. et Epist., codex membr. in fol. monasterii Resurrectionis prope Mosquam.

10. Codex Nov. Test. Alexii metropolitae; idem, qui in Evang. num. 10.

11. Nov. Test. bibliothecae S. Marci Venetiis. Continet recensionem mediam, paullo tamen recentiorem, quam 5.

Alia in aliud tempus differo. Urget enim nuncius Pragam abiturus. Vale, saluta perhumaniter omnes, qui me salutatum volebant. Deus tibi et sanitatem et vires conservet, atque augeat. Haberem multa adhuc, quae tecum communicare vellem, sed tu indica, quae nunc prae aliis malis. Pro *au* bohemico posse scribi *oy* divisim et pro *u* brevi ꙋ contractum, nunc incidit, ne novis figuris opus sit. Sed ad tollendam in his omnem ambiguitatem, observationibus opus erit. Vale et me amare perge.

Parce festinanti, nec epistolam relegenti.

CII.

1794 — 10. července. Dobrovský podává různá čtení z rukopisů staroslovanských, některé doklady ke slovu *větenik*, názvy několika jihoslovanských spisů a zakončuje svůj list výkladem některých slovanských slov.

Fortunato Durichio Jos. Dobrowsky s. pl.

Cum laudabiliter nunc editione vol. I. occuperis, non possum exigere, ut singulis literis meis vicem reddas, sed, si tibi gratum intellexero, scribam ego saepius ad te, non expectato responso tuo. Igitur nunc Jacobi epistolam recensebo, ad dijudicandam codicum differentiam et respective eorum antiquitatem et praecipue hunc in finem, ut cum codice in monast. Šišatovacz comparatio facilius institui possit. Scis jam n. 3 designari cod. Mosq. olim typographicum n. 10. et num. 5 denotari Ribayanum.

Cap. I. v. 2. *ὅταν πειρασμοῖς*, jeda w *strp-tnych* 3. iskuшenia 5., quae sequuntur: wpadaete — usque *jako* inclusive male omittuntur in 3 codices antiquissimos semper vitiosiores deprehendi.

3. sdělowajete terpěniem 3. NB. frequens error, ub post т tertiae personae pro ъ scribitur є, ex quo fluxit alter, ut terp*ěnie* mutaretur in instrumentalem, cum iskuшenie, quod praecedit, pro accusativo caperetur.

4. *ὁλόκληροι*, otinud' (otnud) isplneni 3. wsecěli 5. editi.

ἐν μηδενί, ni iedinom', 3. ni w iedinom, 5. ni w čemže / ničimže } editi.

λειπόμενοι, nedostatčni 3. liшeni 5. ed.

v. 5. *λείπεται*, nedostatč-n jest 3. liшen 5. ed.

ἁπλῶς, prosto, 3. et 5. w kupě *ed.*

μὴ ὀνειδίζοντος, nepojemljuщu 3. neponaшajuщa 5.

6. μηδὲν διακρινόμενος, nerazmyшlā*jut* errore 3. sumnāsā 5. ed.
7. λήψεται, wzmet 3. priẻmlet 5. priimet *ed.*
eod. ἐκεῖνος, t'' (тѣ) 3. on 5. ed.
8. δίψυχος, dwomysln̈ 3. dwojedufsen 5. ed.
ἐν πάσαις τ. ὁδοῖς, w wsě puti 3. in sing. — plur. 5. ed.
10. ὡς, aky 3. jako 5. jakože ed.
11. οὕτω, takože 3. tako 5. sice ed.
13. da neglt niktože (λεγέτω) 3. da glet 5. ed. omisso *ne* ob praecedens niktože, sed *ne* ante verbum exigit slavonica syntaxis.
— ἀπείραστός ἐστι κακῶν, něst isku*snik* zlobam 3. — iskusitel zlym 5. ed.
14. ἐπιθυμίας, pomysla 3. pochoti 5. ed.
15. ἀποτελεσθεῖσα, skončan 3. skončawsā 5. sodčian ed.
17. τῶν φώτων, swětilom 3. swětom 5. ed.
— τροπῆς ἀποσκίασμα, ukloňnik stěnā 3. prěloženiju osěnenie 5. stěň ed.
18. κτισμάτων, twarem 3. ot s-zdanii 5. sozdaniem ed.
19. ταχύς, brz 3. skor 5. ed.
— βραδύς, a medlen 3. *i* muden 5. i kosen ed.
βραδύς 2[dum], pozden 3. muden 5. kosen ed.
21. ἔμφυτον, istinnoje 3. *istoe* 5. wsaždennoe ed.
23. ἀκροατής, posluшatel 3. posluшnik 5. slyшatel ed.
— τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ, lice swoě w zrçalě *byti* (esse)? 3. lice bytiā swoěgo ed.
24. ἀπελήλυθε, otinude 3. an errore? otide ed. (5[tus] zaby erronee).
26. μὴ χαλιναγωγῶν, newztāzaja 3. neobuzdawaā 5. i neobuzdawaět *ed.*
— μάταιος ἡ θρησκεία, suja wěra 3. swětna w. 5. ed. (al. ed. dobrodětel) (incidit mihi obsoleta vox bohemica *gefſitný, gefſutný*).
Ex 2[do], 3., 4. cap. pauca notavi.

Cap. II. 8. ὡς, aky 3. v cap. 1, 10.
14. τί τὸ ὄφελος, kii uspěch 3. kaja polza 5. ed.
19. φρίσσουσιν, trāsutsā 3. užasajutsā 5. trepeщut ed.
20. ὦ ἄνθρωπε κενέ, o *nœw* člowěče (καινέ) 3. o člow. sujetne 5. ed.
25. ἀγγέλους, wěstniky 3. schodniky 5. ed. (κατασκόπους).

III. 1. μεῖζον κρῖμα, bo*lni* grěch 3 bolii gr. 5. wāщec Mosq. ed. 1663 bolšee osuždenie ed. mirum τὸ κρῖμα tam frequenter reddi per *grěch*, an ratio hujus in significatu primitivo τοῦ slavici grěch?
5. μεγάλα αὐχεῖ, čajetsā 3. ?? chwalātsā 5. ed.
eod. ἡλίκην ὕλην, kilka drwa 3. koliku weщ 5. i kol' wel*ici* weщi ed. (al. wel*iki*).
6. μέλεσιν ἡμῶν, *wa*шiich 3. solus. al. *na*шich.
— τροχὸν τ. γενέσεως) koleko — 3. kolo. 5. ed. okolo twary nasseā ed. quidam.
7. ἐναλίων, moreskiich, 3. ryb 5. ed.

Cap. IV. 6. λέγει, gl͞t *solomon* 3. solus.

12. ὁ νομοθέτης, ustawnik zakonu 3. zakonodawec 5. (11 i. e. Venetus). zakonopoložnik ed.

— ὃς κρίνεις, iže sudiшi 3. sol. alii ὁ κρινῶν.

14. ἡ ζωὴ ὑμῶν — naшa 3. et 8. al. *wafsa*.

Ex cap. 5to notabo solum ex Olomucensi Cod. num. 1. quaedam a v. 10.—20, hanc enim pericopam ille continet.

V. 10. ὑπόδειγμα, pritčju 1. obraz alii nimirum 5. 7. ed.

— κακοπαθείας, strastii 1. zlostrastiju 5. 7. zlostradania ed. conjungit autem cum strastii immediate terpěňju et omittit postea καὶ τῆς μακροθυμίας 1.

11. πολύσπλαγχνός, prěmilostiw i щedr. 1.

mnogomilostiw jest a щedr 7. sic etiam 5., sed pro a habet *i* ante щedr.; ed. addunt g͡d post jest.

12. πρὸ πάντων, *wsego* in singul. 1. solus. Slavonismus.

— τινά, koteroju 1. kojeju 7. ed.

— ἤτω δέ ὑμῶν, da budet *slowo* waшe 1. budi*že wam* 5. ed.

— ὑπὸ κρίσιν, w osuženje 1. w licemĕrie *alii*.

13. κακοπαθεῖ, aщe stražet 1. zlostraždet*li* alii.

— εὐθυμεῖ, dobroduш'stwujet — blagoduш . . . *li* alii.

14. πρεσβυτέρους, popy 1. 5. 7. Mosc. 1663. preswytery ed.

— αὐτόν, *i*, uti alias frequentissime, 1. jego alii.

15. τῆς πίστεως, wěrnago *(τοῦ πιστοῦ)* 1. cf. v. 16 wěry alii.

— ἐγερεῖ, cjeliti i 1. wzdwignet jego 5. ed.

— ἀφεθήσεται, otdadjatsā 1. otpustātsā ed. otpustitsā (grěch) 7. 5.

16. ispowědaite že 1. pro že alii *ubo*.

(ἐξομολογεῖσθε)

ἀλλήλοις, sebe 1. drug drugu 5. 7. ed.

τὰ παραπτώματα, grěchy 1. grěшenia 5. ed. 7.

εὔχεσθε, molitwu djeiete (legendum děite) 1. molite sā *alii*.

ἰαθῆτε, da iscělějet (omisso ε post τ) 1. vitium hoc frequens in antiquis codd., jako da iscělěete *alii*.

ἐνεργουμένη, pospěwajuщisā 1. pospěш^e^stwujema *alii*.

17. ὁμοιοπαθής, podoben *errore* 1. podobostrasten *alii*.

20. πλάνης, *sakono*zabluzěňia 1. zabluž — *alii*.

Ex his jam seligere poteris, quae tibi ad palatum erunt. Vellem autem, etiam loca sequentia inspici curares.

a) Act. 19, 7. num legat ἦλθεν, priide, pro ἤθελεν — quod vitium nasci debuit ex vitioso cod. graeco. Slavicae enim voces hic confundi non potuerunt.

b) Act. 20, 14. num συνέβαλεν ἡμῖν reddat *bĕchom*, quasi duntaxat ἦμεν legisset.

c) Act. 20, 25. utrum τὸ εὐαγγέλιον, an τὴν βασιλείαν legat. Miror enim tot codd. a me inspectos hoc loco glossema recepisse in textum.

d) Gal. 4, 17. num legat ἐκκλησίαι nominat. plur., an ἐκκλεῖσαι, otlučiti, infinitivum verbi. Lectionem ἐκκλησίαι vix ullus codex graecus habet et tamen slavici fere omnes.

In genere observavi non solum textum in Actis et Epist. pejorem habuisse prae manibus Slavum interpretem, sed etiam egregie hallucinatum fuisse, ita, ut is omnino distingui debeat ab interprete Evangeliorum. Sed de his forte alias.

Addam hic aliqua ad vocis *wetenik* aut *wětnik* significatum determinandum et confirmandum. *Della Bellae* Lexicon, editionis recentissimae Ragusinae, dum evolvi, in has voces incidi:

Vjetovati, suffragari, vide sub *ballotare*.
vjetovagne, suffragatio, v. ballotamento.
vjechati, colloqui, v. abbocarsi, 2do consultationem inire et deliberare v. consiglio..
vjechje, consilium, v. consiglio,
vjechnik, consiliarius, v. consigliére, idem ac *swětnik*.
vjechniza, consilii aula, v. consiglio.
Composita: *uvjet*, idem ac *ugovor*, *rok*, v. accordarsi.
uvjet, foedus, v. confederarsi.
uvjetni, uvjetovni, uvjetovnik, v. confederato.
uvjetovati, v. ibid.
savjet, votum.
odvjetnik, v. fautore, advocatus v. avvocato.
odvjetniza, advocatrix, de b. Virg.
odvjetovan, v. difeso.
odvjetovagne, v. difesa.
odvjetovati, v. difendere.

Omnia redeunt facillime ad primum τοῦ wěщati significatum, quem nos in obsoleto *wece* servamus. Facile jam statues de munere satellitum eorum, quos nominavit Ditmarus. Cum *wěstnik* et nostro *náwěſſtí* nolim confundere wětnik seu wěchnik, nam primum a *wěst*, inde swěst, conscientia, powěst etc. et haec omnia a verbo wěděti derivari, tu optime nosti. Non licet enim etyma vocum, etsi affinia, confundere, ubi derivationis ratio dispar.

Addam in editione Ragusina anni 1785 tom. II. latinum vocum indicem omissum, orthographiam P. Georgii Benedictini antiquae substitutam, multa correcta et addita fuisse. In fine dedicationis ad excelsum senatum reipublicae Ragusinae *Carlo Antonio Occhi* subscriptus est. Est is operis editor et impressor. Auctorum index auctus est pariter ac correctus, sed haec tu fortasse jam nosti.

Venetiis nunc rarius illyrici libri (lit. lat.) imprimuntur, certe etiam hanc ob causam, quod Ragusae typographia exstet. In catalogo libr. lat. et italorum seminarii Patavini et Thomae Bettinelli (Venetiis 1791) nihil illyricorum reperitur, nisi duntaxat *Giorgi* P. Ignazio, i centocinquanta Salmi di Davide transportati in lingua illyrica. 4. Ven. 1749. L. 6. (Valet autem lira 12 X nostros).

Item: Vita di S. Maria Maddalena in lingua illirica scritta dal P. Ignazio Giorgi Benedittino. 4. ivi. L. 4.

Ragusae opera quaedam viri hujus nunc i. e. 1785 imprimuntur, uti video ex catalogo auctorum Lexico della Bellae praemissorum.

In catalogo *Francisci* ex Nicolao *Pezzana* Venet. 1794. p. 110:

»libri in lingua illirica« seorsim notantur sequentes:
»*Filomena*, istoria 8. 10 (10 solidis).
»*Marchi*, discorsi sopra tutte le feste dell' anno. 4. 4 (4 liris).
»*da Plamovo* dilettazione spirituale per ben vivere etc. 8. figur. 3.
»Versi sopra le pene dell' inferno 8. 8 : 10.

In aliis recentibus catalogis nihil reperi. Confer cum his indicem, qui vocabulario tibi jam misso subnectitur.

Pandam tibi, cum charta patiatur et tibi non displiceat, sententiam meam de vocibus quibusdam ad artem scribendi pertinentibus. De significatu *pisati* jam convenimus. *Knigy*, quod in plur. frequentatur in antiquis codd., [omnes enim res, quae habent duo latera, in plur. solent usurpari apud Slavos, — dweře, hausle, wrata, brány (occa) etc. etc.] de volumine proprie dicto non potest accipi, sed de libri forma, quae nunc in usu est. Credo ego hanc vocem peregrinam ac fortasse per Hunnos et Avares ex Asia ad Slavos delatam. *King* enim apud Sinenses librum denotat. *Bukva* origine aut imitatione a Germanis sumta est, Buch, Buchstabe. Pro *γράμματα* subinde vocem knigy reperi, non bukwy.

Črnilo, černidlo, Latinorum atramentum aut Graec. *μέλαν* exprimit. Ingaust nostrum ab Italis mercatoribus Pragam allatum fuit: inchiostro. Nostrum rafige, rafika a graphio sumtum est. 2. Tim 4, 13 membranas cod. 3. reddidit kožnicju (in recto kožnica), sed addit *wemmarany*, ut sensum assequi possint lectores. Vix enim credo vocem kožnica ita determinati significatus fuisse, ut non de alia pelle accipi potuisset. Kožnyā et kožanyā, primum habet 5. 2dum editi, ad idem redit. Dalemili bělpuch e boh. et germanico compositum mihi videtur. 2 Joh. v. 12 *chartiā* est graecum, sed videntur Russi intellexisse per *chartam* membranas; nam adjectivum *charitcinŷ* de codd. membranaceis accipiunt. *κάλαμος* 3. Joh. v. 13. *trst* redditur. Non dubito, quin calamo vere tali usi fuerint scribae aliqui eo tempore, quo epist. Paulinae in slavicum versae fuerunt. Apud nos certe nullus antiquorum *trst* habet pro pero, quod non nisi de pluma avium parari potest. Nos ergo magis Germanorum Feder expressimus. *Glagoly* proprie apud Slavos certa verba sunt, slowa nos diceremus; supponitur hic, Slavos jam vocibus singulis nominasse sonos alphabeti, antequam appellari potuissent literae *glagoly*; unde glagoliticum alphabetum est alphabeticum alphabetum aut verbis expressum abecedarium. Non enim arbitror glagoliticum alphabetum dictum fuisse a 3tia litera *glagol*, quis enim diceret *bukvizam* dictam a 2da litera *buky*, sed a *glagoly* i. e. verbis seu literis. Hinc recte, spectata appellatione ipsa, non usu, dicuntur etiam cyrillicae literae glagoliticum alphabetum. *Bumaga* Russorum usurpatur quidem nunc de charta linea, sed olim certe *gossypina* utebantur Tatari, a quibus Russi nomen hoc sumserunt. *Bumaga* enim *gossypium* est. Alexandrinam chartam, quam appellant Russi, simillimam deprehendi nostræ *regali*, sed unde appellationem hauserint, (nisi forte a graecis mercatoribus ejusmodi merces Alexandriam advehentibus) nescio. Vale.

Mieschitzii, 10. Jul. 1794.

De *Heyrenbachio*, rogo, velis nos instruere, ubi natus fuerit, quo anno obierit, quae munia gesserit, sed paucissimis tantum.*)

CIII.

1794 — 15. července. Durich odpovídá na dva listy předcházející, zmiňuje se o slově »větenici«, o slovech, označujících čtení a psaní, o runách, o gotské abecedě, podává krátkou zprávu o Heyrenbachovi a o nově koupených knihách.

Viennae, 15. Julii 1794.

Josepho Dobrowsky suo veterano amico Fortun. Durich s. p. d.

Quid gratius mihi esse potest tuis epistolis? His enim non tantum erudior, verum etiam delector, verae amicitiae affectibus, atque muneribus, quae mutuo officio demereri non valeo. Sed tu ipse agnoscis, immo remittis non valenti per id tempus singulis tuis epistolis eadem ratione vicem reddere. Itaque una epistola duabus tuis respondeo et primum grates habeo pro muneribus literariis slavonicis, quae rite obtinui mihique gratissima sunt, dummodo possem tibi quoque quidquam grati munusculi mittere. Promptuarium illud serbicum, postquam singula excerpsero, quae mihi in legendo notavi, cum gratiarum actione remittam, adjunctis aliis libris, ut equidem potuero.

Interim tuam benignitatem humanissime interpello, ut patientiam habeas et supportes imbecillitatem meam, dum rebus tuis diutius utor, quia sufficiens non sum singulis rebus in mea adversaria peculiariter referendis, sed vindicandi temporis causa juxta seriem argumenti his utor, ne bis cogar describere ea, quae sunt magis producta. Profecto vellem ad apicem servare omne officium in hoc beneficiorum usu, si mihi vires sufficerent; sed novi tuae amicitiae in me sincerum affectum, quo mihi non succensebis illum diuturniorem usum tui literarii MSS[ti] et typis editi apparatus. Jam quod attinet ad illas notitias illustrandae voci apud Ditmarum bis existenti *Wethenici* omnino idoneas, tibi gratias ago; opportune accidit, ut illis, quas prioribus literis ad me scripsisti, uti potuerim, magisque placuit tua observatio ex **ȝавѣтъ** ducta, quam meae priores observationes, quas rejeci et te laudato tuam adoptavi. Sed ut recte mones in epistola posteriori, ita me rebus his comparatis, intra **вѣтъ** continui; et expensa vocis *satelles*, qua Ditmarus in slavonico nomine reddendo utitur, potestate latina; maxime cum idem Ditmarus altero loco *Wětenicos ductores* appellet et historico et etymologico argumento inductus *pacis ministros* vel, ut ille rom. scr. ait, *pacis — rigidos custodes* exposui. Id cum jam typis excudatur, non possum tuis expositionibus reliquis augere; sed erit alibi opportunus locus, quo illis utar.

Itidem tibi gratias ago pro diligenter impenso studio in collectionem vocabulorum slavonicorum ad artem scribendi pertinentium gaudeoque vehementer, quod conveniamus in observationibus illis, quibus reperiendis ante biennium operam dedi. Illud autem *King*, quo Sinenses librum appellant, mihi ignotum fuit; sed quod attinet ad *literae* slavonicam appellationem, qua

*) Za tím na osmé stránce připsána jest adressa Durichova.

velut notiori utitur ille anonymus scriptor slavonicus: **сказанїе како состави с҃ кир.**, cujus haec sunt verba: **оучащимся букамъ. то есть статикꙋ.** Nescio, quo fonte ductum sit nomen **статикꙋ**, operam enim perdidi, qua mihimet ipsi satisfaciam: nam licet aliqua similitudo vocis interveniat in denominatione fundamenti *Runarum*, quod *Staf* Biörnero pag. 84. dicitur; tamen omnia momenta necdum collecta videor mihi habere, quibus iste consensus fulciatur; quamquam vel ipse Wormus cap. 3. in hanc sententiam propendeat *Runas* Slavis attribuens. Mihi certe in illa descriptione anonymi Slavi sub principium videor videre Runas Slavorum, si recte omnia vocabula spectentur et conferantur cum illis formis literarum in idolis Rhethrensibus: **но҃ чертами и нарѣзаньми чьтѧхꙋ и гадаахꙋ**, quam pericopam si conferas cum formis Runarum slavonicarum: e. g. ᛉ, ǂ, ǂ *lineis et incisuris incisionibus* nihil similius videbis, inter quas ᛉ non tam cum Runa Wormii, quam cum illa abbatis Barthelemy lit. 𐤁 *Beth* et glagol. Ⱎ; item slavo-run. ⱖ cum glagol. Ⱍ conferre malim.

Migrationes e *Slavia inferiori* in Illyricum non sunt ignotae, quamquam de hac parte historiae nihil definire adhuc velim.

Non possum satis mirari illud duplex alphabetum gothicarum gentium, Ulphilanum nempe, cum quo convenit cyrillicum in pluribus formis spectato codice rescripto et argenteo, runicum, magis vero runo-slavicum, cum quo, exceptis slavicis, convenit glagolit. Velim etiam pensi habeas nomen *lineae* slavonicum **черта**, nec non partem illam aratri adhuc superstitem apud nos čertadlo *buris* NB. et mentem reflectas ad syriacam vocem ܪܘܫܐ emph., qua *apex* literae, item *linea* significatur. Slavos veteres inter Syros vixisse subinde et Arabes nosti. Nihil tamen insolenter dictum velim; illud tamen lineae slavonicum nomen in arte scribendi, quae plura vocabula ab aratro duxit, antiquum et omnino conveniens esse videtur. Considera, quaeso, proverbium antiquum Bremensium: *se het noch een blad uus dem Aasbooke*, id est: *antiquos mores continet*, in cujus expositione, quam se torserit *Oberlinus* et neque Joh. Georg. Scherzius aliquid certioris illustrationis adferre potuerit, vide Glossarii germanici medii aevi a Scherzio editi Argentorati 1781. f. tom. I col. 1 voc. Aasbook, quae profecto nil aliud significat, nisi illud celebre alphabetum slavonicum, vel demonstra Germanos antiquiores Bremensibus Slavis alphabetum habuisse atque eadem ratione cum Slavis appellasse. Itaque ad vetus illud alphabetum runo-slavicum, quod aliquam similitudinem in quibusdam literis habet cum Phoeniciis abb. Barthelemy, pertinet illa vox *Aasbooke*.

Quod ad numerum pluralem attinet, quo exprimitur nomen singularis numeri — *liber* Matth. I. 1. *Knihy* etc. optime observasti; et nostri majores hanc servarunt consuetudinem teste Evangeliario boh. Vindobonensi, quem numerum Ostrogensis editio jam non habet legens: **Книга**. Pro *literis* etiam sumi hoc vocabulum inveni Danielis I, edit. Ostrog.: **и наоучити а҃ книгам и ѧзыкꙋ халдейскꙋ**. Spectatis originibus literarum, id est formarum, quae primum intellectui ac sensui magis totius vocis percipiendo serviebant, et quia postea, majori profectu facto, inventi sunt characteres custodiendis singularibus sonis admirabili et divina propemodum arte, ut equidem tu probe nosti; sed ut inde pretium nostrae vocis *čtena*, qua versio nostra princeps utitur, repetere

mecum possis, ex *concordia naturae* et *Scripturae* animadverto et moneo: compara pertinentia ad artem scribendi et legendi verba: pifati et čitati (proprie atque primario, ut ego arbitror, *numerare*), reflecte animum ad formas singulorum sonorum originarias et historiam hujus artis; porro expende, quam vim historiae artis scribendi analogam habeat nostrum vocabulum *čtena* imprimis, quam proprium loquendi modum subministret volenti describere illam indolem characterum, qui leguntur seu depositum enuntiationis servant, ut legi possint; et procul dubio perspicies, male a nostris quibusdam negligi laudatum vocabulum ejusque philosophiam. Quid itaque nunc de pretio illius sentias, cuperem ex te rescire. Vocabulum *Cislbog* idolo inscriptum, quod lunam falcatam habet, et Maschius exponere non potuit, omnino slavicum est et *signorum deum* **числъбогъ** significat; nam *signum* quodque coeleste, in Brontologio MS. slavico Vindobonensi **Громовникъ**, vocatur **число**. *Signandi* ergo et *numerandi* temporis veteres Slavi penitus ignari non fuerunt. Et, si quod monumentum ex Maschianis ad historiam Slavorum illustrandam valet, illud lunae signum magis mihi placet.

Quae de Heyrenbachio scire cupis, ut paucissimis id fieri postulas, ita accipe: Josephus Benedictus Heyrenbach natus est 24. Maji a. 1742 Ettalae in Bavaria. Absolutis humanioribus studiis Cremisani in Austria, Societ. J. ingressus est Viennae 1756. Dissoluta Societate fuit primus professor rei diplomaticae in univ. Vindob. a. 1774, ut ex programm praelect. academ. a 4. Novembr. 1774 usque ad 7. Sept. 1775 deduco, in quo se custodem Biblioth. Caes. jam nominavit. Quaedam opuscula illius typis edita sunt, longe plura in MSS. reliquit, quae in Bibl. Caes. servantur quaeque J. Georg. Schwandtnerus, Bibl. Caes. custos, suarum recensionum MSS. codd. Bibl. Caes. vol. II. recensuit a num. 1928 et seq. Mortuus est Viennae 19. Aprilis a. 1779.

Ex libris post obitum censoris librorum Szekeres emi librum inscriptum: **Краткое рѹководство къ чтенію книгъ ветх. и нов. Ꙁав.** Ambrosii epis. Sěwskensis, Mosquae ҂аѱо҃ѳ in 4[to], putans me hujusce modi aliquid empturum, qualis est Institutio interp. N. T. Ernesti; sed nihil nisi compendium Scripturae s. continet; si quid igitur nosti melioris rei ruthenicae in hoc genere studiorum, me certiorem redde, ut de illorum studio hermeneutico aliquid resciam.

Vale et celeriter scribenti da veniam teque impense diligentem tuo sinu fove. Iterum vale.

CIV.

1794 — 10. srpna. Dobrovský odpovídá na list předcházející, zmiňuje se o slově větenici, kniha, statikva, o runách, o slovech označujících psaní a čtení, podává zprávu o abecedě a pravopise v staroslovanských rukopisech, o bohoslovecké literatuře a duchovenstvu na Rusi, o různostech slovanských nářečí a jich rozdělení a zakončuje odporučením S. F. Blandova, kupce z Petrohradu.

Miessičii, 10. Aug. 1794.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Quod tenue quodvis officii genus inter beneficia connumeres, teneri gratique animi tui argumentum est. Ego certe devincire te mihi vellem magis

magisque, quin tamen tu de reddenda vice anxie sollicitus sis. Meis utere, quamdiu placuerit, omnibus et, si quid amplius desideres, significa.

Recte profecto Wetenikos *pacis ministros* exposuisti, quamvis ea solum ratione pacis (foederis, pacti, promissi) custodes sint, quod τοῦ *uvjet* (umluwa) auctores sint *paciscendo* et servando. Adde nostrum *obět*, primo significatu *promissum* apud *della Bella*, quod etiam illustrando Procopii loco de Slavorum victimis aptum erit. Quod diis promittitur, vovetur, atque redditur, apud nos *obět* est, a praepos. *ob* et *wjet*, eliso in compositione, uti solet, w. Olim *obět* a *obiti* (zabiti) deducebam, sed jam nunc video, *i* originarium in bíti, partic. bit, non solere mutari in ě. Neque enim de victimis proprie obět sumitur, sed de omni oblatione.

Apud Sinenses libros quosdam *king* vocari certum est, utrum autem librum in genere sic appellent, nondum satis mihi constat. Videoque apud della Bellam *kniga* in sing. significare *literam* (Brief) schedulam, chartam, scriptum, eine Schrift, folium libri, chartae, unde magis credo, knigam idem esse origine ac Latinorum *librum*, de pellicula atque membranula sumendo, unde knihy apud laniones nostros; inde quoque plur. knigy de collectione membranarum seu libro, quatenus pluribus foliis constat. *Kvjer*, pergamena, apud della Bellam, peregrinum videtur; *opniza*, de qualibet membrana, uti et diaphragmate sumi, dubium non est a *pnu*, *pnauti*. *Statikwa* non videtur ad vocem *Staf* (Stab) expressa, neque enim antiquam vocem esse existimo, sed magis ad graecum στοιχεῖον, elementum, a *stati*. Sic in bibliis στοιχεῖα Coloss. 2, 8, 20 habet MS. Ribayanum *s-stawlenia*, 2 Petr. 3, 12. *s-stawy* (aliis fere in locis graecum retinuit. Hebr. 1, 3. ὑπόστασις, ubi editi graecam vocem legunt, iterum 5 seu Rib. *s-staw* et 3, 14. *sostaw* etiam editi. Eodem modo *statikwa* a *stati* imitando graecum στοιχεῖον deductum puto.

Si *Runae* non etiam in Hispania repertae fuissent (vide Schlözerum tom. 31. hist. univers. seu Nordische Gesch.) atque adeo ab omnibus fere populis praeter Graecos atque Latinos (Hetruscorum literae habent certe similitudinem cum Runis, quae quid aliud sunt, quam usu depravatae graecae latinaeve?) usitatæ fuissent, varie apud alios atque alios deformatæ, crederem facile, a Slavis transisse ad Scandinavos. Sed hauserunt alia (uti *Juli*, cujus memoriam adhuc in Calendariis servant Sveci ac Dani *Juldag*, cultum) a Scandinavis Slavi. (*Julii* hasta apud Ottonis biographum quid sit, certe novisti.) Nihil tamen obstat, quin *Runa*, de appellatione hac istarum literarum nunc loquor, slavicae originis sit, a *ryti* (an olim ruti?) deducta. Sed in hoc amplo conjecturarum campo quis certi quid definire audeat? Num voce черта (nostrum čara) Runas significare voluerit Anonymus ille, an solum imperfectum res notandi usum (uti mulieres in portis [⊕ O IIIII] strias et circellos pingere solent, quae usum scribendi non norunt) denotare voluerit, quis definiat. Neque ego inter glagoliticas (certissime ingeniose effictas) et Runas tantam similitudinem agnosco, ut [illegible] cum [illegible] conferre audeam; [illegible] enim cyrillicum [illegible] est, erectum et in angulos rectos formatum, aut [illegible], quod inversum est [illegible], cui valorem o tribuit pro arbitrio auctor, nam valorem u, quem designavit [illegible]) apice apposito, etiam alias habere solet: [illegible] pro [illegible]; et in omnibus fere vocibus latinis, quae diphthongo au: augustus, scribuntur. *čer-*

tadlo, non buris, sed *vomer* est, a scindendo, germ. Pflugschar (buris enim est socha, kleč); *čerta* magis incisura, stria est, quam linea. Videturque, cum addat *hadachu*, in mente habuisse magos, čarodějníci ob id apud nos dictos, quorum characteres hic innuere voluit. Habentque magi, arte scribendi etiam minime periti apud incultos populos, hunc morem, ut nosti. Quid Syri et aratri partes ad artem scribendi apud Slavos illustrandam valeant, non video, quamquam haec insolenter dicta non velis. Latinorum *exarare* non a figura alicujus partis *aratri*, sed a generali voce *arandi*, findendi scindendique ductum est. Nostri *pisati* primum significatum frustra indagavi; nam pro *pingere* et *scribere* sumtum, certe translatum est.

Graecum γράφω utroque significatu aeque translatum est, quod tamen cum italico *graffiare* collatum idem erit, ac latinum *scribere* (confer škrabati, scabere). Cum *pěsk*, *písek* si conferas *písati*, orientalium Indorum praecipue morem, in arena prima scribendi elementa docentium liceret arguere. Sed in písati *í* nunquam (in derivatis) in ě transit videturque magis ad Latinorum *pingere*, *pinxi* (eliso *n*) referendum, cujus etymon facilius indagari poterit a pangere, compingere. Sequeturque, etiam olim in sculptoria usitatum. Vox certe *písati*, significatu scribendi, *Cyrilli* aetatem superat; num etiam nomen *aasbook*, Bremensium, ut scribis, proverbio conservatum, lis esse possit. Jamque fere inducor, etsi de inscriptionum runo-slavicarum aetate minime constet, ante Cyrillum *azbukam* aliquam imperfectam, Slavis aliisque populis septemtrionalibus communem et usu et appellatione saltem primarum duarum literarum exstitisse, unde et Germanorum *Buch*, *Buchstabe* et nostrum *azbukviça* deduci potuerit. Tertium ordine elementum profecto aliud fuerit, quam *wjedi*, uti et quartum *glagol*, cum graeci alphabeti seriem, prout res patiebatur, retinere voluerit studio Cyrillus noster; *az*, quatenus *ego* significat, pluribus populis commune est mirorque apud omnes nunc Slavos exolevisse. Dabis certe veniam conanti mihi rem illustrare difficillimam. Tu meliora profer, si potueris. Volui tamen sensa mea tibi exponere. Neque credo, nos longius distare. *čítati*, *čísti* primario signif. *numerare* fortassis cum Latinorum *recito* conferri possit; legere, lesen eodem redit. Itali pro *literas colligere* dicunt uno vocabulo *compitare*. Graeci jam longius abiere aliam notionem substituendo. ספר hebraeum nostra illustrabit. Pretium nostro *čtena* quale statuam, noscere cupis? exiguum, primum quod recens sit, sec. XIV. formatum, quod seculum novorum, oblivione feliciter deletorum, vocabulorum supra modum ferax erat. Deinde, quod etymon non verum latinae vocis *literae* a legendo exprimere studuerit primus illius auctor. Est enim *čtena*, quasi *lecta*, subaudi litera; qua quidem voce ingenium hominis Bohemi mediocriter latine docti arguere poteris. Sed ad artem legendi Slavorum antiquorum illustrandam vix aptam reperies. Estque nostrum *čtenář*, quod alii Slavi respuunt, magis a verbali *čtení* deductum, quam a neglecto *čtena*. Praefero *ego* quidem slavicum *pismă* γράμμα, nostro *čtena* et *čitatel* nostro *čtenář*. Neque enim alias a verbali substantiva actorum (personarum agentium) deduci solent; počitář melius formatum est. Quis ferat kazanář a kázaní aut psanář a psaní? *čtář* a *čtu* dici oportuit, aut *četník*. Sed vitia usus consecrat atque protegit. Ad scribendi artem idoneam addam vocem *pečať*.

Adelungius germ. *Petschaft* inde deduxit, nescio num recte. *pečat* quidem originem habere potest slavicam, si a reciproco *peku se*, quod in bibl. slavicis legitur, derivetur, unde nostrum *péče*, slav. *pečal*; eritque *pečat* signaculum rei, cum cura custoditae, et *pečatiti*, signare hoc sensu, inde etiam ad typographica translatum *imprimere*, cudere, de nummis quoque. Sed occurrit italicum *impecciare*, picem illinere, picare. Elige jam, quod magis arridet. Ego ad slavicum etymon inclino, cum *impecciare* de literarum et diplomatum sigillatione non usurpetur et vox *Petschaft* apud Germanos duntaxat, qui plura a Slavis mutuarunt, in usu sit, ac vice versa, uti vocem *lismer* (Gleissner) velim hic advertas, Dalmatas servasse (s) in *lisimir* (pro licemĕr) apud della Bellam sub *ipocrita*, *ipocrisia* etc.

Ad azbukam redeo. Quamvis Cyrillus connectere non intenderit vocabula, quae literis indidit, ad sententias exprimendas, tamen non abnuam, si quis contenderit, saltem eam sententiam, quam reddunt tria vocabula prima, az buky wědi, *alphabetum scito*, volendo ac consulto expressisse. De hymno *Azbukownik* (Pjenije *azbukownik* inscripto, inter alios, quos *Μεθήμων* (*μεθήμων*) appellant, in codice sec., ut arbitror, XII apud comitem *Alexium Mussin Pusskin*, procuratorem generalem s. synodi, cui antiquissimos codd. historicos ex omnibus monasteriis conquirendi cura demandata fuit, quique *jura russica* antiqua emendatius edidit, olim jam aliqua monui. Nunc seriem literarum et vocum initialium exponam.

1. az, 2. burã, 3. w noщi, 4. grjechownu, 5. desnicju, 6. jegda, 7. žitije, 8. zjelo, 9. izbawi, 10. jako, 11. hic versus incipit: geѿny mã izbawi wěčnyja, NB. *γάμμα* Graecorum, 12. kownik (дьаволъ), 13. lowça, 14. Mytarju, 15. noщju, 16. ѿči (NB. figuram *τοῦ ω*), 17. prosteri, 18. rucje, 19. swjedy, 20. trepetom, 21. оуpostas (*ὑπόστασις*), 22. φarisjeicwy, 23. χěrowimskuju, 24. ѿ preswataja, 25. çarju, 26. činom, 27. шestwija. Hic jam desinit sententiarum alphabeti ordine se insequentium series; difficilius enim fuisset etiam reliquas alphabeti slavon. literas hac ratione connectere.

De ѫ nuper cum ageremus, oblitus sum tibi communicare observata e cod. Ribayano sec. XV, qui, quod оӯ, ѫ et ю attinet, has regulas sequitur: In syllaba radicali post consonam in quibusdam ѫ, in aliis оу seu ȣ scribitur, et quidem ѫ in sequentibus, quae confusim enumero: trud, ruka, budu, rugati, put, wnutr, lukawo, razlučiti, otlučiti, mudrost, skudelnik, muž, wskuju, subota, kupina, nedug, zub, otstupiti et aliis compositis ex stupiti, muka et derivatis mučiti, pučina (adria), glubina, sud (judicium), nužda saepius (rarius per ȣ), ws*u*du (hic editi scribunt ю), obo*u*du, ott*u*du (non autem t*u*), otn*u*d (ed. otnjud per ю), muden (tardus), chudoġ, otk*u*du, s-sud (vas), smuщati, oružie, m*u*diti (etiam per оу), tužd (etiam per оу); оу autem in sequentibus: pustiti, sluch, poslussnik, pluti, wnussiti, drug, luna, ochuždati, kuriti, sumněti, duch, dussa, iskusiti, suetno, chuliti, služiti, w kupě, luče, slučiti, iskupiti, wzbuždati, pogubiti, razdrussiti, stud, skrussenie, tune, razum, truditi, burã, ssum.

2. Initio vocum ѫ in seq.: *u*gel (angulus), uzy, užnik, uziliщe, uža (funes) Act. 27, 32, *u*troba et uzyk pro iazyk, confunditur enim hic *constanter* ѫ cum ѧ, uti alibi rarius. Pro ю seu ѭ non nisi in ѭ́ (eam), et ѭže (quam),

unde ab aliquibus ѫ creditum valere ю, quod falsum est. оу autem in sequ.: *u*d, usta, upowati, udob, utro, ucho, ubo, u, uže, učiti, uzda, um, nedo*u*měnie et omnibus compositis ex praepos. u: umalil etc. In fine particularum indeclinabilium ѫ in sequ.: nu (sed), protiw*u*, net-čiu (non solum) wnezaap*u*, wynu (*ἀεὶ*); in aliis оу: t*u*, mežd*u*. In flexionibus nominum, ѫ in accusativo semper: slaw*u*, brati*u*, swo*u* (swoju, post vocalem enim *jota* subintelligitur); in instrumentali semper: slawo*u*, česti*u* (minime ю uti in editis). In dativo vero semper оу, aut si genitivus habeat ѧ, ю: mal*u* i welik*u*, dat. mascul. mečю, korablю; ю quoque in vocativo: ц҃рю; uti in duali: dwoю, neю, očiю, seю, oboю. In flexionibus verborum ѫ semper in 1ma persona singulari: položu, bud*u*, po*u* (poju); in 3tia persona plurali: běch*u* (erronee etiam saepe in imperfectis exeuntibus in шѧ (шѫ pro шѧ): bud*u*t, obetщa*u*t, (editi post vocalem habent ю); in participiis in *u*щ semper; in infinitivis in *nuti*. Etiam in priѫt constanter, sed hic pro priѧt (ѫ confusum cum ѧ).

ю autem semper scribitur initio non nisi in: юг (auster), юн et derivatis, uti юnec, юnossa; et post consonam radicalium: ljubiti, ljud, bljusti, čjudo, čjuditi, čjuwstwo, ključim; adde woюѫt (ю in medio). Rarius in dativo neutrorum post i observavi ȣ pro ю: spasenїȣ. Vides ex his omnibus *varium τοῦ* ѫ in radicalibus usum, in terminatione casuum et flexionibus verborum constantem; neque ѫ valere ю, nisi post vocales, ubi compendii causa ѫ pro ѭ, uti ѧ pro ѩ et є pro ѥ scribitur, cum inter vocales duas *jota* subintelligi possit et debeat. Sic prw*aa* in MSS. pro prwaja, h. e. pro a, pro ѧ. Addam illud ex manuscripto Ribayano. In sequentibus (rarissime tamen): m*u*ž, bl*u*dniça, s*u*d, tr*u*bnomu, tužde; ъ scribi pro ѫ, quod ego negligentiae scribarum tribuo. Secus in vocibus, quas Bohemi sine vocali efferunt: *plk* etc. Hic enim antiquam consuetudinem rectius observant.

Ѣ alias uti fere in codd. australibus seu meridionalibus cum ь confunditur in fine: ranь pro ranѣ (ranní). Pro *nyně* aut нн҃ѣ contrahitur aut нинѣ male scribitur; тȣждїи semper pro чȣждїи.

Haec fere est orthographia aliorum sec. XV. etiam eorum, qui in monte Athos scripti sunt. Minutiora non persequar. Tono quoque differt ab editis: chodatai in MS. tonum habet in prima, in secunda editi, stwóriwy in MS. in prima, sotworíwyi, cum vox creverit ob intrusum *o*, in penultima; chránite sã MS. in prima, editi chraníte sã in secunda. Notavi accentus hos studio, cum alias vix occurrant. Neque memini me codices vidisse, in quibus accentus (pauca si vocabula excipias) appositi sint, ut adeo in bibliis slavicis accentus pronunciationi russicae accommodatos credam.

Explicatio tua nominis *čislbog* (si quidem recte sic legatur vocabulum) placuit. Utinam eadem felicitate mihi explicare possis Ditmari *Luarasici* aut secundum Dresd. cod. *Suararici*. Pro notitiis Heyrenbachium concernentibus gratias habeo. Opus enim erit monere lectores, quis fuerit. Tale aliquid, qualis sit Ernesti interpres, desideras scire, num apud Slavos existat? Eheu! in desertis tu cultos homines quaeris! *Apollos* tamen quidam, olim rector Academiae Mosquensis, quem salutare volebam, nunc episcopus..., aliquarum epistolarum Paulinarum expositiones edidit, quas vidi, Mosquae; sed annum nunc nescio. Inspiciendi sunt mihi prius catalogi librorum. Habent autem,

uti nosti, antiquos patrum commentarios in Scripturam. Expositiones vocum hebraicarum in bibliis occurrentium. Theologiam dogmaticam in usum praelectionum latinam asportavi mecum. Omnia alia studia negliguntur. In monasterio tamen *Troice*, ubi seminarium puerorum est, inveni literarum hebraicarum doctorem, puerum Judaeum 12 aut 14 annorum nuper baptizatum, qui hebraica cantare et legere novit. Si tu monachorum et poparum ignorantiam nosses, exclamares certe signando te cruce: *Gospodi pomilui.* Exuti nunc bonis monachi 15 rublorum stipendia merentur annue, qui vix coëmendo pani nigerrimo sufficiunt.

Alia nunc prosequamur: §. 4. hist. l. boh. utinam evellere possem melioraque, quae nunc imprimis video, substituere. Procopium dividere gentem Slavorum in *Antas* et *Slavinos* nosti. De appellatione *σπόροι*, quod illustrari possit ex *spor*, a, o, parcus, et *Antarum*, quo nomine omnes populi regionum superiorum ultra Pontum Euxinum Graecis veniebant, (Germani dixissent Hochländer, omnes enim fluvii inde in Pontum defluunt) non hic nunc disputo; sed de divisionis illius fundamento. Si recte Procopius habet, cur non in lingua slavica generatim sumta tales notas deprehendere liceat, quales in l. germanica, ut discrimen, uti inter germanicam superiorem et inferiorem, statui possit constans atque notabile. Videorque mihi deprehendisse tale aliquid etiam in l. slav. Igitur linguae discrimina *antiquiora* haec notavi. Amant alii *raz* in compositione verborum, alii constanter *roz*; isti *iz* seorsim et in compositione, hi z et *wy*; isti particulam *da* et *niz* in compositione, quas hi ignorant; isti epentheticum *l* post labiales: *zemlă*, *ljublju* etc., hi epentheticum d ante l post vocalem: modliti, prawidlo, pro moliti, prawilo; isti densius щ in femininis: *нощ*, *мощ* aut no*ch*, mo*ch*, hi tenuius c: *moc*, *noc* etc. Isti dentales z et ž pro aspiratione *h* seu g: svjesda (zwězda) pro hwězda; c pro k: *c*wět pro *k*wět. Isti in 3^tia^ persona singul. et plur. praes. et futuri retinent *t*, quod non norunt hi aut nunquam noverunt. Taceo voces singulares uti *istok* pro wychod aut wzchod usurpatas ab istis, pro quibus aliis plane utuntur hi. Addam toni diversitatem notabilem, ita ut constanti lege, in bisyllabis et trisyllabis certe, occupet primam vocis syllabam apud hos, locum variet apud istos, ut etiam ultimam syllabam afficere possit in bisyllabis. Liceat appellare dialectum istorum orientalem, horum occidentalem aut, si mavis, istorum meridionalem, horum septemtrionalem (nam sensu Procopii quam anticam quamve slavinicam appellem, nondum scio). Ad orientalem referes russicam et serbicam; ad occidentalem polonicam et bohemicam. Aliarum omnium habitum facile ex his quatuor generibus explicabis. Primum igitur, quam id fieri possit, explicandi erunt characteres cuivis horum quatuor generum peculiares et quidem tales, qui sint vetustiores quibusvis corruptionibus recentioribus. Distinguendum igitur erit idioma Serborum vetus a recentiori illyrico, si placet appellatio, corrupto ac foedato. His ita discussis, videndum erit, utrum dentur dialectus intermediae, quae ad utramque classem ex parte referri possint. Croatica certe cum utraque classe conveniet ex parte. Slovacorum idioma bohemicum cum polonico connectet; habebit etiam, quae proprie croatica sint. Medium illud, quo russicum cum serbico connecti arctius debeat, ex parte quidem interiit, cum aliae lingua diversae

nationes eos dividant; ukrainica tamen hujus medii retinet vestigia. Quomodo haec cum historia cohaereant, nunc non curo. Curabo autem, si rem expenderis dubiaque exposueris. Unice nunc *notis* illis generalibus velim ut attendas aliasque similes addas aut istis alias meliores substituas. Intelliges profecto, unde veniat, quod *Carnioli*, quos equidem interpellavi, a se Mosquitas melius intelligi asseruerent. Igitur nunc sic dialectus slavicas dispartiar.

Classis *A* (appellatio generalis). Classis *B* (appellatio generalis).
1. *Serbicum*. 2. *Russicum*. 3. *Polonicum*. 4. *Bohemicum*.

a) Dialectus mixtae (seu mediae) ex utraque classe
b) Dialectus mixtae ex generibus classis A. } 5.
c) Dialectus mixtae ex generibus classis B.

Sed haec omnia tu accuratius examinabis statuesque de iis pro arbitrio tuo aut pro ratione, uti cognoveris.

D. Samuelem Frider. *Blandow*, mercatorem Petropolitanum, qui me humanissime peregrinantem exceperat, tibi summopere commendo. Monebo illum per literas, ut te ipse accedat; interim si tu hominem l. russicae peritum ac humanissimum prius convenire velles et ad Bibliothecam Palatinam deducere, rem mihi gratissimam praestares. Apud d. Joh. Mich. nobilem de *Grosser* rescies, ubi commoretur. Dom. Zlobiczkyo pariter eum commendabo, cujus opera, optarem, ut innotesceret dom. de Retzer, editori operum anglicorum auct. Est enim amicus ille meus l. angl. apprime peritus. Proxime per literas apud alios agam, ut ei eam benevolentiam exhibeant, quam ille mihi impendit. Per te saltem d. Denisio nostro commendari poterit.

CV.

1794 — 15. listopadu. Durich podává zprávu o návštěvě Blandově, děkuje za předcházející dopisy, podává doklady k některým slovům, zmiňuje se o runách a hlaholské a cyrilské abecedě, o Ruské Pravdě a o Výkladě práva země české Ondřeje z Dubé.

Viennae, 15. November. 1794.

Jos. Dobrowsky suo integerrimo amico Fortunatus s. pl.

Hodie d. Samuel Frider. Blandow, qui te peregrinantem humanissime Petropoli exceperat, me accessit comite d. prof. Zlobiczkyo, cui, ut mense Augusto volueras, itidemque cl. Denisio, statim sequente obtenta epistola die, impense tam praestantem amicum commendavi. Ego vero ad inquirendum cursorem minoris, ut vocant, *postae* immediate conduxi, quo citius atque certius d. Blandow investigarem; sed frustra, ut tibi procul dubio d. canonicus Ungar jam retulit, quem hujus curae certiorem feci, quemque humanissime nomine meo salutatum cupio. Is me atque Zlobickyum ea spe confirmabat, futurum, ut expectati amici virique summe egregii omnino fruamur, quam primum advenerit. Dum itaque diutius dies diem trudit in hac expectatione, fit tandem, ut d. Denisius die 11 hujus mensis me jam praesente Bibliothecam intrans me certiorem reddat de adventu praefati d. Blandow, qua ejus annunciatione vehementer gavisus, maxime quia hac ipsa die, ut Denisius a Zlobiczkyo pridie audivit, isto comite hospes gratissimus Biblio-

thecam accedere voluit: quapropter placuit mihi solicitudo Denisii expressa his verbis, *ut d. Dobrowsky satisfaciamus.* Sed hac die expectatione frustrati sequente die Zlobiczkyo eum in Bibliothecam inducente Denisius nobiscum gavisus est, maxime, quod germanice amicus loqueretur. Itaque comitante nos quoque professore Altero (cl. Denisium enim adversa valetudo impediebat) Bibliothecam ingressi, quaecumque visu digna arbitrabamur et novimus, amico ostendimus usque ad *horam conclusi*, nimirum duodecimam. Certe pro temporis angustia non potuimus singula ostendere, praesertim quum non solo visu, verum etiam judicio et intellectu d. Blandow monimenta literaria intuitus fuerit. Profecto gaudebam vehementius in ejus persona illud discrimen a me cognitum, quod in novissima editione praeclari operis: **Правда Руская или Законы великихъ князей Ярослава Владимировича** — typis s. synodi reg. 1792. 4. inter negotiatores russicos ponitur, quorum illi honoratiores dicuntur **гости**, alii mercibus tantum patriis suppeditandis addicti communi nomine **купцы**. Hoc discrimen ex antiquis legibus, immo relationibus Constantini Porph., ubi is de b. Olgae comitatu mercatorum russ. aulam imp. Constantinopol. accedentis egit, noster Blandow meretur. Dum is apud me esset, monente Zlobiczkyo, ut ei mea quoque monimenta literaria ostenderem, primum produxi tuum commercium epistolarum, quod maximi pretii habeo, dignum visu tanti amici, qui te humanissime Petropoli exceperat. Utinam viro huic quodpiam specimen hujus benevolentiae, quam ille tibi exhibuit, mihi liceret eidem exhibere! Quum ei molestus esse nolim accessu meo, ignarus, ne fors importuno tempore veniam, promisit ille mihi notitiam daturum, quo tempore eum convenire possim; postea perscribam ad te reliqua ex illius colloquio solatia. Mirabar eum quoque Mosis Chorenensis non ignarum esse, nam dum antiquissimae memoriae Russorum atque denominatae vocis antiquissimae russicae [ejusdem cum Slavis] apud Mosem Choron. in descriptione Europae n. 21. pag. 345. relatae mentionem in hunc modum fecissem: »ad — flumen Danubium pertinet, quod ab Russis *josa* appellatur; [որ է Յօզու Ռուսաց] seu verbum ex verbo reddendo: quod est **юза** Russorum — statim ille subjunxit, sibi hanc editionem fratrum Whistonionum notam esse et domestica re libraria contineri.

Sed jam superest, ut tibi gratias agam pro notitiis literariis mense Augusto mecum communicatis, pro quibus pridem oportebat gratias agere et officium epistolare demereri; sed impeditum te novi morte ill^mi tui benefactoris et, cum nihil certi de adventu d. Blandow perscribere valerem, expectabam datae spei singulis diebus eventum. Itaque grata cum primis mihi fuit primaria significatio vocis *obět* ex della Bella producta, illustrando Procopii loco de Slavorum victimis apta. Quod veteres Slavi, Procopio testante, *Deo voventes*, rem promissam, ut arbitraris, *obět* vocaverint, vocabulo, quo *promissum Deo* etiam in lingua slav. lit.: **обѣтъ, обѣщаніе что богу**, dicitur, facile inducor et puto commune nomen fuisse rei Deo promissae, aptum etiam significatui *sacrificii incruenti*, quale apud eos praecedere solebat prius, quam *hostia* vel *victima* **жертва** dici potuerit, ut mihi videor id colligere ex Constantini Porph. p. II. de adm. imp. cap. IX. de Russis olim

in lintribus venientibus: »Hoc autem transmisso loco ad S. Gregorii insulam appellunt, ubi propter ingentem quercum sacrificia obeunt viventesque aves immolant, circum autem sagittas, alii vero panes et carnes aut alia, prout cuique suppetit, id enim in more habent. Sortes item mittunt de avibus; num edere, an occidere, an vivas illas dimittere debeant.« Non dubito, quin tu mecum voces: **жрецїе, жрецъ, жертва** ceterasque hujusmodi a verbo **жрꙋ** = žeru deducas, quod paganis majoribus nostris procul dubio in usu fuerit, quarum alteram sacrificulos dicturi merito et nos Bohemi possemus usurpare; nisi **свꙗще́нник**, swěczeník tibi videretur facilior vox intellectu.

Quod ad Runas ex monimentis Maschii excerptas attinet, Schlözeri observationes et de Runis retractationes, quas annis abhinc duobus iterum contuli, non mihi adeo profuerunt, sicut propria investigatio collationi aliorum alphabetorum innixa et diversi generis Runarum comparatio etiam punctis insignitarum; sed antiquius aliquid prae Danorum et Suecorum Runis redolent Obotritorum Runae, et cum tibi antiquissima Phoenicia inverso situ [glyph] non possit non convenire cum majuscula glagolitica [glyph], ut haec vel in Bindoniano Missali Pragensi mihi visa est; velim conferas primum quidem obotritice scriptum nomen [glyph] cum glagol. [glyph], prius tamen memineris [glyph] apertam majusculam nihil aliud esse quam clausam lit. [glyph], atque illos circumflexos apices [glyph] non ad substantiam characteris, sed ad institutum inventoris (cui tu ingeniosam certissime fictionem attribuis) conferas; deinde profitearis, an prorsus nihil similitudinis inter Slavo-Runas (duae namque priores literae cum Runis communibus comparari nequeunt) intercedat. Nec ego diffiteor, immo propugno alphabetum glagoliticum ex cyrillico ita refictum esse, ut quibusdam apicibus deinceps positis aut geminatis regula formationis characterum potissimum in angulis rectis constituatur, formulis potissimum ad conjungendas compendio scribendi literas, ut in Etruscis videmus, frequenter inductis, servatis nihilominus veteris alphabeti nonnullis characteribus, aliis tamen additis, qui omnino desiderabantur. Profecto antiquius elementum [glyph] frag. Prag. ex Y formatum non negabis et [glyph] ex ǁ; atque [glyph] ex [glyph]; Ш nullatenus differt. Sed de his saepius jam egimus.

Quod ad vocem *čertadlo* = **чертало** attinet, hanc nescio, cur nolis nomine *buris* vel potius primaria et etymologica significatione *instrumenti*, *quo lineae fiunt*, intellectam. Comenius enim XXXII de Agricultura 391. edit. 1669. 4: »culter cum bure (*buri*) indito vomere proscindit sulcos — krogidlo s čžertadlem a nasazenau na ně radlicy wykroguge brázdy«; porro nec kleč est buris, sed stivam illo nomine Tomsa quoque Comenium sequutus intellexit; **сохà** est **рáло**, quamquam si originationem spectes, ut jam dixi, **чертáло** collatum cum verbo **чертю̀, начертавáю, чертà, чертúца**, nihil aliud primario indigitet, quam instrumentum, quo linea, heic vero sulcus ducitur seu proscinditur. Non itaque peregrinum tibi videatur, dum aratri partes vel operam arantis coloni, apud Slavos illustrandam, comparo cum arte scribendi; quum hoc ante me fecerit cl. Ihre, Gothorum scripturam illustrans. Quid Syriaca ad nostras res slavonicas conferre possint, non tam mirum tibi sit, quam si asseverassem Slavica Syriacis lucem subinde adferre, hoc tamen potes ex homine Syro discere in lexico Castelli; nosti Waltoni Pro-

legomena quam optime, ubi de Arabicis loquens Slavorum meminit et vellem ex te rescire, num *Γέρα* apud Constantinum Porph. supra laudato loco, ***oppida*** nimirum, cum voce עיר aut ע in غ mutato comparari possint. Quod pretium voci *čtena* exiguum statuas, propter subjunctas rationes, non miror: arbitraris enim hanc ingenio hominis Bohemi mediocriter latine docti fictam fuisse; sed noveris hanc vocem non solis Bohemis iisque celebrioribus et magnam auctoritatem consecutis; (intelligo editores N. Test. princ. edit., atque Passion. bohemici, quo certe propria et elegantissima slavinitas bohema continetur in verbis singulis et constructionibus) verum etiam alteri Slavorum majori populo placuisse; Russi enim illa itidem utuntur, sicut vocabulo **тынъ**, apud nos jam antiquato: **чтєна** enim utitur auctor vers. Epicteti. Ceterum quisquis auctor fuit hujus vocis, qua signum, quod legitur (*litera* enim desiderato significatui, atque etiam *γράμμα* minime sufficit; quam ob rem Chinensium characteres nullatenus nostro vocabulo **чтєны** possumus insignire) denominate significatur; qualia sunt omnia elementa literarum alphabetaria ad similitudinem phoeniciarum individuis vocum sonis velut deposito servandis, atque ***numeratis*** idonea. Ego in hac voce čtena plus ingenii et naturae video, quam in Latinorum *litera* quidam observaverint, ex ***litura*** deducentes; et prudenter mihi videtur sacra Scriptura dici מקרא a ***lectione*** syr. קריא; cur nobis čtena, y a čtení singularia lectionis elementa minus apte dicantur? Non ut tibi contradicam, haec ita minute tracto; sed ut pro veritate invenienda simplicius agatur: tuis enim observationibus frequenter proficio et gratias ago impense pro illa Slavorum linguae prima divisione philologica ex Procopii discrimine in *Antas* et *Slavinos* deducta, quam ego eadem ratione sequor, et omnino Procopii expressionem sequutus Antarum dialectus (ob verba Procopii lib. IV cap. 4: *Ulteriora ad septemtrionem habent Antarum populi infiniti*) russicam majori parte vocavi; et omnino in russicis nominibus cataractarum Borysthenis in illa voce *Βαρουφορος* legi debet **Варзнорогъ**, ubi jam vides russicae dialecti characterem praecipuum; nec mireris jam Constantini aevo, immo ante ipsum fortassis Russos **порогъ** loco **прагъ** dixisse; quum in cod. **Правда** Ruskaja голова, борода hisque nonnulla similia legam, quae tamen leges Novogrodensibus statim sub initium sec. XI datae sunt. Has ego nunc filologice comparo cum legibus Przemysli longe quidem serius ab Andrea de Dube perscriptis, in quibus tantum vestigia quaedam antiquitatis servata sunt; plura tamen ex MS. ipso nostrae philologiae illustrandae possunt excerpi utilia, quam Balbinus rebus ipsis magis intentus deprompserit. Cl. noster Pelzel, quem humanissime saluto, libri posthumi de magistratibus pag. 26 verbis: »Est codex MS. *vetustissimus* in Caes. Bibl. Vienn.« et 27. de eodem: »Codex MS. ***grandis*** ex Ambrosianae (Ambrasianae) arcis Bibliothecae (Num. 400 notatus), quo jura et leges veteris Bohemiae continentur« — Balbini inductus, noverit jam non esse alium, quam chartaceum in 4° fol. 188 nunc inter cod. MSS. juris civilis N° CCXLVI., olim Ambras. 400. signatum, quem nunc lego repetita lectione, ut voces juris slavonici russici comparem, quae multis in locis conveniunt ad apicem cum nostris; ut non tantum amici desideriis, quod ad orthographiam attinet, satisfaciam, verum etiam utilia quaedam non designata perscribam. Vale jam amicorum optime, reliqua postquam nostrum d. Blandow

convenero, perscribam. Vale iterum et saluta amicos, et parce celeriter scribenti. Salutat te tuus amicus Blandow, Denisius et reliqui.

CVI.

1795—14. ledna. Dobrovský omlouvá své dlouhé mlčení, zmiňuje se o slovech *joza*, *žertva*, o runách a původu toho slova, objasňuje slovo *čertadlo* a *čtena*, zmiňuje se o textech, o Pravdě ruské, o Danielu Printzovi, o biskupu Appolonovi, o české prosodii, a mimo jiné o sbírce ruských přísloví.

D. 14. Januar. 1795.

Fortunato Durichio suo Jos. Dobrowsky s.

Omnia humanitatis officia d. Blandow exhibita beneficiorum loco apud me sunt gratiasque tibi habeo, quod me de rebus eum spectantibus certiorem reddideris. Dabis etiam veniam, de longiori silentio me ipsum accusanti. Erant, uti accidere solet, impedimenta varia. Sed et nunc magis indicare volui, me tui memorem, quam res momenti alicujus ad te accuratius perscribere. Animus enim a curis mihi non satis vacuus et, ut verum fatear, non satis alacris ad vincendam inertiam et acediam. At quid ista commemoro?

Юза Russorum magis finnicum mihi videtur quam slavicum, et certe Constantini russica non sunt slavica. *Žertwa* utique tecum a žru derivo, sed videtur mihi antiquior significatus subesse, pungendi ac mactandi.

Quaecunque de Runis dicturus es, certe erunt talia, ut nihil omnino certi definire ac statuere possis aut velis. Mihi hoc plane non arridet, inventorem glagolitici alphabeti habuisse Runarum notitiam. Admitto tamen Obotritorum et septemtrionalium Slavorum (uti et Danorum, Svecorum) Runas a Fennis Russiam inhabitantibus profectas. Ex lingua enim lapponica et fennica *Runarum* nunc originem repeto. *Runa* enim idem est ac *rudn; rudn* autem sermo, *rudnet* dicere, loqui; *rund*, artificium, *rundok* sapiens, sagax, et haec apud Lappones. Apud Fennos vero: *Runo* est carmen, versus; *runonicka*, poeta; *runoilen*, carmen componere, canere; *runotaito*, poesis, suec. skaldekonst; Ipsumque suecicum *runstaf*, bacillum, cui calendarium incisum est, alias etiam *rijmstaf* a lapponico *Rim*, calendarium ejusmodi, fenn. rijmis, rijmispuu (*puu* lignum est) derivatum credo. Sed abstrusiora sunt ista. *Čertadlo* nostrum idem est, ut ex usu didici, ac *krogidlo, kragák*, das Pflugmesser, das Sech, utique a scindendo; maleque Tomsa per *radlice* explicavit. *Buris* vocabulum vario sensu accipitur, nec satis constat, quae pars aratri lignea hoc nomine appellata sit. Neque alio fine hoc monere volui, quam ut caveas, ne vocabulum certi significatus dubia voce reddas. Comenii auctoritatem, distinguentis čertadlo a krogidlo, ad reddenda latina *culter*, *buris*, nihil moror. Plura enim sunt, quae ille confudit. Sed ego nondum video, quid aratri partes ad scribendi artem illustrandam valere possint, nisi hoc solo, quod sulcorum *incisio* et linearum *incisio* ad scindendi notionem referantur, uti latinum *arare* primo significatu et exarare (literas) comparari inter se possunt. *γέρα* Constantini pace mea comparet, qui volet, cum עיר, sed num *γέρα* slavicum sit, quis definiet?

De voce *čtena* non disputabo, dicam solummodo, a ***Rozkochanio***, homine satis obscuro, sed in id intento, ut nova vocabula suopte ingenio procuderet, (Pohlii egregius magister!) effictam primum esse. Sectione illa, qua de artibus agit, haec habet: litera *cztena*, grammatica slowo*cztena*; ad cognoscendum hominis luxurians ingenium addam pauca: philosophia *mudromyla*, scriptoria (ars) *pysnara!!* mechanica chlapisturna, alchimia czstna (an čistna?), arithmetica poczeterna, musica wodohlas: *musam* enim wodna appellavit; rhetorica mluwokrasa, logica rzeczyna. Sed eheu jam satis est. Bohemarius nondum čtenam novit. Nam versu 866: Scriptor sit pysarz, litera slowa, creda creta. Est calamare kalamarz, sed saccus *myech*. | Est calamus pero, graphium rafige, creta pumex. | Punctorium punctorz, pargamenumque ***byelpuch***.

Commode occurrit in tribus vocabulariis antiquissimis ***czrtadlo*** reddi latina voce ***cultrum***. Bohemarius quidem sic habet: Cultrum czrtadlo, vomer radlicze fiet vers. 735. Praecesserat autem v. 734: Burtea dic otka, ***buris*** *klecz*, eseda koleczka. (Monui jam significatum τοῦ buris incertum esse.)

Quae ego vocabularia jam pridem publici juris fecissem, si non metuissem, ut ne prava exempla in novis et fictis vocibus aliquos ad imitationem traherent. Russis *čtena* plane ignota est, et auctor, quem laudas, recens omnino est et vocabulum noviter cusum. Gallicum enim lettres, Lettern, collatum cum latino *legere, lectum*, facile eum inducere potuit, ad vocem hanc efformandam.

Antarum populi Procopii certe proximiores Ponto Slavi erant et quidem Slavi, qui nunc Russi. Ultra Slavos tamen Finnos habitasse certum est, et Antarum vocabulum non tam slavicum est, quam Graecorum ab ***ἀνά***, uti multis exemplis ostendere possem. Sed in hoc non dissentimus.

Quod *βαρυπορογ* legendum censes, acuta est conjectura, sed vide ne Russica (Slavicis opposita) Constantini confundes cum Slavicis. In ***Prawda*** rusk. legitur quidem *golowa, boroda*, et quidam in MS. sec. XIII, mihi viso apud illustr. editorem. Nolim tamen inde inferre, hanc orthographiam, cum ea variet et textus caeteroquin proprie slavonicus sit, jam sec. XI, atque adeo in originalibus monumentis fuisse observatam.

Ante annos aliquot Andream de Duba excerpens et nunc retractans vocabula multa notavi, sed non video, si ea cum Prawda rusk. conferam, tam magnam affinitatem, ut credi possit, utrumque jus eodem fonte manasse. Atqui leges Přemyslii dubiae sunt et a Bohemis plurima assumta et traducta e Germania.

Cl. Pelzel gratias agit pro notitia literaria; voluit ille solum specimen aliquot linearum, ut de aetate ex orthographia codicis judicare posset. Verum sufficiunt nunc ei, quae perscripsisti. Tales apud nos codd. exstant plurimi.

Dum nuper *Danielis Printz* a Buchau Moscoviae ortum et progressum evolverem, incidi p. 114 in nomina alphabeti, corrupte quidem edita, sed tamen ob singularem ordinem fortasse notanda. »Alphabetum habent duplex,« ita ille. »Unum quo in sacris: alterum, quo in profanis utuntur;« ergo jam tempore Joann. Basilidis alphabetum pro communi usu differebat ab altero. ***Jus*** ultimo loco post *Psi* ponitur. Reliqua non differunt ab hodierno usu.

Non recordor, utrum tibi consignarim episcopi ***Apollos*** expositiones epistolarum Pauli; monebis igitur me de hac re. Si tibi ad manus est lexicon

Academiae russicae, inspice, quaeso, indicem membrorum; invenies eum a fine quartum his verbis: Appollos, episcop orlowskij i sjewskij, 1786. Sed anno 1786, quo in membrum Academiae assumtus est, nondum fuit episcopus, verum archimandrita monasterii Novae Jerusalem prope Mosquam. Est autem *Orlow na Wjatkje*, in gubernio *Wjatkensi*, 1663 Petropoli, Mosqua 933 werstis dissita urbs.« Sed jam video, non intelligi hanc urbem, verum *Orel*, urbem gubernii sedem; adjectivum enim inde formatum est orlowskij (pro orelskij). Urbs Сѣвскъ, gubernii Orlowiensis (ab urbe Orel) distat Mosqua 512 werstis. Hic ille episcopus nunc habitat, quem accedere volui, si mihi vacasset, Kiowiam pervenire.

Prosodiae bohemicae leges pro Pelzelii grammatica bohemica,*) quae propediem praelum relinquet, digessi, dubius omnino, num rem acu tetigerim. Verum neque tu diffiteberis novo fundamento, nimirum tono pronunciationis, superstruendam prosodiam nostram. Hoc principio admisso sperare audeo, quod tibi non displicebunt, quas constitui regulas. Historiam aliquando poesis patriae scripturus, plenius ista exponam.

Sunt Pragae alumni ecclesiastici duo, qui Slavica, praeprimis Russica amant; odam *Cheraskowii* in *Opyt trudow* verterunt nuper elegantissime in Bohemicum. Utinam plures juvenes ad studia haec excitare et juvare possem!

Rogo te, ut mihi vel tribus verbis significes, quo anno tomus ille, quem Stritterus descripsit, vers. russ. Skorinnianae, item alter in *Opyt trudow* descriptus, impressi sint, quidve contineant, praeter libros Regum et Acta, et quo volumine recenseantur, sed haec non nisi brevissime. Tuum enim erit, de his agere. Meum autem, solum indicare, quorum cognitionem adipisci licuit. Collectionis 4291 proverbiorum russicorum, Mosquae 1787 tertium editorum, mentionem, credo, quondam jam fecerim. Mone, si placet, de singulis. Sunt autem in his plebeja multa, quae obtusum ac hebes ingenium arguunt, sed tu atque alii fortassis aliter sentias de sententiarum acumine. A *kafsa* tria habent: kaſſa mať naſſa. Kaſſu maſlom neiſportjſſ. (ſkazýs, portiti est nostrum *prtati, prták)*. Kaſſu geſſ (gez) a nožom ne rěž. Dolendum autem usum proverbiorum non explicari. Sunt inter ea multa etiam peregrina: klin klinom wybiwagut etc. Jam vale; dn. *Blandow* NB.**) humanissime saluta omnesque amicos Vindobonenses.

Čzertadlo habet etiam Aquensis sub voce *culter*, a colo, quia colendo scindit terram. Rectissime, nam *koli*, inf. *kláti* est scindere, findere; nec dubito hanc primam, etiam latinae vocis, esse significationem. Plurimas enim radices slavicas cum latinis convenire tute pridem observasti. *Krogidlo* igitur recentius est, uti kragák, cujus origo patet. Sed ad illustrandum significatum τοῦ *čertati*, obsoleti apud nos, liceat lapponicum *kirjetet*, infin. crispare, *incisionibus* (ligneum vel metallicum vas) ornare. Observant hic auctores lexici: Maximum Lappones esse ducunt artificium, vasa scite incisionibus atque pictura ornare.

Kirjak, adj. crispus, variis *incisionibus* ornatus. *Kirjeteje*, talis artifex. *Kirjetem*, opus tale. *Kirje*, subst. liber, literae. Fennice: *Kirja* idem. *Kirjal-*

*) Grundsätze der böhmischen Grammatik. Prag 1795, pag. 209—246.

**) Durich připsal: NB. 10 Januarii discessit Vienna a. 1795.

linen apud Fenn. literatus. *Kirjoitan*, scribere; *kirjoittaja*, scriptor, etc. Igitur *incidendi* idea subest significatui scribendi. *Keritä*, tondere apud Fennos huc quoque pertinet, uti *svecicum skär*, skärning, *dan.* skaar, (Schnitt, Einschnitt), *skaaren*, (geschnitten). *German. scheeren*, utique scindere, tondere etc. *germ.* sch (ш) ortum ex *sk* suec., dan. et slav. ч, uti notum ex *k*. Ergo *čertati* cum *keritä*, *kirjetet* conferre et illustrare illud hac ratione licet. In bohem. Mamotrecto (adeoque in bibliis) verba *curribus ferratis* exponitur — *črtadlnými*, adject. črtadlný, igitur *ferrum* (uncus ferreus, culter, ferrum acutum) *črtadlo*; in aratro *culter*. *črt*, *čert* aptius deduces ab hoc vocabulo, quam a černý.*)

CVII.

1795 — 24. ledna. Durich raduje se z listu Dobrovského, podává zprávu o prosodii, o Fr. Skorinovi a zakončuje různými přáními.

Viennae, die 24 Januarii 1795.

Josepho Dobrowskyo suo Fort. Durich s. p. d.

Multum me, catarrho gravi jam remittente, convalescentem tua epistola recreavit; subtimebam enim te non tam impeditum negotiis, quam vel infirmitate corporis vel fortassis mea culpa intermissi frequentioris commercii literarum factum, ut ne istas a te accipiam, quibus ego tantopere delector. Harum jam lectione refectus constitui mecum sequente die responsorias dare significaturus, quam opportune illas obtinuerim, actu postremum illud inter *Slavinorum* et *Antarum* antiquiorem linguae varietatem intercedens discrimen mente agitando; sed sequenti die in lectulum me *podagra* detrusit. Ut itaque nunc tantisper resurgo, fungor officio tibi debito, primum gratias agens tibi pro compluribus notitiis ad meum institutum pertinentibus, inter quas principem locum occupant *prosodiae bohemicae leges* a te digestae et propediem in grammatica cl. Pelzelii edendae, cui ego valetudinem bonam et constantem huic aliisque operibus perficiendis necessariam adprecor, aeque ac tibi adjutori literatissimo. Vehementi desiderio teneor legendi has leges, faciesque rem mihi gratissimam, si unum exemplar grammaticae, ut primum prodiverit, r. P. Chrisostomo ad me perferendum tradideris, qui pretium exempli, rogo, ut tibi persolvat. Interim sufficiunt mihi, si recte conjicio, tua verba: *Verum neque tu diffiteberis novo fundamento, nimirum tono pronunciationis, superstruendam prosodiam nostram. Hoc principio admisso sperare audeo, quod tibi non displicebunt, quas constitui regulas.* Quod equidem ad principium hoc attinet, sensu *Georgii Constantii* pag. 228. Limae l. boh. et seq. intellectum: Prosodia rżecky, latinč accentus, czesky *přízwuk* slowe: a w skutku giného nic není, než dlauhé neb krátké sylab pronášení — habes tecum omnino consentientem Slavophilum: *Tonum* enim *pronunciationis* pro principio suscipiendum non aliter quam *auctoritate* et *consuetudine* (confer pag. 231 Limae) intelligo. Sed quia tu hoc principium appellas *novum fundamentum*, cupio vehementer ex te rescire, an et quantum a

*) Na šesté straně originálu jest adressa Durichova.

Constantio differas, qui, ut ex pag. 231 colligo, itidem prosodiam bohemicam juxta tonum pronunciationis auctoritate et consuetudine nitentis instruxit, non absque reflexione et consilio aliarum slavicarum dialectorum, velut ipse pag. 234. meminit: *obliqui casus non semper quantitatem sui recti servant.* — *Usus hic debet esse magister.*

Vocativus: Pane, olim erat prima longa et adhuc est apud Polonos et superiores Silesios, a longa Pán. Sed ut noveris, quid ipse de hac parte rei slavicae scripserim, ita accipe: Postquam tuis, epistola mense Augusto data, consiliis obtemperans de antiquioribus linguae discriminibus divisioni nostrae gentis a Procopio et Jordane factae convenientibus cap. III, §. 1: *De divisionibus populi slavonici ejusque ordinibus in populari imperio,* — in hunc modum agere incepissem: »Utar itaque amici observationibus ejusque voluntati et rationi heic obtemperabo in haec verba 6) perscriptae: Unice nunc notis illis generalibus velim, ut attendas aliasque similes addas, aut istis alias meliores substituas,« — tandem subjunxi: »Superest igitur illa discriminis pars omnium maxima, quae *toni diversitate* continetur, cujus tamen vera antiquitas mihi, ut simplicius pro veritate agam, parum cognita, et a scriptoribus slavonicis, quos ego legere potui, non ea ratione adhucdum proposita est, sicut ego nosse desiderabam. Itaque similitudine quadam Graecorum veterumque Latinorum 19), immo et Hebraeorum de slavonicae pronunciationis *tono* ejusque varietate aliquid scripturus, primum expendam stai *A. Gellii* l. XIII. c. 6. verba: »Quas Graeci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes adpellabant.« Nostrae dialecti egregius cultor *Georgius Constantius* 20) majorum, ut opinor, auctoritate inductus, notam seu moderamentum vocis appellat přízwuk (призвкъ), quod vocabulum mihi videtur vim latinae vocis *accentus* habere, atque ipsius rei significatae potestatem melius exprimere, quam illud s. l. lit. grammaticorum 21) **Оу́дареніе** (Udeřenſ) *percussio*, vel dalmaticum *nadſiovak* 22)«. Adductis porro ad sensum Constantii necessariis rebus de indole nostri *accentus* ita subjunxi: »Hoc igitur sensu Slavis Bohemiae unus est accentus *tonicus* similitudine quadam 25) Hebraeorum, qui horum ultimam vel penultimam *acuit*; apud Slavos vero literali dialecto addictos atque nostros, non solum antepenultimam, verum etiam quartam, quintam et sextam a fine syllabam acuere potest. Non ingratam heic me operam facturum puto productis et appellationibus sedium slavicae atque bohemicae voculationis et exemplis.« Heic pono laterculum.

Ex grammatica Meletii desumtum, quod attinet ad nos, quia Constantius sparsim tantum, neque constanter, nec omnes sedes nominat, malui constanter appellare: přízwuk prwní od konce, et sic deinceps usque ad šestý od konce, quam nova vocabula pro sequioribus fingere. Exemplis autem, pro syllaba sexta a fine usus sum národowoditel (**Народоводитель**) a Slavis mutuato nomine, sed propemodum nostro et *moderamento* nostrae consuetudinis (pag. 232. Const.), pro quinta přibuzenstwími. In hoc autem accentuum similitudinem et varietatem inter Bohemos et Hebraeos intercedere asseveravi, quod duorum in eadem voce occurrentium apud nos uterque sit *tonicus*, apud istos *euphonicus* vocetur ille, qui *tonico* in eadem voce praemissus,

linen apud Fenn. literatus. *Kirjoitan*, scribere; *kirjoittaja*, scriptor, etc. Igitur *incidendi* idea subest significatui scribendi. *Keritä*, tondere apud Fennos huc quoque pertinet, uti *svecicum skär*, skärning, *dan.* skaar, (Schnitt, Einschnitt), *skaaren*, (geschnitten). *German. scheeren*, utique scindere, tondere etc. *germ.* sch (ш) ortum ex *sk* suec., dan. et slav. ч, uti notum ex *k*. Ergo *čertati* cum *keritä*, *kirjetet* conferre et illustrare illud hac ratione licet. In bohem. Mamotrecto (adeoque in bibliis) verba *curribus ferratis* exponitur — *črtadlnými*, adject. črtadlný, igitur *ferrum* (uncus ferreus, culter, ferrum acutum) *črtadlo*; in aratro *culter*. *črt*, *čert* aptius deduces ab hoc vocabulo, quam a černý.*)

CVII.

1795 — 24. ledna. Durich raduje se z listu Dobrovského, podává zprávu o prosodii, o Fr. Skorinovi a zakončuje různými přáními.

Viennae, die 24 Januarii 1795.

Josepho Dobrowskyo suo Fort. Durich s. p. d.

Multum me, catarrho gravi jam remittente, convalescentem tua epistola recreavit; subtimebam enim te non tam impeditum negotiis, quam vel infirmitate corporis vel fortassis mea culpa intermissi frequentioris commercii literarum factum, ut ne istas a te accipiam, quibus ego tantopere delector. Harum jam lectione refectus constitui mecum sequente die responsorias dare significaturus, quam opportune illas obtinuerim, actu postremum illud inter *Slavinorum* et *Antarum* antiquiorem linguae varietatem intercedens discrimen mente agitando; sed sequenti die in lectulum me *podagra* detrusit. Ut itaque nunc tantisper resurgo, fungor officio tibi debito, primum gratias agens tibi pro compluribus notitiis ad meum institutum pertinentibus, inter quas principem locum occupant *prosodiae bohemicae leges* a te digestae et propediem in grammatica cl. Pelzelii edendae, cui ego valetudinem bonam et constantem huic aliisque operibus perficiendis necessariam adprecor, aeque ac tibi adjutori literatissimo. Vehementi desiderio teneor legendi has leges, faciesque rem mihi gratissimam, si unum exemplar grammaticae, ut primum prodiverit, r. P. Chrisostomo ad me perferendum tradideris, qui pretium exempli, rogo, ut tibi persolvat. Interim sufficiunt mihi, si recte conjicio, tua verba: *Verum neque tu diffiteberis novo fundamento, nimirum tono pronunciationis, superstruendam prosodiam nostram. Hoc principio admisso sperare audeo, quod tibi non displicebunt, quas constitui regulas.* Quod equidem ad principium hoc attinet, sensu *Georgii Constantii* pag. 228. Limae l. boh. et seq. intellectum: Prosodia řzecky, latině accentus, czesky ***přizwuk*** **slowe:** a w skutku giného nic není, než dlauhé neb krátké sylab **pronášení — habes** tecum omnino consentientem Slavophilum: *Tonum* enim ***pronunciationis*** pro principio suscipiendum non aliter quam ***auctoritate*** **et** *consuetudine* (confer pag. 231 Limae) intelligo. Sed quia tu **hoc principium** appellas *novum fundamentum*, cupio vehementer ex te **rescire, an** et quantum a

*) Na šesté straně originálu jest adressa Durichova.

Constantio differas, qui, ut ex pag. 231 colligo, itidem prosodiam bohemicam juxta tonum pronunciationis auctoritate et consuetudine nitentis instruxit, non absque reflexione et consilio aliarum slavicarum dialectorum, velut ipse pag. 234. meminit: *obliqui casus non semper quantitatem sui recti servant.* — *Usus hic debet esse magister.*

Vocativus: Pane, olim erat prima longa et adhuc est apud Polonos et superiores Silesios, a longa Pán. Sed ut noveris, quid ipse de hac parte rei slavicae scripserim, ita accipe: Postquam tuis, epistola mense Augusto data, consiliis obtemperans de antiquioribus linguae discriminibus divisioni nostrae gentis a Procopio et Jordane factae convenientibus cap. III, §. 1: *De divisionibus populi slavonici ejusque ordinibus in populari imperio,* — in hunc modum agere incepissem: ›Utar itaque amici observationibus ejusque voluntati et rationi heic obtemperabo in haec verba 6) perscriptae: Unice nunc notis illis generalibus velim, ut attendas aliasque similes addas, aut istis alias meliores substituas,‹ — tandem subjunxi: ›Superest igitur illa discriminis pars omnium maxima, quae *toni diversitate* continetur, cujus tamen vera antiquitas mihi, ut simplicius pro veritate agam, parum cognita, et a scriptoribus slavonicis, quos ego legere potui, non ea ratione adhucdum proposita est, sicut ego nosse desiderabam. Itaque similitudine quadam Graecorum veterumque Latinorum 19), immo et Hebraeorum de slavonicae pronunciationis *tono* ejusque varietate aliquid scripturus, primum expendam stai *A. Gellii* l. XIII. c. 6. verba: ›Quas Graeci *προσῳδίας* dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes adpellabant.‹ Nostrae dialecti egregius cultor *Georgius Constantius* 20) majorum, ut opinor, auctoritate inductus, notam seu moderamentum vocis appellat přízwuk (призвукъ), quod vocabulum mihi videtur vim latinae vocis *accentus* habere, atque ipsius rei significatae potestatem melius exprimere, quam illud s. l. lit. grammaticorum 21) **Оу̂дареніе** (Udeření) *percussio*, vel dalmaticum *nadslovak* 22)‹. Adductis porro ad sensum Constantii necessariis rebus de indole nostri *accentus* ita subjunxi: ›Hoc igitur sensu Slavis Bohemiae unus est accentus *tonicus* similitudine quadam 25) Hebraeorum, qui horum ultimam vel penultimam *acuit*; apud Slavos vero literali dialecto addictos atque nostros, non solum antepenultimam, verum etiam quartam, quintam et sextam a fine syllabam acuere potest. Non ingratam heic me operam facturum puto productis et appellationibus sedium slavicae atque bohemicae voculationis et exemplis.‹ Heic pono laterculum.

Ex grammatica Meletii desumtum, quod attinet ad nos, quia Constantius sparsim tantum, neque constanter, nec omnes sedes nominat, malui constanter appellare: přízwuk prwní od konce, et sic deinceps usque ad [illegible] od konce, quam nova vocabula pro sequioribus fingere. Exemplis autem pro syllaba sexta a fine usus sum národowoditel (Народоводитель) a [illegible] mutuato nomine, sed propemodum nostro et *moderamento* nostrae [illegible]tudinis (pag. 232. Const.), pro quinta příbuzenstwími. *In hoc autem* acc[illegible] similitudinem et varietatem inter Bohemos et Hebraeos intercedere ass[illegible] quod duorum in eadem voce occurrentium apud nos uterque sit *t*[illegible] apud istos *euphonicus* vocetur ille, qui *tonico* in eadem voce pra[illegible]

linen apud Fenn. literatus. *Kirjoitan*, scribere; *kirjoittaja*, scriptor, etc. Igitur *incidendi* idea subest significatui scribendi. *Keritä*, tondere apud Fennos huc quoque pertinet, uti *svecicum skär*, skärning, *dan.* skaar, (Schnitt, Einschnitt), *skaaren*, (geschnitten). *German. scheeren*, utique scindere, tondere etc. *germ.* sch (ш) ortum ex *sk* suec., dan. et slav. ч, uti notum ex *k*. Ergo *čertati* cum *keritä*, *kirjetet* conferre et illustrare illud hac ratione licet. In bohem. Mamotrecto (adeoque in bibliis) verba *curribus ferratis* exponitur — *črtadlnými*, adject. črtadlný, igitur *ferrum* (uncus ferreus, culter, ferrum acutum) *črtadlo*; in aratro *culter*. *črt*, *čert* aptius deduces ab hoc vocabulo, quam a černý.*)

CVII.

1795 — 24. ledna. Durich raduje se z listu Dobrovského, podává zprávu o prosodii, o Fr. Skorinovi a zakončuje různými přáními.

Viennae, die 24 Januarii 1795.

Josepho Dobrowskyo suo Fort. Durich s. p. d.

Multum me, catarrho gravi jam remittente, convalescentem tua epistola recreavit; subtimebam enim te non tam impeditum negotiis, quam vel infirmitate corporis vel fortassis mea culpa intermissi frequentioris commercii literarum factum, ut ne istas a te accipiam, quibus ego tantopere delector. Harum jam lectione refectus constitui mecum sequente die responsorias dare significaturus, quam opportune illas obtinuerim, actu postremum illud inter *Slavinorum* et *Antarum* antiquiorem linguae varietatem intercedens discrimen mente agitando; sed sequenti die in lectulum me *podagra* detrusit. Ut itaque nunc tantisper resurgo, fungor officio tibi debito, primum gratias agens tibi pro compluribus notitiis ad meum institutum pertinentibus, inter quas principem locum occupant *prosodiae bohemicae leges* a te digestae et propediem in grammatica cl. Pelzelii edendae, cui ego valetudinem bonam et constantem huic aliisque operibus perficiendis necessariam adprecor, aeque ac tibi adjutori literatissimo. Vehementi desiderio teneor legendi has leges, faciesque rem mihi gratissimam, si unum exemplar grammaticae, ut primum prodiverit, r. P. Chrisostomo ad me perferendum tradideris, qui pretium exempli, rogo, ut tibi persolvat. Interim sufficiunt mihi, si recte conjicio, tua verba: *Verum neque tu diffiteberis novo fundamento, nimirum tono pronunciationis, superstruendam prosodiam nostram. Hoc principio admisso sperare audeo, quod tibi non displicebunt, quas constitui regulas.* Quod equidem ad principium hoc attinet, sensu *Georgii Constantii* pag. 228. Limae l. boh. et seq. intellectum: Prosodia řžecky, latině accentus, česky *přízwuk* slowe: a w skutku giného nic není, než dlauhé neb krátké sylab pronášení — habes tecum omnino consentientem Slavophilum: *Tonum* enim *pronunciationis* pro principio suscipiendum non aliter quam *auctoritate* et *consuetudine* (confer pag. 231 Limae) intelligo. Sed quia tu hoc principium appellas *novum fundamentum*, cupio vehementer ex te rescire, an et quantum a

*) Na šesté straně originálu jest adressa Durichova.

Constantio differas, qui, ut ex pag. 231 colligo, itidem prosodiam bohemicam juxta tonum pronunciationis auctoritate et consuetudine nitentis instruxit, non absque reflexione et consilio aliarum slavicarum dialectorum, velut ipse pag. 234. meminit: *obliqui casus non semper quantitatem sui recti servant. — Usus hic debet esse magister.*

Vocativus: Pane, olim erat prima longa et adhuc est apud Polonos et superiores Silesios, a longa Pán. Sed ut noveris, quid ipse de hac parte rei slavicae scripserim, ita accipe: Postquam tuis, epistola mense Augusto data, consiliis obtemperans de antiquioribus linguae discriminibus divisioni nostrae gentis a Procopio et Jordane factae convenientibus cap. III, §. 1: *De divisionibus populi slavonici ejusque ordinibus in populari imperio,* — in hunc modum agere incepissem: »Utar itaque amici observationibus ejusque voluntati et rationi heic obtemperabo in haec verba 6) perscriptae: Unice nunc notis illis generalibus velim, ut attendas aliasque similes addas, aut istis alias meliores substituas,« — tandem subjunxi: »Superest igitur illa discriminis pars omnium maxima, quae *toni diversitate* continetur, cujus tamen vera antiquitas mihi, ut simplicius pro veritate agam, parum cognita, et a scriptoribus slavonicis, quos ego legere potui, non ea ratione adhucdum proposita est, sicut ego nosse desiderabam. Itaque similitudine quadam Graecorum veterumque Latinorum 19), immo et Hebraeorum de slavonicae pronunciationis *tono* ejusque varietate aliquid scripturus, primum expendam stai *A. Gellii* l. XIII. c. 6. verba: »Quas Graeci *προσωδίας* dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes adpellabant.« Nostrae dialecti egregius cultor *Georgius Constantius* 20) majorum, ut opinor, auctoritate inductus, notam seu moderamentum vocis appellat přízwuk (**призвукъ**), quod vocabulum mihi videtur vim latinae vocis *accentus* habere, atque ipsius rei significatae potestatem melius exprimere, quam illud s. l. lit. grammaticorum 21) **Оу́дареніе** (Udeření) *percussio*, vel dalmaticum *nadslóvak* 22)«. Adductis porro ad sensum Constantii necessariis rebus de indole nostri *accentus* ita subjunxi: »Hoc igitur sensu Slavis Bohemiae unus est accentus *tonicus* similitudine quadam 25) Hebraeorum, qui horum ultimam vel penultimam *acuit*; apud Slavos vero literali dialecto addictos atque nostros, non solum antepenultimam, verum etiam quartam, quintam et sextam a fine syllabam acuere potest. Non ingratam heic me operam facturum puto productis et appellationibus sedium slavicae atque bohemicae voculationis et exemplis.« Heic pono laterculum.

Ex grammatica Meletii desumtum, quod attinet ad nos, quia Constantius sparsim tantum, neque constanter, nec omnes sedes nominat, malui constanter appellare: přízwuk prwní od konce, et sic deinceps usque ad šestý od konce, quam nova vocabula pro sequioribus fingere. Exemplis autem, pro syllaba sexta a fine usus sum národowoditel (**Народоводи́тель**) a Slavis mutuato nomine, sed propemodum nostro et *moderamento* nostrae consuetudinis (pag. 232. Const.), pro quinta příbuzenstwími. In hoc autem accentuum similitudinem et varietatem inter Bohemos et Hebraeos intercedere asseveravi, quod duorum in eadem voce occurrentium apud nos uterque sit *tonicus*, apud istos *euphonicus* vocetur ille, qui *tonico* in eadem voce praemissus,

linen apud Fenn. literatus. *Kirjoitan*, scribere; *kirjoittaja*, scriptor, etc. Igitur *incidendi* idea subest significatui scribendi. *Keritaͤ*, tondere apud Fennos huc quoque pertinet, uti *svecicum skaͤr*, skaͤrning, *dan.* skaar, (Schnitt, Einschnitt), *skaaren*, (geschnitten). *German. scheeren*, utique scindere, tondere etc. *germ.* sch (ш) ortum ex *sk* suec., dan. et slav. ч, uti notum ex *k*. Ergo *čertati* cum *keritaͤ*, *kirjetet* conferre et illustrare illud hac ratione licet. In bohem. Mamotrecto (adeoque in bibliis) verba *curribus ferratis* exponitur — *črtadlnými*, adject. črtadlný, igitur *ferrum* (uncus ferreus, culter, ferrum acutum) *črtadlo*; in aratro *culter. črt*, *čert* aptius deduces ab hoc vocabulo, quam a černý.*)

CVII.

1795 — 24. ledna. Durich raduje se z listu Dobrovského, podává zprávu o prosodii, o Fr. Skorinovi a zakončuje různými přáními.

Viennae, die 24 Januarii 1795.

Josepho Dobrowskyo suo Fort. Durich s. p. d.

Multum me, catarrho gravi jam remittente, convalescentem tua epistola recreavit; subtimebam enim te non tam impeditum negotiis, quam vel infirmitate corporis vel fortassis mea culpa intermissi frequentioris commercii literarum factum, ut ne istas a te accipiam, quibus ego tantopere delector. Harum jam lectione refectus constitui mecum sequente die responsorias dare significaturus, quam opportune illas obtinuerim, actu postremum illud inter *Slavinorum* et *Antarum* antiquiorem linguae varietatem intercedens discrimen mente agitando; sed sequenti die in lectulum me *podagra* detrusit. Ut itaque nunc tantisper resurgo, fungor officio tibi debito, primum gratias agens tibi pro compluribus notitiis ad meum institutum pertinentibus, inter quas principem locum occupant *prosodiae bohemicae leges* a te digestae et propediem in grammatica cl. Pelzelii edendae, cui ego valetudinem bonam et constantem huic aliisque operibus perficiendis necessariam adprecor, aeque ac tibi adjutori literatissimo. Vehementi desiderio teneor legendi has leges, faciesque rem mihi gratissimam, si unum exemplar grammaticae, ut primum prodiverit, r. P. Chrisostomo ad me perferendum tradideris, qui pretium exempli, rogo, ut tibi persolvat. Interim sufficiunt mihi, si recte conjicio, tua verba: *Verum neque tu diffiteberis novo fundamento, nimirum tono pronunciationis, superstruendam prosodiam nostram. Hoc principio admisso sperare audeo, quod tibi non displicebunt, quas constitui regulas.* Quod equidem ad principium hoc attinet, sensu *Georgii Constantii* pag. 228. Limae l. boh. et seq. intellectum: Prosodia řžecky, latině accentus, čzesky *přízwuk* slowe: a w skutku giného nic není, než dlauhé neb krátké sylab pronášení — habes tecum omnino consentientem Slavophilum: *Tonum* enim *pronunciationis* pro principio suscipiendum non aliter quam *auctoritate* et *consuetudine* (confer pag. 231 Limae) intelligo. Sed quia tu hoc principium appellas *novum fundamentum*, cupio vehementer ex te rescire, an et quantum a

*) Na šesté straně originálu jest adressa Durichova.

Constantio differas, qui, ut ex pag. 231 colligo, itidem prosodiam bohemicam juxta tonum pronunciationis auctoritate et consuetudine nitentis instruxit, non absque reflexione et consilio aliarum slavicarum dialectorum, velut ipse pag. 234. meminit: *obliqui casus non semper quantitatem sui recti servant. — Usus hic debet esse magister.*

Vocativus: Pane, olim erat prima longa et adhuc est apud Polonos et superiores Silesios, a longa Pán. Sed ut noveris, quid ipse de hac parte rei slavicae scripserim, ita accipe: Postquam tuis, epistola mense Augusto data, consiliis obtemperans de antiquioribus linguae discriminibus divisioni nostrae gentis a Procopio et Jordane factae convenientibus cap. III, §. 1: *De divisionibus populi slavonici ejusque ordinibus in populari imperio,* — in hunc modum agere incepissem: »Utar itaque amici observationibus ejusque voluntati et rationi heic obtemperabo in haec verba 6) perscriptae: Unice nunc notis illis generalibus velim, ut attendas aliasque similes addas, aut istis alias meliores substituas,« — tandem subjunxi: »Superest igitur illa discriminis pars omnium maxima, quae *toni diversitate* continetur, cujus tamen vera antiquitas mihi, ut simplicius pro veritate agam, parum cognita, et a scriptoribus slavonicis, quos ego legere potui, non ea ratione adhucdum proposita est, sicut ego nosse desiderabam. Itaque similitudine quadam Graecorum veterumque Latinorum 19), immo et Hebraeorum de slavonicae pronunciationis *tono* ejusque varietate aliquid scripturus, primum expendam stai *A. Gellii* l. XIII. c. 6. verba: »Quas Graeci *προσωδίας* dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes adpellabant.« Nostrae dialecti egregius cultor *Georgius Constantius* 20) majorum, ut opinor, auctoritate inductus, notam seu moderamentum vocis appellat přízwuk (**призвукъ**), quod vocabulum mihi videtur vim latinae vocis *accentus* habere, atque ipsius rei significatae potestatem melius exprimere, quam illud s. l. lit. grammaticorum 21) **Оўдареніе** (Udeření) *percussio*, vel dalmaticum *nadslovak* 22)«. Adductis porro ad sensum Constantii necessariis rebus de indole nostri *accentus* ita subjunxi: »Hoc igitur sensu Slavis Bohemiae unus est accentus *tonicus* similitudine quadam 25) Hebraeorum, qui horum ultimam vel penultimam *acuit*; apud Slavos vero literali dialecto addictos atque nostros, non solum antepenultimam, verum etiam quartam, quintam et sextam a fine syllabam acuere potest. Non ingratam heic me operam facturum puto productis et appellationibus sedium slavicae atque bohemicae voculationis et exemplis.« Heic pono laterculum.

Ex grammatica Meletii desumtum, quod attinet ad nos, quia Constantius sparsim tantum, neque constanter, nec omnes sedes nominat, malui constanter appellare: přízwuk prwní od konce, et sic deinceps usque ad šestý od konce, quam nova vocabula pro sequioribus fingere. Exemplis autem, pro syllaba sexta a fine usus sum národowoditel (**Народоводи́тель**) a Slavis mutuato nomine, sed propemodum nostro et *moderamento* nostrae consuetudinis (pag. 232. Const.), pro quinta příbuzenstwími. In hoc autem accentuum similitudinem et varietatem inter Bohemos et Hebraeos intercedere asseveravi, quod duorum in eadem voce occurrentium apud nos uterque sit *tonicus*, apud istos *euphonicus* vocetur ille, qui *tonico* in eadem voce praemissus,

suaviorem pronunciationem efficit, quae in exemplo quintae sedis facile percipitur, ubi Adonici carminis numerus continetur. Ceterum de hac parte antiquioris discriminis malui minus timide, quam plus dubia fiducia scribere usus exemplo: Pane! collato cum animadversione A. Gellii lib. XIII. c. 25: *Sed, si quis nunc Valerium adpellans, in casu vocandi secundum id praeceptum Nigidii acuerit primam, non aberit, quin rideatur.* Occasione vocis *pán* tibi notum facio, me illam cap. II. §. 6. De vocibus Slavorum Antepropianis, suggerente profess. Altero comparasse cum *adverbio πάνυ*, dum articulo jungitur, tunc enim prorsus eandem vim significandi habet, qualem apud nostros majores habuit, ut vel maxime duobus locis nimirum lib. VI, 15 Thucydidis de bello Peloponnes. et lib. VIII, sub initium constat: »Hoc autem tantae cladis nuntio Athenas allato, Athenienses diu ne *praecipuis* quidem militibus (τοῖς πάνυ τῶν στρατιωτῶν), qui ex ipso proelio evaserunt et aperte nuntiarant, fidem habuerunt.« Superiori loco Alcibiadi *summus ordo* dicitur τὸ πάνυ ἀκριβές; nostris majoribus tantum summi ordinis viri dicebantur *páni*.

Sed jam tuae voluntati satisfacere debeo: Scire cupis, quo anno tomus ille, quem *Stritterus* descripsit, vers. russ. Skoriniannae &c. impressi sint. — Quod memoras de Strittero, fortassis nominare volebas Simonem *Starovolscium*, ex cujus libro inscripto: *Ἑκατοντὰς seu centum illustrium Poloniae scriptorum elogia et vitae*. Francofurti a. 1625. 4. N° XXXIX de *Joanne Glogoviensi* agens, ita scribit (in margine): »Anno 1430 multos in Moschovia sacrae Scripturae libros in *sclavonicam* ab illo linguam translatos vidimus, impressos vero Cracoviae sumptibus Jo. Haller civis Crac. — Similiter lustravimus libros doctore Francisco Scorina Polocense interprete Pragae excusos.« Nulla anni editorum a Starovolscio mentione facta, sufficiat annus editionum existentium in bibliotheca excell. d. Andreae Bacsinszky, epis. Munkacsiensis, Unguarini et in **Опытъ Трудовъ** parte 6. recensitarum: nam annus in marg. 1430 exempli Francof. huc traduci non potest. In *Opyt trudow* a pag. 177 sub num. VII. opuscull. hac parte 6[ta] contentorum, qui hanc inscriptionem habet: **Описаніе перваго изданія въ печать и перевода на Россійскій языкъ священной Библіи, въ 1517—1518 годахъ**, usque ad pag. 195, a qua sub num. VIII hujus inscriptionis: **Разсмотреніе Славенской старопечатной книги Апостола, которая справлена докторомъ Франциском Скориною изъ Полоцка, напечатана въ Вилнѣ 1525 году въ четверть листа** (in 8°) incipit alia recensio usque ad finem partis hujus pag. 204 desinentis. Itaque Vet. T. libri hoc ordine recensentur, quorum quisque subscriptionem factae editionis habet, ut recensens testatur. Ita vero sub finem quinti libri Moysis, qui I[a] parte, formae 4[tae] continentur, totius Pentateuchi excusi fit mentio: **Докончаны суть пятыя книги Моисеовы** — sed heic rec. non ponit nomen interp. nec chronol. edit., verum sub finem Genes.: **Повелѣніемъ и пилностію ученого мужа въ лекарскихъ наукахъ Доктора Франциска Скорины съ Полоцка. У великомъ месте Празкомъ по лѣтѣхъ воплощенія тысещного пять соть деветь на і.**

II[a] Pars hujus recensionis: 1° **Четыре книги Царствъ**, heic in subscript. additur: **У Великомъ Старомъ месте Празкомъ.** (a. nati Verbi divini 1518.

integre script. m. Augusti die 10. 2º **Книга Юдиѳь** a. 1519. Febr. dnja 9. 3ⁱᵒ **К. Есѳирь** — eodem anno. 4º **К. Руѳъ.** 5º **К. Іова**, heic in subscr. iterum: **У Старомъ месте Праз.** a. 1517. Sept. d. 10. integr. script. 6º **Пророка Даніила.** Heic recens. dicit partem 2ᵈᵃᵐ Bibl. russ. finem habere, quamquam indicia habeantur Scorinam alios quoque libros, e. g. Prophetarum et Ecclesiastici vertisse, ut ex praef. in Danielem et altera praef. in Esther constat. Fallitur autem in subjunctis verbis rec. Backmeisterum primum fuisse, qui versionis hujus notitiam dederit (ob superius dicta de Starovolscio), nisi melior notitia subintelligatur. Nec ejusdem rec. contraria opinio Backmeisterianae sententiae de Praga Boh. quidquam valet, quod ei constet in Bohemia literis russ. sive slavonicis libros non fuisse impressos. Quod autem huic viro non videtur verosimile, cur Scorina Pragae potius hanc versionem imprimi curaverit, mihi propemodum necessarium videtur expensa ratione archetypi, nimirum Vulg. lat. et discip. ecclesiae russicae, vers. τῶν ό pro Ecclesiastica suscipientis, quam inde a SS. PP. Cyrillo et Methodio constanter tum uniti tum non uniti servant. Suspicor etiam facilius Scorinam potuisse hanc editionem Pragae adornare subsidio versionis glagoliticae juxta Vulg. concinnatae. Superest igitur examen criticae collationis. Porro, poterat Pragae Pentateuchus Hebr. tam eleganter inprimi, ut is in Bibl. Caes. servatur, cur non slavonicus etiam in eadem urbe veteri? Sed jam coarctor angustia chartae quibusdam rogationibus adhuc necessaria.

Vehementi gaudio me affecisti notitia duorum alumnorum eccles., qui Slavica, praeprimis Russica amant, quorum odam (Cheraskovii) bohemice redditam, item carmen illius eccles., quod Zlobiczkyo misisti, meis impensis grammaticae vestrae adjunge. Saluta hos Slavophilos meo nomine quam humanissime; et postquam responsorias ad me literas dare potueris, quaeso! nomina,*) cognomina, patriam et quae necessaria sunt cognitioni literariae perscribe, ut vol. III. c. XVII. eorum memoriam posteritati tradere possim.

Perscribe etiam, quomodo scientiae bohemicae novo professoris subsidio augeantur te, velut nostro Bacone *augmentum* promovente. Cuperem etiam ex te rescire, an ille parochus Libunensis, de cujus bibl. cl. Jarosl. Schaller (quem humaniss. saluto) Bunzl. Kreis, pag. 66, adhuc vivat. Episcopi Apollos expos. epist. jam mecum communicasti. Pro aliis notitiis gratias ago, cum primis ad hist. slavon. alph. Danielis Printz. Sed *Raymundi Zamagnii*, ord. Praed. a. 1647. illyricae orthographiae regulas vulgatas Venetiis per Ginamos a. 1639, ut Dolcius refert in Fast. Ragus. non possum investigare: facies mihi rem gratissimam, si me de isto opere melius edocueris, quam Dolcius ille. Vale quam optime atque tuo sinu conserva Saluta amicos et parce celeriter scribenti nec relegenti epistolam.**)

---

*) Dobrovský připsal po straně: Anton Puchmayer von Moldauteyn 4ᵗⁱ anni, Anton Pischely von Leutomyschl, 4ᵗⁱ an.

**) Na šesté stránce originálu nalézá se adressa Dobrovského.

CVIII.

1795 — 1. února. Dobrovský oznamuje zásilku svého článku o české prosodii, pojednává o přízvuku, vykládá slovo *pán*, zmiňuje se o Fr. Skorinovi a zakončuje svůj list drobnými zprávami.

Die 1. Febr. 1795.

Fort. Durichio veterano amico suo s. pl. Jos. Dobrowsky.

R. P. Chrysostomo dedi ante hesternum tibi mittendas plagulas gramm. boh. jam impressas, ut possis doctrinam de *tono* inde haurire omnino *novam*, quam jam ante abitum meum in Russiam in chartas conjeceram. Huic superstructam prosodiam boh. videbis. Miraberisque rem tam palpabilem a nemine clare et distincte propositam. Nostri, uti et Constantius, productarum et correptarum vocalium rationem habuerunt ita, ut plane de tono, qui vocis cujusque pronunciationem moderatur, nihil subolfacerent. Lege sis Adelungii caput, in grammaticae opere vastiori, de tono germanicarum vocum. Galli fere ultimam acuunt: bonté, ferméz, etc. etc. Finni primam semper acuunt in omni voce, quos Angli fere imitantur; maxime autem nos Bohemi et cognati nostri; non item Russi. De istorum tono nuper *Heum* in gramm. russ. Mosquae primum, tum Rigae edita recentissime, egit; et dn. J. C. C. Rüdiger im neuesten Zuwachs der teutschen, fremden und allgemeinen Sprachkunde — 5tes Stück, Halle 1793. 8. pag. 224: »Da nun gleichwohl überhaupt alle slawische Sprachen für leicht singbar gehalten werden, so ist das der Fall am vorzüglichsten in Absicht der Russischen. Dazu kommt endlich noch ihr *Ton* oder Sylbenfall, der von unsrem Teutschen abweicht. Gewöhnlich setzen wir ihn daher falsch in der Aussprache russischer Namen. Die zweisylbigen, wie *Panin* und *Repnin*, haben ihn auf der ersten, und müssen nicht französisch am Ende steigend ausgesprochen werden. Dreisylbige, wie *Lepechin, Pultawa, Demidow, Potemkin* haben ihn immer auf der vorletzten Sylbe, welches auch wohlklingender ist, als wenn nach teutscher Art die beiden letzten Sylben kurz nachgeschleppet werden. In der weitern Ableitung aber und Zusammensetzung der Wörter ist *bisweilen* der Ton unveränderlich auf der *Grundsylbe*, wie im Teutschen, z. B. drug, Freund, drúschba, drúschestwo, Freundschaft, drúschestwenniij (iij pro ый), freundschaftlich, nédrug (errore: nam h. loco sequens nedrúschba poni debuit), Unfreund; bisweilen aber wird er nach französischer Art verrückt, wie nedrúschba (hic scribi opportuit: nédrug, cum a syllaba radicali retrahat tonum in primam), Feindschaft, podruschíť, versöhnen, glás, die Stimme, glassít, schreyen u. d. gl., welches auch wieder eine desto wohlklingendere Mannigfaltigkeit verursacht.« Cum Russis convenire Slavos Servios etc. magis, manifestum est. Nos Bohemi, Sorabi seu Lusati (superiores certe) nobiscum faciunt, longe aliam legem sequimur. Poloní ad nos accedunt. In pronuncianda voce **харошò** quotidie erravi in Russia, eam ut dactylum efferendo, cum acui debeat in ultima. Sic narod male pronunciavi, cum *narod* Russi malint etc. etc. Quotidie objiciebatur, me vocabula quidem in promptu habere, sed non recte pronunciari. Sed regulis a grammaticis statutis acquiescere non potui. Praecipue

ultimas acui, ut in paradigmate declinationum videre est, mirabar; nam graves \`, qui pinguntur, revera acuti sunt; discrimen inter ´ et \` calligraphorum inventum est. Nos constanti lege primam sive longam sive brevem, habita ratione productarum aut correptarum vocalium, *acuimus*, h. e. elevamus supra sequentes syllabas, more *Finnorum*. Hebraeos ego non nominassem, cum de vera *viva* pronunciatione non satis constet nobis. Sed nec Latinorum et Graecorum, uti quidem *nos* pronunciamus, acuendo in bissyllabis, e. gr. semper penultimam: cáno, quod certe malum est, cum Virgilius: árma virúmque canó, certe ultimam acuerit. Lex toni nostra in simplicibus convenit cum lege Germanorum, nam prima syllaba semper radicalis est, fundamentalem notionem ingerens. Russi hanc legem respuunt et adjectitias formas, in praeterito *il*, in infin. *it*, in deminutivis *ok* acuunt, deprimendo priorem principaliorem syllabam. Rectius nos: dómek (´ hic non productam vocalem, sed duntaxat tonum elatiorem syllabae denotat), quia dóm (dům). Idem de inflexionibus casuum sentiendum. Prodidit igitur *Constantius* his verbis: *obliqui casus non semper quantitatem sui recti servant* (Pane, Pán), se nec ideam toni habuisse cum regulas suas solummodo productiori et correptiori pronunciationi vocalium superstruxerit, nullam toni rationem habuerit. Etiamsi enim in pane, panugi, panowání, panowník, *a* non signetur accentu, h. e. circumflexo, quem nos ut acutum pingimus, atque adeo *a* raptim enuncietur, tamen in omnibus his vocibus majori vi, energia, elevatione vocis effertur syllaba prima *pa*, quam sequentes, sive producantur sive corripiantur; omnes enim depressius ac minori vi efferuntur. Sed tu ista ex regulis *toni* facillime cognosces.

Promisit dn. Pelzelius, se Cheraskowii odam adjuncturum gramm. suae, ob id maxime, quod magister Puchmayer prosodiae novae regulas secutus sit. Spero placituram tibi.

Quae de voce *πάνυ* monueras, non videntur abludere a vero. Apud *Celtas penn*, caput est, inde Latinorum *pinna*. Sed et apud Ungaros *fön* et *fen* idem est, ac *alte*, superne, sublime, *hoch*; inde *föne pec*, summates, primates. Goth. *fan* huc quoque spectat; (adde פנים Oberfläche) atqui et Persarum *Artabanus*, magnus dux; *Banum* Croatiae non excipio. Apud Mungales, teste Strahlenbergio p. 44, 46 *Wann* et *Uvann*, principem, ducem, significat populosque tali principi subjectos Russi inde *Wanski*-ludi appellant. Utrum suecicum *bonde* huc spectet, nescio; idem de *band* anglico in *husband*, maritus, herus, sentias. A Suecis priori significatu acceperunt fortassis Lappones; apud hos enim *bånda* (lege *bonda* et *ponda*) est *herus* et speciali significatu *dives*, *opulentus*; inde verbum *båndot* ditescere, *båndotak* divitiae. Lithuanorum *Pónas* (dominus) tibi notum est; hi enim non nisi radicibus slavicis terminationes suas adjicere solent. Vides jam, quam late pateat nostrum *Pan*.

Stritterus auctor est recensionis illius (2[dae]) partis seu volum., quod Mosquae servatur. Nimis tu diligens esse soles in recensendis, quae a te petere soleo. Hoc solum rogo, ut significes, num praeter libros Regum, omnes reliqui libri, puta: Judith, Esther, Ruth, Job, Daniel, uno isto Mosquensis archivi volumine, quod manibus tractavi, contineantur, quod ex recensione dicta facile erues. De 3[tio] vol., quod Vilnae impressum est, non sum

adeo nunc sollicitus. Qua ratione acciderit, ut Pragae imprimerentur hi libri opera Skorinae, indagandum erit. Non credo extitisse Pragae glagoliticam (uti nec alibi) versionem integrorum librorum *juxta Vulgatam*, quae enim fragmenta ex Emaus supersunt, contrarium evincunt. Sigismundus rex Pol., qui nec ritus acatholici homines respuebat, auctor aut promotor hujus operis fuisse videtur. Pentateuchus et qui ante eum hebraici libri impressi sunt, certe ad Poloniae Judaeos pervenerunt. Anno 1515 Sigismundus rex Viennam concessit, de quo conventu auctores varii scripsere. Ibi Sigismundus Ludovici, regis Boh., tutor constitutus est; an. 1516 Venetias misit legatos, movendi belli contra Turcas causa. Polonos misisse utique dubium non est; arbitror ego inter hos et *Scorinam* fuisse; ibi typos fundi curavit et apportavit. Tumultibus in Polonia ferventibus tutius erat paulum commorari Pragae et illaborare operi. Abiisse tandem, dum Bohemi tutorem Polonum aspernarentur, clarum est. Chartam hic certe facilius comparare poterat, quam in Polonia.

(Occurrit suopte Alexandriam in Polonia urbem esse, ibi fortasse fabricabatur olim charta ea, quam Russi Alexandrinam vocant.)

Alumnorum nomina baptizmalia perscribam proxime, Puchmayerus Wltawo-Tynae natus est, Pissely alter Litomyslio; nisi me juvenes hi, quorum ego poetica pericula legi, atque *vi*(rgula) censoria notavi, flagitassent summopere, vix ego de prosodiae regulis scribendis hoc anno cogitassem. Quae de tono jam habui parata, communicavi olim, ut haberent saltem principium certum, quod sequi in condendis versibus oporteat.

R. patrem et parochum *Max* credo vivere adhuc. Scribam autem proxime Regino-Hradecium. Vidi ego ipse ejus bibliothecam mediocriter instructam. Raym. *Zamagnii* regulas orthogr. non novi.

Estne dn. Blandow apud vos? Nihil de eo scripseras. Abitum ejus mihi significa.

Occurrit commode *žru*, offerre holocausta, a žhu deduci posse, propterea, quod *h* et *ž* mutetur in *r*; mohu, apud Croat. *morem*, řeřawý nostrum pro žežawý aut žžawý, žebro pro řebro etc.

Item *fen*, alte, et *ἄντα* significatu convenire. Tacitus Fennos novit, Antas nondum nominavit, sed Venedas. Vale meque amare perge. Saluta Vindob. amicos.*)

CIX.

1795 — 22. února. Durich děkuje za českou prosodii a zmiňuje se o ní, pojednává o přízvuku, oznamuje odjezd S. F. Blandova z Vídně, zmiňuje se o Skorinových vydáních a podává zprávu o slovanských příslovích.

Viennae, die 22. Febr. 1795.

Jos. Dobrowsky suo Fortunatus s. p. d.

Gratias tibi habeo maximas pro jam obtento exemplari tuae novae prosodiae et grammaticae Pelzelii fortassis etiam tuae, cujus pretium ut a P. Chrysostomo repeteres, te in praeterita epistola interpellavi. Eruditionis novae cupidus ingenti gaudio statim ad prosodiae lectionem accessi et jam

*) Na šesté stránce originálu jest adressa Durichova.

sub principium §. 1 intellexi simile quidpiam huic meae opinioni, quam cap. III, § 1 de divisionibus et ordinibus populi slavonici perscripsi: »Superest igitur illa discriminis pars omnium maxima, quae *toni diversitate* continetur, cujus tamen vera antiquitas mihi, ut simplicius pro veritate agam, parum cognita et a scriptoribus slavonicis, quos ego legere potui, non ea ratione adhucdum proposita est, sicut ego nosse desiderabam.« Et interpositis duabus paginis subjunxi: »Si tamen conjectura sequiorum temporum rationibus innixa in assignando quodam generico discrimine accentus uti mihi liceat, hanc inter slavicae gentis majorem populum Bohemorum 30) et inter Russos atque Serbos lit. dialecto addictos varietatem observo: Bohemo-Slavi *naturali quadam consuetudine aut conatu 31) correptam syllabarum aequali brevitate pronunciationem* magis quam productam amantes, in trisyllabis vocibus penultimam breviter frequentius enunciant quam Russi et Serbi eandem saepius producentes, ut isto specimine vocabulorum demonstratur: ab his nominum надѣ́а, надéжда, *spes*; наéмникъ, *mercenarius*; оу҆чи́тель, *doctor*; нáѹка, *doctrina*, *scientia*, penultima acuitur; a nostris breviter profertur tono in antepenultimam reducto: náděge, nágemník, učitel, náuka; ubi et hoc animadvertendum occurrit: in compositis *nominibus* ex praepositione на apud Bohemos ut plurimum hanc particulam accentu signari; apud istos nunquam inveni laudatam praepositionem moderamento notatam, excepta voce unica russ. нáсыпь, quae nobiscum tono et significatu convenit, násyp vallum. Verba autem ex eadem praepos. на composita in singulis tribus dialectis accentum in praepositione regulariter non sustinent, quo consensu inductus puto, Bohemos in laudatis exemplis voculationem a serbica et russica enunciatione diversam serius notasse — id inquam, si substantiam spectemus, a tua reg. §. III. non adeo diversum est, nisi exceptione, donec tu me perfectius erudiveris. Nam, licet mihi tuus diligentissimus in observanda toni bohemici natura conatus et in figenda prosodiae nostrae meliori cognitione industria omnino placeat, quam, dum illa scriberem, omnino ignorabam; tamen, nescio qua tarditate ingenii mei tuam in assequendo et in proponendo toni bohemici vero intellectu facilitatem, ut scripsisti, ubique comprehendere non valeam. Et primum quidem immediate haereo in cognoscendo sensu N. 75, si enunciatione horum exemplorum bylina — me ipsum probem, an practice sensum expositi toni assequutus fuerim: nam dum conor primam syllabam diversa enunciationis mensura proferre a duabus consequentibus (mit einem vorzüglichen Nachdruck), statim incido in peregrinitatem enunciationis. Idem observo in tentamine pronunciationis compositi vocabuli potrawa; magis vero in enunciatione vocum nádawek et nadáwám, namáčím, si velim juxta regulam 2. verba itidem ut illud nomen scandere. Scribis equidem in epistola: *Nos constanti lege primam sive longam sive brevem, habita ratione productarum atque correptarum vocalium*, **acuimus**, h. e. *elevamus supra sequentes syllabas, more Finnorum.* Sed hoc ipsum est (ex animo meam tarditatem fateor), quod ego comprehendere non valeo, quomodo constanti lege primam sive longam sive brevem **acuere** seu elevare possim NB servata enunciationis consuetudine, cum in his exemplis: na tom stálo, giž se stalo, si *constanti lege elevem primam*, nullam observem enunciationis diversitatem; quum tamen

consuetudo diversitatem praecipiat: si diversitatem pensi habeam, et *á* prioris exempli producte enunciem, *a* vero posterioris corripiam, non servo constantiam legis in *elevatione*; sed alterum *summo* tono, *dejecto* alterum profero. In his itaque amicum erudiri cupientem instrues, ut suo possit vol. II. fungi officio, quorsum lectorem remisit sperans futurum, ut tui novi operis prosodia, bohemo-slavica res literaria illustretur. Nosti animum, qui Plinii junioris ducitur sententia: nescio, quomodo in studiis hominem magis timor quam fiducia decet. Ceterum spectata rerum aliarum *tui operis* veritate, ingenue confiteor, mihi tuam industriam, immo anchiniam, non tantum placere, verum etiam admirationi esse. Sed nunc ad res tuarum epistolarum reliquas progrediar.

Praestantissimus amicorum tuorum d. Blandow, ut ex d. prof. Zlobiczkyo accepi, die 10. Januarii primum Vienna discessit itinere per Imperium directo.

Quod scire volebas ratione editionis Skorinnianae, praeter libros Regum, omnes reliqui libri, puta: Judith, Esther, Ruth, Job, Daniel, uno isto Mosquensis archivi volumine 2do continentur: ita enim huic 2do volumini data inscriptione hoc colligo: 2. **Часть сей Россійской Библіи содержитъ** 1°. libros quatuor Regum, 2. Judith, 3. Esthir, 4. Ruth, 5. Job (**Іова**), 6. Daniila. Et sub finem hujus recensionis iterum mentio fit hujus exempl. in archivo Mosq. servati.

Collectionis 4291 proverbiorum russicorum, Mosquae 1787. tertium editorum, mentionem in praeteritis epistolis nunquam fecisti. Sed, quum scribas: mone, si placet de singulis; utar igitur tua promtitudine animi et, quae meae fuerint in hoc genere studiorum investigationes, prius referam, ut scias, quid mihi cognitum sit; postea interpellationem addam. Merito scribis: ***Dolendum autem usum proverbiorum non explicari.*** Licet multa sint etiam in nostris collectionibus peregrina, tamen magnam partem ***philosophiae popularis*** in se continent; et hujus causa maxime in conspectu vol. IV. caput XXII. inscripsi: Specimen popularis philosophiae Slavorum in l. liter. et ***bohemica*** observatae; ut praeter philosophiam popularem Slavorum in singulis verbis comprehensam sectione I., eam, quae junctis verbis continetur, antiquissimis proverbiorum apud Slavos et cum primis Bohemos speciminibus tantisper exponerem sect. IIa; non tam iis, quae in recentioribus collectionibus continentur, quam istis, quorum in antiquioribus scriptoribus vestigia invenire potui. Hanc sectionem IIam ita divisi: §. 1. De nominibus notionem proverbii slavica appellatione significantibus. §. 2. De antiquioribus slavicae gentis scriptoribus, qui proverbiorum suae nationis meminerunt speciminibus producers. §. 3. De collectoribus proverbiorum universae Slavorum gentis. §. 4. De vario discrimine in proverbiis Slavorum faciendo causa religionis, provinciarum, temporis, imitationis aliarum gentium, proprii ingenii atque attentionis ad causas naturales et vel maxime causa historiae patriae. §. 5. De causis et philosophia proverbiorum slavonicorum. §. 6. Specimina ingenii et consensus proverbiorum slavonicorum cum orientalibus. §. 7. De archaeologia, grammatica proverbiorum slavonicorum. Quod ad nomen attinet (§. 1), exempla vocabulorum [illegible], dalm. *[illegible]*, bohem. přísłowí videntur mihi redolere magis originationem latini *proverbia*, adeoque a latinis doctoribus

profectam, quam graecae imitationis. Sed qua radice? puto a кѣщаю, unde sit кѣща et in compositione contractio прища, dalm. enuntiatione прича; nostrum antiquum wece k swemu zboru, nosti et varietatem τοῦ щ.

Nisi forte melius a verbo ищѫ notationem deducere quis vellet, ab *inquirendo* in *obscuram sententiam*; sed tu forte noveris meliorem originationem et praesenti voce přislowí aliam antiquiorem appellationem. Nostri profecto majores *pagani* proverbiis usi sunt: Komuž co bohowé dadií, aniž mu toho bráti sluſſné gest. Hagek; item: Kam se to podielo a od koho ukradeno, aniž by to Kaſſa uhodla — potuit itaque apud Slavos antiquius quodpiam vocabulum proverbii vigere. Nestor jam proverbium patrium adduxit pag. 6., vocabulo autem притча usus est; noster Dalemilus pluribus usus est, ut cap. 3. pag. 19. edit. Prochaskae: Neboť gest wila muž &c. cap 44. p. 159: Málo srſſnův mnoho much zapuzie &c. Et NB. illud p. 70. p 249. ab historia patria ductum: Spíſſe oráč dobrým knížetem bude &c. Cap. 59. p. 211. Tehdy sekyra na se *dlubni* &c. Conf. долбна.

Ctibor de Cimburg in illo opere noto: Hádání Prawdy a Lži &c. saepe proverbiis utitur, praemissa subinde hac formula: Neb geſt ſtaré příſlowí, ut cap. 43, quorum licet peregrinitas appareat, velut istius cap. 14: Žádný newií, kde koho ſtřewiic *hnicte*, než kdoz w niem chodií — tamen loquendi forma observatione digna est. Sed insunt etiam specimina patriae consuetudinis, ad tuam animadversionem pertinentia de tribus russicis a *kaſsa* proiatis: ita enim Ctibor cap. 53: že mne k kaſſy woláte, snědue napřed zwieřinu. Non equidem possum de sententiarum russicarum acumine loqui, postquam tu judicium protulisti; sed non miror ab hoc ciborum genere Slavis majoribus usitatissimo esse proverbia etiam apud nos: nosti enim Leonis Sap. in *Tacticis* dictum de re cibaria Slavorum: *Utebantur autem ad victum milio.* Conf. Kollarium in Amoenit. hist. jur. publ. r. Ungariae vol. II. sect. VI. cap. II. Sed, cum каша sit antiquum nomen apud Slavos pridem usitatum, putasne omnino slavonicum esse? Ego hujus vocis usum orientalem esse puto audiamque prius tuam opinionem. Nunc ad collectores proverbiorum slavicarum gentium progrediar, cum nesciam, an tibi sint noti.

›*Salomonis Rysinii* Russi, qui a Caspare Scioppio in arte critica Pantherus vocatur summisque efertur laudibus ob excellens ingenium: Proverbiorum polonicorum Centuriae decem et octo, Lubecae ad Chronum in officina Petri Blasti Kmitae. 1618. in 4°, quae Gregorius Cnapius in Thesauri polono-latino-graeci tom. III, quo adagia polonica complexus est, maximam partem transtulit; ut ut nomen Rysinii silentio praetereat.‹ Ita Dan. Hoffmannus de typograph. earumque initiis in Polonia et Lithuania p. 47. *Bernardi Giorgi* S. J. Collectio proverbiorum illyricae linguae refertur a Sebastiano Dolci in Fastis literario-ragusinis; sed sine notitia editionis, ubi locorum et quo anno. Ejusdem Dolcii identidem jejuna est recensio: *Stephanus Benessa explanavit versibus omnia illyrica adagia.* Si quid melioris notitiae habes de his duobus, doce, abs te erudiri cupientem. Nostrarum collectionum memoriam fecit Dobnerus, sed quo loco, nunc mihi non occurrit; notae autem sunt mihi editiones Prag. 1582. 8°. Olomucensem habet prof. Zlobiczkyus; tu fortassis plura de his nosti.

Parce, quod citius respondere non potuerim et inchoatam epistolam primum hodie 5. Martii ad finem deduxerim nec enim Bibliothecam rursus adire potui et adhucdum misere procedo. Sequor tuum consilium et lego nunc Adelungii grammaticam magisque incipio assequi sensum tuarum regularum, ex illius opere desumptarum; sed alicubi haereo tamen, de his vero alia vice perscribam. Vale interim quam optime tuoque sinu fove te intimo affectu complectentem amicum. Parce celeriter scribenti et epistolam non relegenti.

CX.

1795 — 15. března. Dobrovský pojednává o přízvuku a o slovanských příslovích, zmiňuje se o novém vydání básní, podává ukázku z legendy o desíti tisících rytířů, zmiňuje se o Zlobickém a o »knížce rýmovní«, vydané v Litomyšli.

Pragae, 15. Martii 1795.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Grammaticam boh. impensis suis editam offert tibi cl. Pelzelius ceu munusculum literarium. Quae cap. III. §. 1. de toni diversitate perscripsisti, non omnino cum iis, quae ego de tono sentio, congruunt. Patere pro modestia tua, ut pauca hic notem. Videris tu mihi confundere *tonum* cum syllaba seu vocali producta; ais enim: »in trisyllabis vocibus penultimam *breviter frequentius enunciare* (Bohemos) quam Russos et Serbos eandem *producentes*: exempli causa in učítel, naúka, penultima *acuitur*, a nostris *breviter profertur*, tono in antepenultimam reducto: náděge (atqui meliores auctores naděge a brevi scribunt). Posito discrimine inter vocales longas et breves, quae tonum quidem afficiunt, sed non constituunt, vocare licet longas *productas*, non acutas; nam *τὸ acuere* etiam brevibus commune est. Penultimam a Russis in trisyllabis *produci*, non potest asseri, sed e vero dici potest, penultimam quandoque *acui*. Discrimen enim productarum et correptarum vocalium ne norunt quidem Russi, quod nos accurate observamus. Immo Moravos novi, qui vocales non producunt, sed omnes aequali mora proferunt. Accentus ergo Russorum nihil habet commune cum nostro super á, é etc. Tonum enim simpliciter indicat, nulla habita ratione vocalium productarum aut correptarum. Quae igitur monuisti de trisyllabis, ita meo quidem judicio concipienda et enuncianda erant: *Cum apud Bohemos tonus sedem* immutabilem habeat in prima omnium vocum syllaba, penultima in trisyllabis nunquam *acui* (tono affici) potest; solet autem quandoque apud Russos, cum apud eos tonus variet jamque primam, jam mediam, jam *ultimam occupet.* Nobiscum quoad sedem toni conveniunt Lusatae superiores, docente me per literas d. Anton. De Russorum tono ejusque varia sede aliqua habet d. *Heym*, cujus grammatica jam 2do Rigae edita est. Primam editionem ab auctore Mosquae accepi. Confirmatusque sum in iis, quae ante iter russicum jam Olomucii de tono nostro scripseram, quae facilius intelligi potuissent, si ea Pelzelius latius explicare voluisset. Spero tamen, etsi tarditatem ingenii incuses tui, te jam assecuturum sensum et intellectum *toni*, quatenus is et longas et

breves vocales afficere potest. Cum enim juvenes nostri, quibus viva voce energiam in enunciandis primis syllabis vocum bohemicarum exhibere, uti musici suum *forte* et *piano*, licuit, praecepta prosodiae facillime caperent versusque secundum ea compositi aurem suavius afficiant, quam ii, qui his praeceptis contrarii sunt: non audeo omnino desperare, quin tu aliquando probaturus sis ea, quae omnium Bohemorum recte voces nativas pronunciantium consuetudine nituntur, quam quidem, quia quasi innata censeri potest, non omnes aures advertunt. Et nec meae unquam observassent, si non aliarum linguarum tonum antea diligentius examinassem et quasi otii fallendi causa nostras voces cum peregrinis contulissem. Pronuncia, quaeso, *lucerna* dices Latinos producere mediam, Bohemos corripere, sed quaero porro, quaenam ergo trium istarum correptarum syllabarum *fortius* effertur, i. e. majori *vi*, *nisu*, *energia*, *vocis elevatione* (non mora, non productione, omnes enim ratione vocalium breves sunt apud nos)? Certe respondere cogeris, cum *aequali intensione* plures syllabae nulla in lingua efferri possint, *primam* fortius sonare, h. e. tono affici. Plectrum, quo chordae pulsantur, fortius et lenius si vibres, aequalem moram producere potes; immo fortiori pulsu notam musicam integram, mediam, $^1/_4$ et $^1/_8$ efformare licebit, uti et leniori. Sed nota integra leniori pulsu producta longior quidem erit, ratione morae, non tamen fortior, neque acutior: na tom stálo — giž se stalo, si constanti lege *elevem* primam, ais tu, nullam observem enunciationis diversitatem. Respondeo: elevatur prima in *ſtálo*, elevatur item in *stalo*, producitur autem in *stálo*, corripitur in *ſtalo*. Atqui et vocales longae et breves tono affici possunt, cum tonus a mora non dependeat, sed ab energia pronunciationis; stalo enim si Germanus scribere deberet, orthographiae suae sequens praecepta, *stallo* scriberet comprehenderetque nostras vocales correptas, tono affectas, eadem vi efferri, qua Germani efferunt syllabas *Stall*ung, *stell*en etc. Idem de *ráda* et *rada*, consilium, sentias velim. Primum tono producto, alterum correpto effertur, pro ratione vocalium. Aliud enim est *acuere*, *elevare, intensius* efferre, aliud producere vocalem. Igitur nádawek habet tonum in prima simulque productam vocalem; nadáwám, namáčím habent tonum in prima (correptum tamen) et sequentium syllabarum productas quidem vocales, quae tamen *lenius*, *depressius*, *minori intensione* (etsi longiori mora temporis, i. e. tardius) efferuntur. *)

Effer, quaeso, aut observa alios recte pronunciantes has voces: *má*me, *ne*máme, ascendisne intendendo vocem in 2da trisyllabi nemáme, an *ne* fortius efferendo descendis quasi et lassius (quamvis tardius) enuncias 2^dam^ má? Effer *ta woda*, observabis fortius altiusque efferri *wo* quam *ta* et *da*, effer *do-wody*, audies *do* fortius altiusque pronunciari, quam *wo* et *dy*. Effer: *giž se dáwá*, jam datur; et confer *sedáwá*, sedere solet, et profecto discrimen inter *se* sine tono et alterum *se* cum tono prolatum observabis. Confer etiam, quae in Dlabaczii odam monui, Magazin 2. Stück, S. 132. Fortasse felicior eram in explicando tono tunc, quam nunc Pelzelius scriptis meis usus. Audi

*) Durich po straně připsal: NB. krogidlo, černidlo, prawidlo, fors ideo epenthet. d. habent, ut dactylus promoveatur.

etiam Fennum, Danielem Juslenium in praefat. lex. fennici his verbis tonum linguae suae describentem: »*Primo notandum* unam quamque dictionem quotcunque syllabas ea contineat, primam *elevare* syllabam, qua in re Anglis fere nobiscum convenit; deinde quod accentus nihil mutet de syllabarum quantitate, nec ab ea dependeat et vicissim. Exemplum addere lubet: in *mitsumaarja* prima habet accentum et producitur, positione, non vocalis quantitate, secunda brevis est, tertia longa, *nullatenus tamen accentu elevanda*, ultima brevis. In *lumalinen* omnes breves sunt, etiam prima, licet accentum habeat.« Ita ille. Ergo longa vocalis etiam apud Finnos non idem est ac accentu elevata potestque correpta vocalis aeque accentu acui. Germani saepissime acuunt brevem vocalem, uti in *Unmuth*, *Un* brevis vocalis habet tonum, *muth* longa caret tono. Vide Adelungii lexicon, in quo accentus notantur. Russorum (in libris sacris et lexico ab Acad. russ. edito) accentus non sunt comparandi cum nostris accentibus; illorum enim *acuti* et *graves* designant sedem toni, nostri solummodo productas vocales; et certe, nisi constans apud nos lex et sedes toni esset, majores nostri et hunc aliquo signo notassent. Quod si factum fuisset, negligi a grammaticis non potuisset. Sufficiat nobis, nunc tandem fuisse observatum. Quamvis et poetae antiquiores rationem ejus aliquam habuerint, tamen ad statuendas prosodiae regulas ceu unico principio, *eo* neminem usum fuisse.

Tonum a producta vocali omnino differre, exemplo e l. hebr. petito adhuc docebo: קָטֵר tonum habet in ultima, non in prima. Gallorum in ultimam fere syllabam tonum rejicientium consuetudinem nosti, etsi vocalem tono affectam vix unquam producant. Aliud omnino est vocalem syllabae producere, aliud acuere, elevare. Ergo prima syllaba in *bylina* non producitur, sed acuitur. accentu elevatur, quasi *byllina*; nisi malis novam condere hypothesim dicendo, voces trisyllabae, si careant vocali longa, carent etiam tono aequalique vocis intensione omnes efferuntur, quod tamen pronunciationi nostrae primas syllabas fortius elatiusque efferenti repugnat.

Quae de proverbiis exposuisti, placent. Origo τοῦ *pritča*, uti mihi semper visum est ab eo tempore, quo in eam inquisivi, deduci debet a verbo *tknauti*, *týkati*, inde compositum pritknauti, přitýkati, attingere, quasi pungendo. Proverbia enim sunt acute dicta, rem tangentia. Confer omnino nostrum *důtka*, quamquam sensu alio accipiatur. Polonicum *przytyk*, Stich, Stichelwort, przytykam komu, sticheln, pungere verbis, plane huc pertinet. (Aquensis noster centrum *přitek* appellavit, a pungendo.) Serbicum *tićati*, tiknuti et taknuti, tangere, nosti; dicunt autem teste Micalia, tiknuti ù sgiuo toccare sul vivo, mordere (aculeis pungere) figurate; *pritàç*, proportio, comparatio, non notato genere, habet Micalia et Temlerus ex eo in manuscripto, addit tamen posterior: adagium, parabola, proverbium et *pritač* (ч hic pro ћ) *id*. His expositis primum significatum τοῦ *pritča* censeo, comparationem, 2^{dum} parabolam; cf. jam etymon graecum vocis παραβολή. Comparantur utique res, si conferantur ita, ut una tangat alteram (přitykati). Nostri in manuscriptis bibliis librum Proverbiorum appellabant *powěsti*; sed přislowí aptius ad similitudinem Latinorum proverbii effictum est. Aliud mihi nomen notum

non est. An tibi antiquissimum illud e manuscripto S. Georgii *radocha z čluna* notum est, cum tot alia jam collecta habeas? Pulkawa habet plures sententias bohemicas versu expressas. *Kassa* utique slavonicum censeo, etsi orientalibus fortasse commune sit. *Rysinium*, quem Scioppius male Pantherum interpretatus est, *rys* enim proprie *lynx* est, non novi, neque Bernard. Giorgi S. J. neque Steph. Benessam. Della Bella saepissime adducit proverbia dalmatica, sed non monuit, unde ea hauserit. Nostrorum proverb. collectionem Srnecius a Warwažowa adornavit primus an 1582, quae iterum post *decem* annos prodiit, ac tertium per *Horny* 1701 in 12. Sed haec e memoria scribo, tractavi autem has editiones manibus. Olomucensem, quam se habere Zlob. ait, vix exstare puto. E Hajeco nollem paganorum proverbia haurire. De Kassa illud Cosmas habet, sed latinis verbis conceptum. *Welcslavinus* in lexico latino-bohemico multa adagia bohemica adduxit, quarum aliqua indicare possum, cum ea notaverim.

Non poterit meliori ratione doctrina nova de tono commendari quam poëmatum nova collectione, quam propediem edituri sunt alumni eccles. Pragenses Bohemi, quorum omnium nomina cognosces. Libellum mox mittam; continebit enim plura poëmata, ad leges prosodiae novae efformata. Laetorque saltem ex eo, quod aures eorum, qui regulas nondum capiunt ob novitatem rei, probent poëmata ipsa, quae tamen ad regulas istas efficta sunt. (Ad historiam culturae lini obiter notabo, fasciculum filorum [tot et tot], quem nostri *pasmo* appellant, a Finnis *pasma*, a Suecis *pasman*, a Lithuanis *posmas* vocari. Ergo rem cum vocabulo ipso a Slavis mutuati sunt.)

In Passionali bohemico impresso (circa an. 1479—1480), hoc est, primo illo ante annum 1495 edito, habetur ad finem post Bedae vitam legenda: O Swatych Deſyti Tiſycz Rytierzuw Tuto ſe piſſe. (rubrum), longissima versibus bohemicis conscripta, longe diversa ab ea, quae in prosa alio loco legitur in Passionali an. 1495. Sunt autem versus bohem. continua serie scripti seu editi, ut nisi me rhythmus attentum reddidisset, vix versus esse advertissem. Specimen dabo, ut scias, quo metri genere constent, cum tu primum ejusmodi legendae rhythmicae specimen detexeris.

A když po božíem vmuczeni, (*a* abundat) — ◡ — ◡ — ◡ — ◡
po ſlawnem ge° wzkrzieſſení
y na nebe wſtupení,
Za Adryanowa cziesarzowſtwa
bieſſe geſſtie malo krzíeſtianſtwa:
Adryan⁹ chtie wzwiedieti
ſwu mocz y ſwuoy lid widieti,
kaza ſe lidem ſebrati,
wſſem ſwym po ſedmem dni ſtati,
chtie ſwymi neprzately boy brati.
Tehdy przygiedechu k niemu] et hi duo
kraluow ſſeſt, chtiecz pomahati gemu,]
[ſ nimyž lida odiene°,] hi duo versus sequuntur regulas prosodiae meae.
[k bogi doſti doſpieleho,]

trzydczeti tiſyczuow bieſſe.
z nich każdy ſwow (ita editio) *kawff* gmiegiſſe.
Pak przygiede zaſtup Rytierzſtwa
deſet tiſiecz, wſſe krzieſtianſtwa.
Ermolaus przygiel ſ nimi,
gſa za hlawu mezy nimi etc.

. . . .

. . . .

Potom wſſem na hlawu
dati korunu trnowu
I kaza tiſknuti *ruſku*,
by .pſſel trn až do *mozku*.

. . . .

. . . .

A když po dewatem *čaſu* den wrati, (pro hodina, hora
opiet ſwu kraſu ſluncze ſe nawrati.

. . . .

. . . .

Widucz žywota ſkonczynu,
ynhed rzekli w tu *hodinu*:

. . . .

. . . .

Ktož bude naš dē pamatowati, (sic orant Martyres)
anebo mſſie zaproſſowati,
Anebo da almužnu ſwe°
zbožie dobrze dobyteho,
Neb ten den piege paterze
ſwe nabožnie, nebo žaltarze,
Odpuſt mu, bože, za otplatu
p twe gmie za ſlužbu za tu, (praepos. repetita)
Gehož by ſe miel rok kati,
neb tam rok w mukach przebywati.

. . . . . .

. . . . . .

Pakli kto kostel [illegible]
nebo oltarz w nie [illegible]
Anebo [illegible] nada,
nebo [illegible] k tomu przyda,
Neb [illegible] idem gerit)
[illegible]
Nebo [illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

w ſwem domie mieti nynie
Na ſtienie neb černidlem *pſano*, (an pictum?)
aneb z drzewa wyrzezano,
Neb ſnad z kamene wyryte,
neb w kniehach w ſkrzyni ſkryte:
Racž byti ſtraž t° domu.
. . . .
. . . .
Budeli kde koſtel vſtawen
a nâ oltarz w niem vprawen,
Neb w niem naſſe ſwate koſti,
neb czo tu naſſy ſwatoſti,
A bude ſe kto truditi,
w rok na wſſaky dė choditi
S naboženſtwī a ſ pokoru,
s paterzy a ſ cznu offeru:
Tworcže, racž gī to° p̄ti,
by mohli tuž odplatu gmiti,
Jakoby ſſel do rzyma,
geſſto papež hrzychy ſnima.
. . . .

Ex contentis patet, Passionale hoc a catholicis Pilsnae editum, non ab utraquistis; hi namque legendam istam superstitionibus refertam omiserunt in edit. an. 1495. Sed jam satis est.

Cum Zlobickyo simultas mihi orta est ex eo, quod ille in literis ad *Thamium* carperet superciliose prosodiam boh. novam, in literis ad me eodem tempore datis mihi blandiretur. Talem ego morem detestor. Non quod ferre nolim aliorum judicia, quae expeto, sed quod sincero animo amicos agere oporteat. Haec pauca, ut, si tibi de me conquerereturque, scias, qua de re motus excitati sunt. Neque mihi vacat, respondere illico ad longissimas ejus (sed vacuas) epistolas. Si malis haec ignorare, bene facies; monere tamen volui. Není žadná ſlužbička, kde by nebyla malá partyčka, hodie audivi, sed recens videtur hoc proverbium.

An notus tibi libellus: Knjžka rymownj geſt toto, | gedenkaždý wěz, měg za to: | žeť nenj z jiných poslednj, Mnohá w nj nagdeſſ naučenj: | z nichžto užitku nabudeſs, | geſtliže gi pilně čjſti budeſs. W Litomyſſli u Jana Arnolta. in 8. cum dialogo inter patrem et filium de oeconomia addito 3 plagularum Initium: 1) Rozumem každý ſe ſprawug, neſluſſného ſe warug. 2) Chudý s bohatým nehodug, a moudrý s bláznem nežertug. 3) Pán s ſwým ſlužebníkem nehreg, a ſlužebnjk pánu neleg (a láti). Finis: Když budau na páteře zwoniti, warug ſe žáčku do ſſeňkownjch domů choditi. Neb leycy etc. etc.

CXI.

1795 - 8. června. Dobrovský podává zprávu o své návštěvě u Adelunga, o české bibli Leskovské, o sbírce básní Pražských alumnů, o české prosodii, o českých a ruských přísloví(c)h, zmiňuje se o českých pohádkách, o Skorinovi a maďarském pojmenování Slovanů a zakončuje svůj list přáními a zprávou o slovanských tiscích v Drážďanské knihovně.

Junii 8va die 1795.

Amicorum optimo Fort. Durichio s. pl. Jos. Dob.

Prioribus literis exposui τοῦ **пряты** etymologiam; et versiculos quosdam ex vetustissimo Passionali perscripsi. Ad has cum non responderis, neque enim ab occupatissimo exigere id possum, novis ego te interpellare volui, sed neque nunc responsum urgeo. Mihi namque sufficit, si aliunde resciam, te laboribus coeptis insudare.

Nuper Dresdam et Lipsiam excurrenti, multa mihi fuit conjunctio et familiaritas cum *Adelungio*, quod iisdem aut similibus studiis delectetur, quibus nos. Biblia manuscripta in bibliotheca ducali diligentius examinavi reperique esse omnium antiquissima, seculo XIV scripta, sine nota certiori temporis. Psalterium quidem Pragense sec. XIII antiquius est, sed nunc de integris bibliis loquor. Textus idem est, qui in bibliis Olomucens. an. 1417 habetur, atque adeo nondum immutatus recentiorum emendatorum commentis uti Zelotimana. Orthographia autem etiam Olomucensi antiquior est, suntque multa loca [illegible], quae in exemplari prototypo obliterata aut lacera fuisse. Tanti fuit, restituere textum incorruptum ac integrum omnium librorum totius Scripturae, quod ante annum 1420 vix factum fuisse credo. Pauca alia si desideres de his bibliis, repetere poteris literas a d. Zlobickyo.

Alumnorum Pragensium poëmata*) certo jam acceperis et legeris. Puchmayer et W. Negedly optime, meo judicio, expresserunt prosodiae novae praecepta. Nunc fortassis jam probaturus es, quae de tono scripsi, cum nova quotidie poemata mittantur a linguae nostrae cultoribus pro secundo volumine, ad leges prosodiae novae apte conformata, in quibus nihil invenias, quod aures offendere possit. Nuper in theatro cum canendo elevaretur media vox [illegible] et se mox [illegible] enunciaretur quasi — ◡ — ◡, multi subrisere. [illegible] exempla [illegible] hic repetere.

[illegible] regulas meas intelligere posset, quam Denisius, cum etiam [illegible] productarum, sed tum in prosodia habeant rationem. [illegible] qui me carere non volunt aut non possunt, sed tales [illegible] applicarent. [illegible] antea nullis [illegible] sequi possunt constanti [illegible]. Sed quid opus est [illegible] haec [illegible]?

[illegible] editionem [illegible]. Sed [illegible] Pragensem [illegible] [illegible] typis Adalb.

[illegible]

Georg. Konias. Usus autem est in expositione proverbiorum patria lingua eo fine, ut pluribus esset ab eo servitum. Istis numero 584, quibus specilegii instar 27 subjunguntur, a Srnecio collectis, adnexuit nonnulla ipse *Horny* partim ex auditu et sermone quotidiano, partim ex lectitatione librorum bohemicorum collecta (lit. g), quae *quinque* folia replent. His adnecti solent, eodem tempore edita, Catonis disticha, nimirum 144 illa, quae Comenius transtulit ac Rosa edidit, cum aliis quibusdam elegiacis versibus bohem. cum *notitia de poesi boemica poetisque Boemis ac Slavis* a pag. 71—87, dein de pedibus, controversiis grammaticorum usque ad pag. 116. Solent haec omnia, nimirum Adagia bohem., Cato etc. adnecti grammaticae *Janditianae*, secundo 1705 apud Konias editae, quamquam et Adagia suo gaudeant speciali titulo et separatim etiam inveniantur, sine Catonis distichis, quae apud me titulo nullo speciali insignita sunt. Libellum hunc verisimiliter d. Zlobickyus habebit inter suos. *Nudožerini* expositionem 7 psalmorum cum regulis prosodiae bohemicae vellem ad tempus concessum habere. Balbinus libellum laudat, credoque Drachowskyum suo ex illo mutuasse, sed invenire eum non possum. Si posses rescire, ubi libellus hic exstet, facies mihi rem gratissimam.

Russica Adagia nuper, ubi per otium licuit, ruri contuli cum nostris. Russica quaedam petita ex hist. naturali placuere, multa credo, acutiora certa e graecis translata, alia germanica sunt, uti et nostra.

De furto quid sentiant Russi, hac sententia explicant: Ne tot wor, kto kradet, a tot wor, kto potakaet; Ne ukral, tolko wowse (an non *wosee*?) wzãl.

De invidis, ut mihi videtur, aptum proverbium usurpant: Sobaka na sjenje ležit, sama sjena ne jest i nikomu ne daet.

De gloriabundis, si recte interpretor: Sowa o sowč a wsãk o sebě.

Latinorum *mel in ore, fel in corde* eleganter exprimunt: Slowami, čto lisťem stelet; a djelami, čto iglami kolet. Rhytmica etiam apud nos meliora sunt.

Ab agricultura ductum de pigris, si recte intelligo: Ne *pole* kormit, *niwa*. Pulchre hic synonymis, quamvis discrimen subintelligi debeat, luditur.

De donis ita sentiunt: Darom brať chorosso, a otdawať chudo. Quamquam et meliori sensu habeant alia.

De pecunia: jesť *rubl'*, jesť i *um*.

De mortalium aequali sorte: smerť ne razbiraet čina; a wedet rawno i Rusaka i Njemčina. Njemčin utique hic extraneum in genere notat.

De adagiis: jest *pritča* koroče nosa ptičjã. Est parabola brevior rostro avis. Sed sensum non satis assequor.

Sunt autem inter russica et bohem. multa loquendi modi assumti, qui adagiorum nomine venire non possunt. Meliora fere bohemica in collectione dicta non reperias. Audivi ante annos multos, Patrem Rosenthaler Glattoviae colligere Adagia nostra a vulgo frequentata.

Aenigmatum opportet etiam fieri mentionem, quorum collectionem parvam habemus: duchowní pohádky nihil habent ingenii. Delectatos aenigmatibus majores nostros inde mihi constat, quod in Apollonio quaedam legantur; quibus fallendi temporis causa amasius et amasia utuntur, e. gr.:

Geſt geden okruhljk,
genž wſſak nenie pacholjk,
diwneho geſt obyczege,
žet nemá obliczege,
a ktoz iak naň ſnažnie pohledj,
Ten v nieho obliczey widj.

(geſt zrcadlo, ergo *rotundis* utebantur speculis, okruhlík). Satis de his.

Superest, ut moneam, annum 1430 pag. 59. in Starovolscio (nuper enim venit in manus in bibliotheca Nostitz.), uti saepius observasti perperam appositum, non trahi debere ad sequentia in margine ibidem dicta. Sed, ut alibi fere, ad textus verba: *natus* aut *magisterii titulum — assecutus*. Si anno 1430 natus censeatur, obiit anno aetatis 77, quod utique credibile, si anno 1430 magister factus sit, oportet illum (Joh. Glogov.) vixisse annos fere 97, supponendo ante 20 aetatis annum vix promotum fuisse. Confer pag. 93, 95 et alibi annos in margine appositos.

Quae de Scorina attulit Starovolscius, nihil omnino lucis adferunt iis, quae tibi nota sunt. Utinam saltem libros s. Scripturae nominasset. Utrum tibi satisfacturus sim in notitiis lit. in itinere suecico collectis, quae dudum jam impressae sunt, sed ob alia moram trahunt. Nolui autem eas singillatim edere.

Ex Ungaria accepi literas, in quibus mihi d. Ribay significat, sibi missas 7 aut 8 plagulas operis tui a typographo. Monuit is, appellationem Slavorum ungaricam *Tót* a te non explicari. Ego ex *Got* corruptam puto. Confusos autem Slavos cum *Gotis* ex diacono Spalatensi constat. Mihi cur mitti non curaveris plagulas impressas, miror, sed si hoc consilio fecisti, ne fortasse notis et monitis fatigareris, recte factum probo. Molestum enim est interpellari continuo ac rumpi quodammodo filum cogitatorum. Oportet enim scriptorem collecta, quae habet, digerere et digesta ac completa aliorum tandem judiciis et animadversionibus subjicere. Deinde quis omnium petitis unquam faciat satis?

Vale quam optime, ut prodesse genti nostrae possis tantum, quantum tu ipse cupis atque conaris.

Si Dlabaczius noster adhuc apud vos commoratur, velim eum humanissime salutes meo nomine, atque roges, velit inspicere *Bohuslai Lobkowiczii* Commentarium de urbe Praga etc., qui Boh. doct. p. III. p. 9. citatur, et notare, utrum Petro de Rosis inscriptus sit possitque censeri idem opus esse, quod p. II. p. 111, in nota tractatus politicus a Candido appellatur.

Mihi gratissimam rem praestaret, si Epinicion Georgii Trniczky, e cod. manuscripto MS. theolog. N. DCIV, describere aut describi curare vellet. Tu olim quaedam in lit. tuis ex eo communicasti. Sed vellem habere integrum, cum rara sint ejusmodi poemata.

Notabo adhuc breviter Slavica e biblioth. Adelungii, inferenda biblioth. ducali Dresdensi:

Articuli fidei, croatice, lit. glagolit. Tubingae, 1562. 4.

Idem liber, cyrillicis literis; germanicus titulus est: Confessio oder Bekenntniss des Glaubens. Tubingae, 1562. 4. Est Confessio Augustana Carolo V. exhibita.

Postilla — chrwatskimi flowi sstampana, 1562. 4. ibid.

In ducali biblioth. praeter Novum Testament. glagol. lit. Biblia Mosquensia an. 1663. in folio, exstat prima pars Novi Testam. carniolica ex translatione Primi Truberi Tubingae 1557. 4 seu 1558, uti post Registrum legitur.

In calendario praefixo mensium nomina haec sunt: Januar. Prossimiz, Febr. Seczhan, Mart. Sushez, April. Malitraun, Maj. Velikitraun, Jun. Rofshenzwit, Jul. Serpan, Aug. Kimoviz, Sept. Jeffennik, Oct. Kofopersk, Nov. Listognoi, Dec. Gruden.

In l. *Altes* aus allen Theilen der Geschichte XII Stück. Chemnitz 1766. 8. p. 809. n. XI. Novum Testam. l. slavica 1602 (lege 1702) editum describitur et §. 7. nominantur auctores, qui de lit. slavica tractant; auctore M. Georg. Körner, parocho Bokaviae 25. Jun. 1766.

CXII.

1795 — 15. června. Durich podává zprávu o postupu tisku svého díla a slibuje zaslati vývěsky Dobrovskému, by tento se přesvědčil o hodnotě díla a podal opravy jeho, a zakončuje svůj list díky za zaslanou sbírku básní pražských alumnů a odpovědí k některým dotazům Dobrovského.

Viennae, 15. Junii 1795.

Amicorum optimo Jos. Dobrowsky F. Durich s. pl.

Integritati amicitiae et dilectioni tuae veteranae adscribo, quod responsum neque ista epistola exigas ab occupatissimo, etsi velles aliunde rescire, num inchoatis laboribus insudem. Accipe in praesentiarum hujus rei testimonium, quo tibi certius nemo alius reddere potest, ab elemento A usque ad signaturam lit. Q excusum inclusive. Exspectans usque ad horam 5^{tam} plagulam R, quae hodie excuditur, adveniens famulus pro referenda correcta plag. S — vix hunc characterem scribo, perfertur ad me ista plagula signata lit. R, quam reliquis addam, ut habeas et hanc et continuationem a litera S exspectes per nostrum Dlabačžium ad te perferendam. Nunc tuum erit, ut jam parte majori excusum vol. I. legas, lectum examines et, quod a te impense postulo, errores mecum communicare velis: alius enim, cum primis talis vir eruditus et *virtutibus imperatoriis*, ut cum Cicerone loquar, praeditus mihique amicitia conjunctus, oculo simpliciori, in veritate requirenda et defendenda perfectiori constantia, errantem amicum reducere conabitur. Falleris itaque opinione tua, dum putas, eo consilio a me factum, ut ad te plagulas impressas mittere non curaverim, ne fortasse notis et monitis fatigarer: hoc enim desiderio volebam plagularum fasciculos tibi et Ribayo mittere hujusque rei causa typographum Nowakowičžium ante Dominicam Palmarum interpellavi; sed renuebat ille causatus rationem, quod neque oratori seu legato russico dare voluerit. Quamvis aegre tulerim hanc petitionis repulsam, prae-

sertim cum accederent variae circa editionis progressum commutationes mihi jam omnino molestae, ut me incepti operis poeniteret: tamen amore gentis universae Slavorum et cum primis patriae atque Societatis, patientiae me restitui. Nunc autem obtenta tua epistola statim Terlaicžium in absentia Nowakowicžii typographiae curam gerentem accessi, et quidquid plagularum editum est, cum significatione animi minus contenti mihi exhiberi requisivi. Ista nunc breviter in chartam conjicio, de aliis proxime per nostrum communem amicum Dlabacžium respondebo; nunc interim noveris ea, quae ad meam innocentiam in causa non missarum plagularum pertinent: poterat enim tibi omnino admirationi esse d. Ribay significatio. Hoc tamen mecum constitui, paulo sub finem editionis operis ad te mittere tuoque judicio et animadversionibus subjicere majorem partem operis excusi, ut accito etiam aliorum consilio Societati referre valeas, num opusculum meum dignum vobis videatur, quod inscribatur vestro nomini. Fac igitur nunc, quod ego alioqui faciendum a te volebam: ego enim, si nihil aliud didici, hoc tamen didicisse gaudeo, meam ignorantiam non ignorare, et aliorum doctrinis melioribus atque magis veritati congruis non reluctari propriae opinionis amore: nam pro veritate simplicius est agendum.

Summas tibi habeo gratias pro beneficiis tuis illoque sincero atque integerrimo in me affectu, dum ego non valeo, ita ut cupio tibi satisfacere. Grates etiam habeo illis duobus r.^{dis} magistris, praesertim d. Puchmayero, qui ad me literas dedit, cui nunc gratias habeo pro obtento exemplari ante quatuor dies; cum primum potuero responsum dare, meae obligationi satisfaciam; per id tempus impossibile est.

Dominus Zlobiczky et noster P. *Dismas* te humanissime salutant; priori legi tuam epistolam: Nudozierinum habet descriptum a d. Tham ex Prag. Bibl. Reg. exemplo; si tamen apographum habere velis, mittet tibi adjungetque Drachovium, cujus prosodiam habes in Constantii Lima sub principium. Ad reliqua proxime respondebo, nunc enim debeo componere plagulas abeuntique d. conductori extradere ad te perferendas. Vale! Vale, integerrime amice, et ignosce celeriter scribenti. Saluta amicos omnes.

CXIII.

1795 — 19. června. Durich podává žádanou zprávu o spise Bohuslava z Lobkovic »Commentarius de urbe Praga« a o slovanských příslovích.

Ex Biblioth. Palat. Vindob. 19. Junii 1795.

Josepho Dobrowsky amico suo integerrimo Fort. Durich s. p. d.

Quia heri primum, ex quo tempore tuam epistolam accepi, nostrum Dlabacžium convenire poteram, dedi ei legendam condiximusque nos in Bibliotheca conventuros hodie et divisuros operam tibi obsequendi gratia. Itaque quod attinet ad Bohuslai Lobkow. Commentarium de urbe Praga, quia pridem jam codicem hunc inter MS. hist. prof. N° CCCCXXXVII. signatum chartaceum fol. 20. manu mea tractavi, atque hanc dissert. epistolarem passim excerpsi, quam identidem Gentil. recensioni suae integram inseruit tomo XII.

hac inscriptione: »Chartaceus foliorum 20, quo continentur scripta ad regni Bohemici historiam pertinentia, et quidem I. Bohuslai Hassensteinii de Lobkowicz Boemi de urbe Praga et gentis bohemicae moribus dissertatio ad Christannum ω, quam ad decessorum meorum fidem liberandam integram subji. [Ad hanc notam ω in margine scripsit Gentil.: ω »*Pedick*, ut arbitror, ad quem Bohuslai epistolae exstant.«]

»Bohuslaus de Lobkowicz Christanno suo perdilecto s. p. d.«

»Situm Pragae et incolentium mores ad te scribere institui, urbis magnae, et olim inter civitates Germaniae in primis clarae. Libussa hanc condidit —« [implet paginas viginti, deinde Gentil. procedit ad alios recensendos numeros opusculorum a fol. 15 MS[ti]].

Ego, qui codicem itidem manu tractavi in mea Adversaria hanc adnotationem intuli: Duo in hoc eodem volumine exempla diversa manu descripta habentur. Prior manus vetustior est et post inscriptionem opusculi haec verba intrusit:

Εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης.

Gentil. nullum facit hujus rei mentionem. Haec tibi sufficiant ad concludendum Petro de Rosis Commentarium inscriptum non esse; si plura desideras, quae ad hunc codicem attinent, scribe tibique satisfacere conabor. D. de Engel, cujus nomine ad te scribere debebam, ipse nobiscum in Bibliotheca existens literas cito perscripsit et nostro Dlabaczio extradidit. Si vales ejus desiderio satisfacere, facies mihi rem omnino gratam.

Ut symbolam tibi aliquam reddam, similem notitiis proverbiorum, de quibus jam bis mihi scripsisti, in praesentiarum accipe: »Georgii Ferrich Rhacusani Fabulae ab Illyricis adagiis desumtae. Rhacusae MDCCXCIV. apud Andream Trevisani. 8. pagg. 140. Index. 141–143. In tres libros dividitur opusculum, quorum I° adagia 41, II°. 40, III°. 32 cum totidem fabulis continentur. Accipe exemplum pag. 50:

XLI. »Illyr.: Tko tebbe kamenom, ti gnegha kruhom.
Percutienti te lapide panem exhibe.«

»*Pauper maleficus resipiscens.*

Ut aequiore, manat unde verior
Doctrina, adagio modo dicta corrigam,
Narrationem, quam subnecto, perlege.
Ira incitatus diviti cum inops viro
Nulla absque causa lapidem impegisset, licet
Hic par potuerat impudenti reddere,
In jusve rapere puniendum carcere,
Nil horum: miti sed columba mitior
Insano illi offam, quam ferebat, obtulit.
Obstupuit ipse« etc. etc.

Cl. Denisium hoc opere donavit auctor, quem ille impense laudans, usui meo concessit, ut domi excerpere valeam necessaria. Adagia omnia describam. Illud pro specimine adduxi, quo usus sum cap. III. §. 2°.

Professor Alter pene me sedens te humanissime salutat, etiam ipse aliqua symbola deesse nolens, notum facit a cl. Alleti, nepote Benedicti Stay, commentatoris Boscovichiani, colligi dictionarium graecum illarum vocum, quas et Slavi habent; et hac occasione comparationem vocis ἀποχρέω vel ἀποχρία slav. in libr. Eccles. **масопустїа недѣла** tecum communicat. Vale quam optime! *)

CXIV.

1795 — 7. září. Dobrovský omlouvá nemocí své mlčení, podává svůj úsudek o spise Durichově s některými poznámkami.

Pragae, 7. Septemb. (1795).

Fortunato Durichio, amico suo charisimo, s. pl. d. Josephus Dobrowsky.

Facile mihi veniam dabis, quod literis binis ad me 15. et 19. Jun. datis nondum responderim. Vexabar enim per duos menses malo daemonio, hypochondriae malo ab atra-bile excitato summumque aucto, ut nec thermae Carolinae, neque acidulae Egrenses illud tollere penitus possent. Pragae tandem feliciter restitutus sum. Nunc S. Wenceslai balneo utor aliisque quotidie remediis, quibus obstructiones quasque resolvere conantur Aesculapii nostri. — Quamvis et legere et scribere possem, consulunt tamen, ne vires animi intendam; indulgent autem, ut saltem amicis satisfacere possim, breves scribendo literas. Itaque officio meo deesse nolui.

Dedi nuper P. Chrysostomo tomum II. nostrarum Dissertationum ad te mittendum. Suscipe grato animo munusculum istud.

Cum opus tuum, quod summa cum voluptate ter perlegi, examinari a me velis, praestabo id, quam primum licuerit. Loca enim omnia notavi, quae mihi aut dubium aut scrupulum moverant. Aliqua in literis meis jam notavi alias, quae fortasse tu non probaveras.

Auctoritates eorum, qui *Slav* amant pro *Slov* in Slavorum nomine, omnino negligenda tibi non erant. Antiquior certe est scriptio *Slau* apud Graecos et Latinos. Neque miror apud Nestorem Russum legi *Slovene*, cum codex Königsbergicus (Regiomontanus) a Polono homine descriptus mihi videatur. Poloni autem vel in Evangeliis slavicis describendis, quorum codicem Petropoli emeram, tam faciles sunt, ut *moviti* suum multis in locis substituerint. Alternant certe a et o in multis vocibus, uti ***rastu, rostu, rab, rob*** etc. Sic etiam nostrum *blahoslawen* et slavonicum ***blagosloven***, quod satis mirum videri possit, cum orientales et meridionales Slavi ***a*** proferant saepius nostro *o*, uti in praepos. *raz* pro *roz*. Igitur Slav***an***, nominat. singul., *Slavene*, nom. plur., slavensky etc. ad Orientalium pronunciationem, quam Procopius, Jordanes aliique omnes secuti sint, pertinent. Cumque gentile Slaw***an*** ab alio nomine formatum sit, uti Morawan a Morawa, Slezan, Slezák a Slezy etc., necesse est, ut primitivum τοῦ Slawan concipiatur slawy, slowy, plur. nomen; uti *Poly* apud Nestorem pro Polonia, Pomory, Čechy, Slezy.

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Dobrovského nyní již částečně odříznuta.

Ad pag. 131. *Neklan* vocem a kláti deducere debuisses exemplo Dalemili p. 67 ed. Prochazk.: a snad gemu — et Pulkavae, qui *non punctum* interpretatus est.

Russica *οὐλβορσι*, *ἀειφαρ*, *βαρουφορος*, in quibus *βορφαρ*, *βορος* cum terminatione graeca cataractam denotare videtur, uti et *λεαντι*, *σρυβουν*, certe non sunt russo-slavica, sed *russica non slavica,* nimirum scythica. Russicum enim Constantinus a Slavico non distinxisset et cum Slavi in Russia, a quibus hodiernum idioma manavit, nomina imponerent cataractis Borysthenis slavica, quid opus fuisset Russis slavica et loquentibus et intelligentibus alia fingere nomina? Sunt igitur, quae Constantinus appellat russica, non russica slavici generis, sed russica antiqua ante Slavos usurpata, quorum expositionem e lingua slavica tentare non licet.

Siuslos seu Suislos quod attinet, sane miror te non convictum per Schötgenii conatus diplomaticos. Quid enim? *Slíz* bohem. e **слюз** ortum sit? atqui ortum est í ex é, uti lítati, lípe ex létati, lépe. Servant autem é in *Sléz* scriptores Bohemi, Moravi et Slovaci vulgo. Scribunt *Schlez* Venedae in Lusatia, Szlez Jambressich Croata, *sljez* et sliz Micalia, qui Bosnensium pronunciationem sequi solet. *Sljes* della Bella. *Shlęs* P. Marcus Carniolus, sed lectores monet videndum *slis*, althea (apud nos wysoký sléz). Sub Slęs (boh. zlez) habet Grispappeln, malvae; **слѣз** Temlerus in lexico manuscripto illyrico additque: »inde nomen oppidi Varisciae *Schlaitz* et forte *Silesiae*.« Notavit autem Temlerus sub lit. я eam pro ѣ usurpari apud Illyrios, h. e. я scribi, ubi ѣ nunc pronunciant. Et recte, nam **слѣз** scribitur etiam слязз in Joannis Renii Donato, cui Cellarii lexicon minus adnexum est, pro juventute serbica slavenoserbice translato Venetiis 1767 in 8 edito, quem libellum possideo. Convenit aliqua ratione Polonorum ślaz, cum servent a. Est igitur vera ac antiqua scriptio **сляз**, unde Sléz, Sljez etc. **слюз** autem, quod Polycarpow habet, vitiosum est, certe slavicum proprio sensu vocabuli non est. Vides jam *Slesiae* vocabulum nunquam sonare potuisse *Slus*, semper autem *Slezy*, *Slezko* aut *Ślazko* Polonorum more.

De **щ** jam alias monui, veram ejus pronunciationem septemtrionales Slavos conservasse, nimirum Russos, Polonos, Slovacos, Moravos et Boh. antiquos; ostendam autem et rationibus ab analogia deductis. ifftě seu ifče nostrum ex ilko ortum est, solita mutatione *τοῦ* k in č aut ć sic *w Polſče* (Polfftě) pro w Polfku; na dfče (dfftě) ex nominativo dfka. In nominativo plurali in Moravia audivi saepius *ſcý* pro nostro fftí, wogenfcý (officýři) pro wogenfftí (adde hrufftička pro hrufčička ex hruffka). Aequivalet igitur nostrum fft' *τῷ* fč et fc originario. **щит** si cum latino *scutum* conferas, mox intelliges **щ** = sc peregrino, item cs seu x, e. gr. nox, **нощ**, apud nos noc. Visne **нощ** etiam pronunciare *noſſt*?? **пещ** — uti pefft'? his certe in vocibus transit in č aut c apud alios gentis slavicae populos. Non est igitur *ηστε* Procopii nostrum **нще**, sed *iste*, *esti* sunt terminationes vallachicae h. e. thracicae.

Vale jam meque amare perge.

CXV.

1795 — 12. září. Durich raduje se listu Dobrovského a jeho uzdravení, podává zprávu o svém díle, jeho tiskaři a tiskárně, a o věnování díla kr. české Společnosti nauk.

Viennae, 12. Septembris a. 1795.

Josepho Dobrowsky, amico suo charissimo, s. p. d. Fortunatus Durich.

Tanto gaudio me affecit conspectus vestigiorum tuae manus characterum, quibus inscriptam epistolam hesterna die accepi, ut statim, statim illae ingentes animi curae ac solicitudines, quas de tua valetudine habui, levarentur mecumque consolarentur fratres de restituta valetudine meliori. Solvantur balneo S. Wenceslai omnes reliquae obstructiones; sed tu quoque, impense te rogo, remittas velim de illa studiorum assiduitate: videbaris enim mihi jam pridem vires animi ultra modum intendisse. Tomum II^dum^ Dissert. recte obtinui gratiasque tibi ago pro munere mihi gratissimo, de quo alia vice respondebo.

Cum opus meum, *quod summa cum voluptate ter perlegisti*, etsi adhuc imperfectum, repetitis lectionibus tuis dignum fuerit, nunc jam integrum [quod ad I^i^ vol. partem priorem attinet] vehementer opto, ut tibi non displiceat; non equidem ita mei causa, quam tui nominis; ob rationes in praefatione adductas, in qua leges, quam sim paratus ad excipiendas omnes animadversiones ac emendationes, cum primis ab amicis factas; et jam in praesentiarum ago gratias pro illa τοῦ ψ. Sed valetudinis tuae circumstantiae non admittunt, ut nunc de criticis hujusmodi subtilitatibus mutuo conferamus. Itaque ut modum epistolae ponam, spero exempla tibi fasce illo a r. P. Chrysostomo extradita fuisse, quorum plura regiae mihique summe venerandae Societati scientiarum bohemicae misissem, si mea rerum tenuitas admitteret et typographi, contractum non servantis, fata et inconstantia mentis non obstitissent. Facio igitur, quantum possum, et conatus sum omnibus viribus meis, etiam tantisper attritis talem editionem adornare, quae non sit indigna tantae Societatis nomine. Inscriptionem, sicut anni 1793 mense Sept. ad me scripseras, non sine consilio facere conatus sum eamque, ut expedit brevem, non singulatim, quae prolixior fuisset, sed toto corpore complexus sum, maxime quum tu responsum dare nequiveris, neque mihi de titulo honoris ill. praesidis sociorumque nobilium constaret, et typographus *importunissime* qualemcunque hujus vol. I. perfectionem etiam cum sanitatis meae dispendio urgeret, qui jam mense Junio et fortassis jam mense Martio vel citius de vendenda typographia in Ungaria egit, quae nunc jam vacat et ad alium dominum, nescio quem, deferenda est. Nam typographus ille ultra vires suas conatus est officinam suam provehere. Sed de his alias.

Regiae Societatis titulum putabam superfluum esse, quod *signum* corona boh. insigniti leonis hanc praerogativam satis designaret. Significabis itaque Societati mihi summe venerandae meam animi promtitudinem, qua, si exspectationi vestrae non satisfeci, non voluntatis meae atque impigri conatus, sed virium defectus erit. Si Societas, quae, ut existimo, suas dissertationes vendit, cum his opus sibi inscriptum distrahere vellet, typographus offert 20

pro 100, sed pretium distractionis mihi omnino altius videtur; assignavit enim unius exempli in charta typogr. 3 f. 20. Sed possent conditiones apponi et ille convenire de propositis vellet; vult tamen de hoc brevi certior reddi.

Vale meque amare perge, nolo enim, ut prolixiores literas vel legas vel porro scribas.

CXVI.*)

1795 — 22. září. Durich vyslovuje radosť svou z uzdravení Dobrovského, uvádí příčiny, proč nemůže podati žádosť Dobrovského o propůjčení proboštství Staroboleslavského císaři, a radí Dobrovskému, by upustil od podání žádosti zamýšleným způsobem, a zakončuje svůj list projevem ochoty ke všem službám.

Viennae, 22. Septembris 1895.

Charissimo suo Josepho Dobrowsky salutem et prosperitatem a Deo precatur Fortunatus Durich.

Gaudeo cum fratribus meis de recuperata Dei auxilio sanitate mentis et corporis; doleo autem, quod tuis desideriis ita nequeam satisfacere, prout tu per me fieri volebas: nam opus meum seu vol. I. Bibliothecae slavicae ad Caesarem perferendum jam pridem destinaveram, quia per memet ipsum fieri non potest; immo ita faciendum ante annum per amicum constitui, atque solius reverentiae ac pietatis erga summum Principem causa nulliusque petitionis gratia: nam dignitatem, ut in praefatione mea procul dubio legeris, nullam quaero; tanto minus retributiones, qui mallem subsidio esse, ut quivis alius fidelis subditus. Amico autem suffragari quacunque justa et prudenti ratione valeo, semper paratus sum; licet igitur neque mei causa Caesarem accedere constituerim, tamen talis amici causa, qualis tu mihi esse constas, adire paratus sum. Sed a fideli amico etiam tu prudens consilium suscipies, qui tibi prodesse in tuis precibus ad summum Principem perscriptis ex animo conatur: nunc vero diligentissime lecto atque expenso tuo libello supplici, nec non collato cum consuetudinibus modernis Augusti Caes. et Regis nostri in expeditione supp. libel. certissimis de causis tuum hunc libel. supp. Caesari porrigere non possum, nisi leges prudentiae et amicitiae transgredi velim: nam libellos expediendi consuetudo est praesens, quod equidem ad Bohemos atque eccles. attinet: a Caesare ad Comitem Kolowrat, inde ad excel. gubernium Prag., postea ad consistorium; quum istae sint viae ordinariae, quas licet tu causa trimestris infirmitatis dicas non potuisse a te observari, tamen in expeditione precum retrograde noveris observandas esse. Nunc, expende, quaeso, visne, ut illa posterior tuarum precum pericopa:

Er hofft ganz gewiss erhöret zu werden, weil seine Bitte ganz billig ist, und weil E. M. als unser allergnädigster König von der Gnade und Barmherzigkeit Gottes bestimmt sind, *eine bessere Ordnung bei uns und durch uns Böhmen, die Ihrem Könige aufrichtig ergeben sind, einzuführen* — visne, inquam, ut haec, haec pericopa in criterio tot retro officiorum, ubi non

*) Z obsahu listu tohoto zdá se, že jeden list Dobrovského, při kterém se nalézala žádosť Dobrovského k císaři o propůjčení proboštství Staroboleslavského, jest ztracen.

solum nostri populares, verum etiam aliorum ditionis Austriacae populorum viri consident, judicia subeat tibi perpetuum nocitura, ut ita dicam? Inito mecum hujus pericopae causa strictissimo judicio mecumque, si mea causa esset, constituenti, non esse in hunc modum porrigendas preces, nunc tuum responsum exspectabo, ut consilio tecum inito mature respondeas, quo melius tuis desideriis satisfacere valeam. Alioquin facile agnosces me tuis obsequiis promtissimum esse; sed ut illa tibi non obsint et perpetuo quidem.

Vale et confide me, peccatorem licet, tui memorem esse in meis ad Deum cum primis ad aram precibus. Iterum vale.

Raicžii 4 volumina simpl. compacta proxima occasione mittam.

CXVII.

1795 — 4. října. Dobrovský děkuje za moudrou radu, udává příčinu své žádosti o propůjčení proboštství Staroboleslavského, oznamuje, že již upustil od svého úmyslu a mimo jiné zakončuje svůj list výkladem rčení moravského: »do boha«.

Miessicii, 4. Octob. 1795.

Fortunato Durichio amico integerrimo Jos. Dobrowsky sal. plurimam d.

Prudenti consilio tuo, quod grate suscipio, omnino nunc obtemperandum esse arbitror. Paulum enim commotiori animo pericopam, quam tu notasti, scripsi in libello supplici. Ego dignitatem istam non tam mei causa, quam amici cujusdam, in vicinia parochi, petii, qui, quamvis meritis alios antecellat, adduci non poterat, ut praeposituram Boleslav. peteret; cui proventuum partem cedere volebam. Cum autem consuetudinem expediendi libellos supplices tu objicias, in quibus utique ea dici non possunt, quae Caesari dici aliquando deberent ab aliquo, qui sine timore veritatem dicere auderet, jam acquiesco monitis tuis et tibi pro obsequendi animo gratias habeo. Praevideo enim ipse, hac ratione nihil valitura motiva, quae adduxi, cum favore officiorum fiat, ut iis praerogativa concedatur, qui non tam meritis, quam alia re commendantur. Novi difficultates obtinendi gratiam, si motu suo eam largiri nolit imperans. Plura non opus est scribere. Nihil jam ambio, nihil desidero et nihil unquam petam, etiamsi jure postulare possem.

Quo animo praeses ac tota Societas opus tuum omnino praestantissimum susceperit, cl. Pelzelius tibi perscribet. Ego enim nunc aura liberiori extra urbem fruor, ad restaurandam valetudinem.

Cum ultimis plagulis misisti etiam unam, nimirum lit. *A*, quam jam antea miseras. Si igitur opus esse censeas, ut remittatur, ne exemplar hac ratione deficiat, commone.

Occurrit ad stabiliendam vocis *bog*, *bůh*, etymologiam, quam omnes philologi probabunt, formula in Moravia consueta: *do boha*, ex. gr. mám toho *do boha*, nagedl gſem ſe *do boha*, i. e. satis ac sufficienter, abundanter, ut adeo Deus sit *ens sibi sufficiens*, quod selbstgenügsam Germani appellant.

Alia nunc non vacat perscribere; faciam id occasione alia. Consulto enim a laboribus aliquo tempore vaco, quamvis animi vires omnino jam

refectae sint. sed ob corporis debilitatem aliquam (nam non nisi fructibus vescor et aqua refocillor) adhuc mihi ab intensione virium temperandum est. Vale meque fratrum tuorum votis commenda.

Durich připsal na str. 3.:

Sibi sufficiens Sirach. XL. 18: *ζωὴ αὐτάρκους ἐργάτου*. Slavus interp. v. 18: **живо́тъ самодово́льнагѡ дѣла́тела**. Sed ad Philipp. IV, 12: **ѝзбы́точествовати** *αὐτάρκης εἶναι*. Vide Nov. thesaur. philol. Jo. Christiani Biel voce *αὐτάρκης*.*)

CXVIII.

1795 – 24. listopadu. **Dobrovský v návalu choromyslnosti pokládá se býti nadán duchem prorockým a povolán prospěti své vlasti a všem lidem čistého ducha pomocí Slovanstva, kterýžto obrod vycházeti má z Čech, jež mají se státi prvními a kam se mají přestěhovati všichni dobří lidé.**

Die 24. Novem. 1795.

Durichio Josephus s. pl. in Christo.

Die 9. hujus mensis integrae sanitati restitutus, pugnae exitum die 10 d. Comiti Nostitz praedixi, atque aliis; hoc experimento, mihi enim aliae rationes non desunt, et alios convincere potero, donum prophetiae a Patre luminum mihi concessum non esse phantasias hominis aegri. Gratias igitur ago pro dono illo Deo, a quo omne donum optimum, quo, si recte utar, patriae prodesse potero. Et quid mihi carius esse possit post Deum patria? Sed et exteris ac omnibus hominibus prodesse cupio. Igitur ab 11. nihil fere ago, nisi impellente Spiritu. Possum certe illud Danielis VII, 28 applicare mihi: »Ego D. multum cogitationibus meis conturbabar et facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conservavi.« Miro modo mecum disposuit providentia Dei ab infantia mea, multo magis autem nunc, cum probatus essem corporis infirmitate. Evangelium e Matth. 24. cap. de iis, quae Christi adventum praecedere debent, legi jam (miro errore) Domin. 24. ruricolis Miessicensibus (Měšice); iterum vero, cum jam Pragae essem aliaque de causa rus excurrerem, accidit, ut idem Evangel. Dominica 26 seu ultima ibidem legerem, latine in missa, germanice et bohemice post missam. Oportet enim in tertia mundi aetate, tribus linguis praedicari Evangelium, Slavis primum, deinde aliis. Quod tu de dialecto slavica toti genti communi et ecclesiastica historico sensu falso scripsisti, vere dixisti prophetico sensu, h. e. de aetate, quae nunc incipit, in qua slavicus populus, utpote latissime diffusus per orbem, nomen habebit a *Slava*; magnalia enim Dei in Slavis et per Slavos orbi ostendentur agente eo, qui agitur a Spiritu s. Omnes veri bonique amantes donis replebuntur; implebitur enim nunc tertio illud Joelis: effundam spiritum meum super omnem carnem. Omnis enim prophetia *ter* impletur, cum *tres* sint, qui testimonium dant; et *tria* regna sint providentiae divinae: naturae seu Patris, gratiae seu Filii, libertatis et amoris seu Spiritus sancti, qui electos praeparat in adventum regis humani generis, qui regnaturus est post consummationem seculi.

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Durichova.

Nemone Vindobonensium initium dolorum videt aut auguratur? Germanice cum legerem Evangelium ultimae Dominicae, a lacrymis temperare mihi non potui, imminent enim mala toti germanico imperio. Ad regna slavica, qui pacem amant, convolabunt electi, quibus lubentes jura hospitalitatis praestabimus. Credo te brevi venturum ad Bohemiam. Restituenda enim sunt omnia. Spero etiam Jos. Franciscum, qui nunc imperator Germanorum, venturum cum sponsa sua, filia regis Galliae, et sorore sua, quae Bohemos adamat, ad nos. Propulsis, ut facile fieri potest, Gallis a limitibus Germaniae, redibunt legiones bohemicae domum, ut filii consolari possint matres viduas et orbas, quarum precibus arma nostra benedicuntur. Miram, inauditam, incredibilem (iis, qui solum viribus suis fidunt) rerum ac regnorum conversionem videbimus omnes, qui ad finem perseverabimus. Pestis ac fames non tangent nos, sed alios. »Cum venerit verbum ejus, scietur *propheta*, quem misit Dominus in *veritate*. Jerem. 28, 9. Perdet foedifragus Prusiae rex Silesiam, quae ad Bohemiae regnum spectabat. Amittet Saxo, quod ejus consilium pravum secutus fuerit, Lusatiam. Augebitur in immensum regnum Bohemiae et prosperabitur; reflorescet Polonia, punita ob neglectam linguam maternam (nobilitas enim magis jam amabat gallicam, uti et mores et vestitum peregrinum); augebitur russicum imperium et extendetur ad limites Persiae et Indiae, h. e. attinget gens slavica retrogradiendo eas regiones, quas primitus occupaverat. Inde linguarum cognationes, uti et populorum Providentiae nutu factum esse certe credo, quod Russorum imperatrix vocabularium II. totius orbis edi curaverit, a me emendatius et per partes edendum iterum. Jam enim russico itineri me rursus accingo, cum sociis laborum, quos nactus fuero. Sed longius peregrinandum erit, ut appareat tandem Indorum sapientiam, Graecorum philosophiam, Evangelii stultitiam ab eodem fonte manasse et eodem redire omnia. Diffundetur itaque lumen supernum per universum orbem prius, quam adveniat is, qui in gloria apparebit. Incipitque nunc segregatio ovium ab hoedis. Lege, quaeso, cap. XI. ad Hebraeos et augebitur fides tua. Potest profecto Deus efficere longe majora, sed nunc mediis ad speciem naturalibus utitur. Stellae cadent, h. e. cometae appropinquabunt telluri, aestus maris producent, athmosphaeram corrumpent, inde pestes etc. Pressione aeris male habere aegros, dies 11. Novembris prodidit apud fratres misericordiae. Maniacos effici, qui voracitate corrumpunt sanguinem et humores, mox docebimur per Anglos, qui Irlandorum linguam et religionem a tot seculis opprimebant. Sed jam nunc alius rerum ordo, alia conversio incipit. Quod erat primum, erit ultimum et vice versa. Primi omnium nos Bohemi, uti olim Judaei et etymologiae ratione (Čech a čísti), et virtutum maternarum custodia, h. e. benevolentia, fide, patientia. Quae de slavicae nationis fide dixi coram Leopoldo, a paucis recte intellecta fuere; ab aliquo homine (atheo certe et Bohemorum inimico), dum ederetur plagula, consulto et impie immutata fuere illa prophetica verba: Es ist in Wahrheit aller Aufmerksamkeit werth, *wie wunderbar die Vorsehung die Schicksale ganzer Nationen leitet und bestimmet.* Subductis substituta sunt, quae in edito exemplari leguntur: wie sehr sich die Lage aller slawischen Völkerschaften geändert hat. Puerilis animi homo iste, qui me eo de loco non interrogato ausus

est, corrumpere veritatem, nunc Vindobonae praeest, ut audio, consessui illo, qui de reformandis studiis consultat.

Nos Bohemi non indigemus consilio istorum hominum. Nos ipsi nobis sufficimus in his, quia iisdem a Deo facultatibus praediti sumus, quibus orbem regere volunt a.... Vindobonenses. A nobis erit repetendum exemplar, secundum quod studia reformanda erunt. Apud nos lumen orietur et jam ortum est primum, propagandum deinde ad alios, qui grato animo suscipere velint. Viennensibus certe illud maximopere commendandum est: *attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis hujus vitae* et superveniat in vos repentina dies illa. Luc. 21, 34. Nobis autem dictum credimus: Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante filium hominis. Suadeo ergo omnibus bonis, ut quantocius in Bohemiam commigrent aut saltem sentientes impulsum spiritus, diutius non resistant. Utinam, frater, jam adesses, ut tibi, nisi forte institutione mea jam non indigeas, ipse illuminatus in iis, quae ad Dei providentiam circa populorum salutem, redemptionem et libertatem spectant, pandere possem mysteria scripturarum. Mihi etenim contigit idem, quod Paulo apostolo. Vidi lumen non semel, sed saepius, habui somnia, visionés, sed non possum nunc explicare omnia. Spiritus flat, ubi et quando vult. Circa tempora, si definire ea velim, maxime haereo, sed patientia opus est. De die in diem proficio. Omnia tempus habent. Nosti animi mei affectum sincerum proficiendi in omni scientiarum utilium genere. Sic praemiat Deus fideles servos. Dum ante *tres* annos e codd. slavonicis variantes lectiones Mosquae excerperem, nondum in mentem venit, futurum aliquando, ut praeter literam etiam sensum Apocalypsis assequerer. Lege, quaeso, cap. XIII. et perpende, an non de Gallia et Germania haec dicta sint, quae ibidem leguntur.

Saluta amicos bonosque cives omnes.



CXIX.

1796 — 31. března. Durich raduje se z uzdravení Dobrovského, přeje si, by císař povolil české gymnasium v Sázavě, podává zprávu o starých nápisech v klášteře Sázavském, zmiňuje se o svých pracích a starostech a o svém úmyslu vrátiti se do svého domova.

Viennae, 31. Martii 1796.

Josepho Dobrowsky suo amico Fort. Durich s. pl. d.

Vehementer heri yisis tuae manus literarum*) ductibus gaudebam, quarum desiderio jam ex longiori tempore tenebar, ignarus tuae stationis, de cujus commutatione aliquid ad me perlatum est, quin tamen resciverim, ubi omnino commoreris aut in quem modum ad te literas dare possem. Nunc tanto magis tuomet nuntio laetor de felici Pragam reditu, recuperata valetudine resumtisque studiis; quanto vehementius ex te certioris quidpiam notitiae cognoscere cupiebam, tuque diutius me anxium haerere nolueris. Omnino *anxium* scripsisti melius, quam perspexeris, cur nullas a me rece-

*) List Dobrovského, ke kterému patří tato odpověď Durichova, se nezachoval.

peris literas: mihi enim integritas conscientiae meae non tantum amoris, verum etiam venerationis, quibus in te feror, pro munimento est, et animi simplicitatem in solatium erigit contra suspicionem corrupti aëris, ut ne fortassis pro veritate simplicius agam aut in re etiam aequissima officium praestare aliquando neglexerim, tui honoris tua comprobatione studiosus. Quid ego de ejus modi morbis judicem, de quibus Aristotelem ex familiari tuo laudasti, dicam ex animo: jam ante undecim annos subtimebam, ne tua ultra modum ingenii animique assidua contentione ac studiorum varietate quidpiam adversae valetudinis tibi conscisceres; nunc noveris me quidem metum deposuisse, si modum tenueris conatuum ingenii. Utinam hoc impetrare valeres, ut Sazavae gymnasium bohemicum erigi patiatur Augustus; fortassis divus ille doctor nostraeque dulcissimae patriae patronus popularis tibi auxilio erit. Nuper me quidam Sazavensis monasterii gnarus d. Josephus Kugler, antea ejusdem loci chyrurgus, mihi Pragae commoranti notus, accessit, quem interrogavi: num in quibusdam monasterii aut ecclesiae, cum primis illius veteris [cujus ego ruinas anno 1756 vidi quidem, sed illo tempore hujusmodi studiorum ignarus in inscriptiones inquirere ne quidem cogitavi] locis quibusdam, literis parum vel omnino ignotis, signata videantur monimenta; cujus rei causa formavi quosdam characteres cyrillicos, postea glagoliticos antiquiori literarum ductu, quaerens: utrius formae similiores ei videantur esse inscriptiones illae, quas ipse tribus vel potius quatuor diversis locis, nimirum ex utroque latere ad introitum veteris ecclesiae pone columnas geminas esse asseverabat; tertiam in horto monasterii in lapide de terra prominente; quartam retro altare majus infra chorum: respondit ille ad priores, nimirum cyrillicas, quarum ex graecis literis quaedam sibi non ignotae essent, laudatas ecclesiae inscriptiones vix pertinere; sibi tamen potius videri, formas glagoliticas monimenta prae se ferre literarum singillatimque characterem ▲ notavit asseveravitque justa mensura celte insculptas esse, quarum literarum profundiores sulci adhucdum aurea habent vestigia. Ita ille de superstitibus monimentis literatis Sazavae. Ingenti gaudio virum ista narrantem audivi statimque mecum in animo constitui literas ad a. r. d. *Chmela*, alias missionarium bohem. S. J. nunc loci parochum, enixis precibus dare, atque adcluso utriusque alphabeti specimine interpellare, dignaretur interim sex aut decem literarum specimina inscriptionis laudatae ecclesiae mecum communicare. Sed tu pro tuo in patriam amore, nominatim in beatissimum illum Sazavensem locum, excurres illuc, atque tam diu neglectum rei nostrae literariae thesaurum cum orbe literario communicabis multaque momenta corriges ac illustrabis, superabitque iste conatus omnes alias lucubrationes tuas. Ego sane magis gaudebo, si hoc tua opera factum fuerit, quam si mea fieret; quemadmodum tuis animadversionibus erudiri omnino cupio et, ut illas ad me mittas, etiam humanissime interpello.

Nescio sane, in quem modum scribere potueris: *Si tibi animadversiones* [illegible] — num arbitraris me duplicis animi esse, ut alio publice scribam: Praef. pag. XXXVII. et seq., alio tuas animadversiones excipiam? Amicus es; ergo non insultabis, sed docebis, et ego lubens audiam: sive complura compendio stringenda monueris sive alia emendanda, reliqua vero

addenda, quae volumen I. (I^{am} p. ejus intelligo) continere alias debebat, cum charitate ac veritate indicaveris, uberrimum fructum hujus repetitae editionis (si tamen futura est) capiam. Optassem ego magis citiusque meas lucubrationes MSS., priusquam typis exscriberentur, ad te perferri; sed utique memor es ferme sub id tempus, qua valetudine usus fueris et quod nullas a te epistolas sequioribus mensibus cum primis Julio obtinere potuerim: quum tamen typographus meus, qui absolutionem vel dimidii operis, ob futuram typographiae venditionem importune urgebat, ut cum dispendio sanitatis totis noctibus studere, collecta digerere, digesta describere, typis perscripta frequentius corrigere, nec tamen frequentationem Bibliothecae intermittere necesse fuerit; tot me varietatibus et animi sui commutationibus exerceret, ut ferendis rebus istis jam impar fuerim et laesam valetudinem necdum satis recuperare valeam. Accessit paulo post mense Decembri rumor antiquandi hujusce conventus, qui jam ita excrevit, ut dies diem trudat, quo nescio, cujus mutationis subitaneae exspectatur hora; neque enim hujus monasterii fratres eligere superiorem audent, his diebus parochum in Fallbach constitutum. Quibus in circumstantiis facile intelligis, quam sim de novo eligendo mihi nidulo solicitus, ubi mea collectanea, licet necdum tam perfecte, ut optaveram, coacervata digerere et typo parare valeam, quidquid Dei providentia mecum circa editionem disposuerit. Pluribus de causis, impetrato Dei auxilio ad provide agendum meque Ejus voluntati committendum, constitui patriam meam omni dilectioni praeponere domumque redire; necdum tamen tempus definire possum. Haec interim in tuum sinum dicta sunto, alio tempore opportuno plura scripturus sum, nunc interim pro tenacitate silentii te interpellans. Vale quam optime, atque sincere amantem redama. Celeriter scribenti atque non relegenti epistolam parce!

Na 4^{té} straně připsáno jinou rukou:

Heitschel von Sternhein, Erzdechant des Kaurzimer Kreises und erzbischöflicher Vikar, Pfarrer zu Bistritz, hat K. Leopold eine von vielen Vikaren unterschriebene Vorstellung wegen Eröffnung eines böhmischen Gymnasii eingereicht.

CXX.*)

1796. — 20. září. Durich podává zprávu o svém přesídlení do Turnova, o vydání druhého dílu své Bibliotheky v Budíně, zmiňuje se o žádosti Dobrovského k císaři a vyžaduje si rady při vydávání druhé části Bibliotheky.

Turnovii, die 20. Septembris 1796.

Josepho Dobrowsky, suo integerrimo amico, Fortunatus Durich salutem in Christo pl. d.

Jam diu desiderabam quidpiam literarum a te obtinere, immo tecum Vindobonae colloqui, ut de progressu ac promotione inchoati mei operis conferre valerem: nosti enim, quanti aestimem tua consilia literaria. Sed frustra tuam praesentiam praestolabar et fortassis etiam complures eruditi

*) Předcházející list Dobrovského, na který tuto Durich odpovídá, se nezachoval.

in Hungaria. Vindobona discedens prof. Alter interpellavi, ut, si eo advenires, tui meum desiderium tibi significaret et de meo Turnovium discessu te certiorem redderet, atque de futura editione operis mei, quod Budensis universitas emta a Nowakowiczio typographia suis sumtibus, inito mecum meliori contractu sponte sua, ita vult edere, ut cl. Ribay munere correctoris fungatur, pro quo d. directorem Lakicž salutavi. Hanc ob rem tanto magis tuam epistolam legere desiderabam, quanto majori studio ducor in opere perficiendo tuis auxiliis, quae in prima parte laudavi. Nunc vero propemodum dubius haereo, an de mea tui aestimatione veterana consuetudine sentias; mihi enim videris quidpiam culpae adscribere in eo, quod tu per epistolam probasti et arguis de officio neglecto, quod faciendum postea nolebas exigisque supplicem libellum, quem ego propterea combussi, ne in cujuspiam alterius manus deveniret, quia scripseras ad me: *te non nihil concitatum fuisse,* dum laudatum libellum scribebas recteque a me factum asseverasti, quod illum non porrexerim. Cui itaque usui libellum servassem? Non itaque rebus juxta consilium in providendo tuopte judicio expensis mihi vitio dabis, dum libellum, quem repetis, ad te mittere non valeo, non futurum usui, postquam illum vel ipse mente concitata scriptum asseveraveras. Quid de te sentiam, non melius confiteri possum, quam perceptis de te ipso tuis significationibus, quod tibi conscius sis sanae mentis et validi corporis: quid enim carius mihi esse potest, quam mens sana in corpore veterani amici sano? Id mihi tanto credibilius est tantoque magis confirmabitur, quo citius me de rebus in editione 2[dae] partis observandis ac in priori emendandis, ut promiseras, edocueris. Doceri vehementer cupio, cum primis ab amico egregiis animi dotibus praedito. Quod mihi bene precaris, tibi identidem precor, ut Deus mentem animumque tuum roboret. Vale!

P. S. Saluta amicos Pragenses.

CXXI.

1796. — 17. listopadu. Dobrovský opět zmiňuje se o své žádosti k císaři, vytýká Durichovi, že ji nepodal, přeje Durichovi úspěch k vydání II. části Bibliotheky, vyslovuje přání, by Durich přijel do Prahy, a slibuje mu opravy k prvé části Bibliotheky.

Miessicii, 17. Novem. 1796.

Fortunato Durich, veterano amico suo, J. D. sal. pl. d.

Quamvis ipse fassus fuerim, me libellum supplicem, quem ante menses duos a te repetii, *animo paulo commotiori* (his enim verbis usus sum) scripsisse, tamen nihil in eo fuisse, quod non etiamnum defendere possem, mihi conscius sum. Sed in eo, quod porrigere eum metueris, nihil jam reprehendo, cum ego et praepositura et gratia eorum, qui beneficia ecclesiastica indignis aut saltem de patria nostra nihil meritis conferre consuevere, carere possim et in posterum velim. Non enim putavi, rem tanti momenti esse aut seriem verborum, ob quam mihi metuebas, tam injuriosam, ut plane exurendum judicares. Neque unquam, ut recte memini, *scripsi a te recte factum*, quod illum non porrexeris. Sed de his non disputabo amplius, cum a te bono

animo ac optimo consilio, ut tu quidem judicas, facta sint, quae ego aliter facienda volui. Video autem jam, absentem amicum non posse de rerum statu ita plane judicare, uti se res habent. Neque precibus cogere quemquam possumus. Sufficit te noluisse aut non potuisse, quia mihi aut tibi metuebas, etiamsi te nunc tua fallat memoria, dum scribis, *quod ego faciendum postea noluerim* id, quod antea a te flagitabam. Nolo autem pluribus ista exponere, cum ejusmodi sint, quae melius silentio premantur.

Quod Budensis universitas editionem operis tui adornare velit conditionibus melioribus, tibi et omnibus cultoribus l. slav. gratulor. Budam ipse ire constitueram, sed hostium irruptione percepta ad Bohemiam properavi. Fortassis proximo vere ad Hungariam excurram.

P. Chrysostomus nuper mihi narravit, te hyeme proxima Pragae commorari voluisse (aut velle), quod ego summopere opto. Tunc ego longe commodius implere possem, quae promiseram. Taedet enim multa scribere. Si tamen Pragam venire non posses, qua de re edoceri cupio abs te, notabo ea loca 1[mae] partis, in quibus quaedam emendanda aut supplenda mihi olim videbantur. Nunc ad manus exemplar non habeo, mox relecturus, quam primum Pragam venero. Pragam autem concedam, ibi hyematurus, post octo circiter dies.

Deus te servet incolumem et ad opus illustrando Slavorum nomini destinatum propediem perficiendum vires largiatur. Vale quam optime.*)

CXXII.

1797. — 21. června. Dobrovský přeje si nějakou zprávu o Durichovi samém, zve ho do Prahy, nabízí mu své služby, podává zprávu o svých pracích ve Vídni a zakončuje svůj list drobnými literárními zprávami.

Pragae, 21. Junii 1797.

Fortunato suo s. pl. Jos. Dobrowsky.

Cum nihil per amicos de laboribus tuis, de valetudine tua, de proposito tuo rescire mihi, saepius sciscitanti, licuerit, te ipsum hisce interpellare literis constitui. Optarem autem, ut te aliquando tandem Pragam conferres, ut coram tecum agere liceret de his, quae tua meaque intersunt. Habe itaque consilium meum. Integro mense Julio hic commorabor, abiturus deinde rus et ante hyemem vix rediturus, nisi per intervalla. Si quae igitur ratione Bibliothecae slavicae conferenda putares, hoc tempore commode fieri posse judico. Si bibliothecas Pragenses lustrare volueris, habebis me comitem, adjutorem. Si e collectionibus meis tibi quidpiam arriserit, erit ad nutum tuum. Si ad S. Procopium excurrere mecum optaveris, faciam, ut id sine sumtu fieri possit. Coram profecto plenius et perfectius absolvi omnia poterunt, ad quae perficienda me aptum judicaveris. Fac igitur, ut te tandem aliquando hic mihi frui liceat. Veni itaque quantocius. Nemo certe amicorum erit, qui de adventu tuo non sit gavisurus.

*) Na čtvrté straně jest adressa Durichova a připsáno od Duricha: Praes. 22 Novembr.

Hyemem fere transegi Viennae. Ibi Evangelia illa antiqua bohemica, de quibus tu saepius in literis ad me datis mentionem feceras olim, accuratius examinavi, ut tandem statuere possim, sitne aliquod vestigium vers. slav. in nostris libris antiquis, an nullum plane. Deinde Lupacii recensionem cum ea, quae in Žerotinianis bibliis habetur, contuli, ad discrimen recensionum definiendum. Dabo enim aliquando vers. boh. historiam ampliorem. Mense Martio et Aprili invisi matrem aegrotantem amicosque hinc inde sparsim habitantes. Nunc fere tempus vacuum in colligendas lect. var. ex Apocalypsi pro editione Griesbachiana impendi. Primum volumen hujus egregii operis videbis apud me. Multa certe sunt, quae tecum communicanda haberem, sed per angustiam chartae non licet perscribere omnia.

An nosti librum »Pars versionis arabicae libri *Colailah* wa *Dimnah*, sive fabularum Bidpai philosophi Jndi. Lugd. Batav. 1786. 4.« ab Alb. Schultensio editum?

De opere anglico: A Catalogue of Dictionaries etc. num tibi quidpiam innotuit? Recensentur in hoc opere omnium fere linguarum lexica, grammaticae et alphabeta, auctore *Williamo Marsden*, Londini 1796 in 4. Cumque etiam slavonica contineat, curabo, ut librum nanciscamur ex Anglia pro usu tuo, nisi forte eum *Alterus* noster jam possideat.

Puchmayerus, ardens prae maternae linguae desiderio, alterum jam tomulum poëmatum excudi nuper fecit, cui imago P. Prochazka praefixa est. Patieris sane, ut tomulus tertius facie tua ornari possit. Plura coram.

Age jam et te itineri accinge; sine lucro, spero, non abibis. Neque video, quid te tantopere detineat aut impediat. Tuos enim, cum quibus libenter versaris, iterum videbis. Vale et voto meo fave.

Si tamen nullo modo aut non sine incommodo venire posses, rogo, ut me quamprimum certiorem reddas. Iterum vale.*)

CXXIII.

1797. — 26. června. Durich oznamuje příčiny, proč nemůže do Prahy přijeti, vyličuje své osobní poměry v Turnově a kraj tamější, zve k sobě Dobrovského, zmiňuje se o svých pracích, podává zprávu o starých nápisech v Turnově a v Hrušticích.

Turnovii, 26. Junii 1797.

Josepho Dobrowsky suo veterano amico Fortunatus s. p. d.

Magno gaudio me tuis ad me datis literis affecisti, quibus ex memet ipso de valetudine mea meoque (studiorum utique) proposito certi quidpiam rescire cupis. Optarem ego ipse tecum im primis coram agere de his, quae tua meaque intersunt essetque ista collatio mutua de operis mei ulteriori editione, immo de opinionibus, in quibus adhucdum non satis invicem convenimus, votum diu jam desideratissimum; toto etiam mense Julio hujus rei causa et visendarum bibliothecarum Pragensium ratione te adjutore et comite lubens commorarer Pragae; sed per id tempus imminens jam, istis potissimum

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Dobrovského.

de causis, quas tibi velut fideli amico candide ac simpliciter pandam, non possum Pragam venire. Prima est, atque omnium maxima, quod illos ducentos et aliquot florenos, quos Vienna in patriam rediturus habueram, partim in emtionem hujus casae suburbanae et modum agri non ita magni, ex quo hortum facio, illius commodiorem instructionem, in culturam horti; tum in ipsum iter cum reculis, libris et manuscriptis impenderim ita, ut mihi octo tantum aurei remanserint huc revertenti. Heic consistens de alieno aere contracto a meo nepote ob necessitatem, quum ars illa gemmariorum Turnoviensium propemodum infra conditionem operariorum diurnorum sit redacta, sero quidem rescivi; sed non poteram illius et familiae ejus, quae uxore, una filia 4tum annum agente et filio bimatum ingresso constat, non misereri: partim ut heic permanens et parsimonia atque rei domesticae diligenti cura eum illa miseria liberem successive, residuum adhuc pretii, quo fundum emi exsolvam instruamque hortum usui fructibusque ferendis meoque et aliorum solatio. Si jam duabus cellulis, quas meo cubili anno futuro, si Deus vitam produxerit, jungere slavico, id est lignario aedificii genere intendo, provisus essem atque aliis rebus necessariis ad excipiendum hospitem amicum, te humanissime ad me invitarem. Sed, quod nunc fieri nequit, fortassis vertentis anni autumno fieri poterit; nec tibi displicebit vicinia et illud meum pauper *Laurentinum* vel, si malis, Horatii meumque desiderium: *Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus* — cet. tantum parum silvae deest et *apes pauperis;* sed istas quoque curabo. Supra rivum *Radostna* ex monte *Kozakow* (quem ex fenestra vicinum specto praecedente amoena varietate agrorum pratorumque ex declivo situ in lentos colles ascendente, qui saturo viridi colore horizontem meum ex parte orientali claudit, unde nunc ascendentem auroram video) defluentem casa haec sita est in parvo colle, dixerim: na chlumku, quia vicinus mihi ab eadem parte pagus dicitur Podchlumek. Tuo sinui confiteor, quod huic paternae, ut ita dicam, curae intentus et magis solicitus, ut quantocius nepos meus alieno aere liberetur et fundus ille utiliter instruatur, rationes accepti et expensi in singulos menses ita disponam, ut nihil remaneat, jactans omnem solicitudinem meam in eum, cui cura est de omnibus, praesertim de iis, qui student nulli quidpiam debere, nisi dilectionem; itaque per id tempus etiam necessariis rebus ad iter instituendum et alibi commorandum destituor. Huc accedit studium satisfaciendi causae, ob quam, ut equidem nosti, Augustus noster Caesar et Rex meam pensionem monasticam 200 f. auxit; omnes igitur vires impendo, ut laborem sarciam, quem infirmitas et ingentes curae domesticae impediverunt, satisfaciamque desiderio Slavophilorum, im primis amicorum, quorum tu princeps es, tum Pelczelius noster atque Zlobiczky. Societati nostrae, ut equidem intellexi, ob judicium de opere meo jussu supremo datum, plurimum debeo conaborque tanto magis benignitatem illam patrio amore ac studiis demereri: hanc ob rem, si cl. Pelczel interpellatus meo nomine Societati necdum gratias egit, te rogatum velim, ut id praestes et judicium illud mecum communicare velis. Testabor meam grati animi memoriam in praefatione part. II. introduct., et propterea quoque dissertationem *paro: De antiquissimo dialecto bohemica servato Turnovii epitaphio ex anno 1279;* sed adhucdum eget dis-

cussione critica, praesertim ob tuas observationes, quas mihi nuper cl. Zlobiczky objecit, quarum illa ex tua 3[ia] parte des literar. Magazins für Böhm. u. Mähr. S. 176: böhmische Inschriften kommen weder auf Glocken, noch auf Grabsteinen vor dem 15[ten] Jahrhundert vor -- me attentiorem reddit, ut nihil intermittam, quod ad crisin diplomaticam pertinet, ut pro eruenda veritate simplicius agatur. Propterea diversis vicibus ter ad monumentum seu lapidem arenarium muro immersum coemeterii et propterea bene servati ad praesens tempus, exceptis duabus literis et uno puncto, cujus tamen vestigium signanter apparet, et illarum opere anaglyptico seu caelatura eminenti formatarum partes tantum desunt, per intervalla accessi, immo tertia vice non solus; sed interpellato d. decano et capellano, quos pro diligenti attentione et autopsia rogavi, et cum ipsis inscriptionem quoad omnia diu examinavi nec tamen, ut Zlobiczky fortassis ardore inventionis a me factum putabat, (cui equidem pro hac prudenti animadversione summas habeo gratias) ut pro Z numero haberem eum, qui 5 exhibet, adeoque inscriptionem ad secul. XVI. referendam esse; tamen examinata inscriptione, quam heic tecum communico non aliter, quam ad annum *millesimum ducentesimum septuagesimum nonum* referendam esse primum quidem ipsis numerorum formis, tum argumentis orthographicis et collatione aliquot aliarum inscriptionum bohemicarum quas heic adhucdum publice existentes ad ecclesiam S. Nicolai decanalem, tum ad illam S. Mathiae civitati contiguam in *Hrusstice* (apud Balb. lib. parochial. ex MS[to] decim. eccles. 1384. decan. Turnow. pag. 28. *Hrusstics*) habemus, ex annis 1538 est inscriptio turris; 1584 et 1585, epitaphia Wartembergicorum et in *Hrusstice* inscript. campanae: tisitzteho † CCCC° † dewadesateho † druheho †. Baptisterii ad S. Nicolaum inscriptio quidem latina est, sed annus observatu dignus, ob tertium numerum in collatione secundi: 15Я1 et ob formam literarum eleganter quidem scriptarum, sed lectu difficillimarum ob genus characterum, quibus cognoscendis tres propemodum horas impendi et lectionem ita sum assequutus, quam heic trado in vase stanneo exaratam opere valde parum anaglyptico:
In | nomıne | patrıs | quı | credederıt | et | baptısatus | fuerıt | saluus | erit | [superioris limbi series]

et | filıı | et | spırıtus | sanctı A. | baptısterıū | edıficatū | ē 1 | 5 | 4 | 1. [inferior series].

Sed futura hebdomada pluribus verbis de superius laudata inscriptione epitaphiisque Wartemberg. agam; nunc te humanissime interpellatum volo, ut mecum communicare velis de antiquitate monasterii ordinis Praedicatorum heic in loco monumenti servati olim a Benessio de Wartemberg Burggravio Glacensi, ut Cžerwenka noster in Splendore etc. domus Waldsteinianae pag. 12 adnotavit, fundati, si qua habes, tibi observata, praesertim de ipsius Benessii vita et meritis, anno fundationis, maxime de obitu ejus. Certe anno 1302 adhuc vixit. Tomo I° Scriptor. Ord. Praed. Jacobi Quetif et Echard pag. XIII. inter conventus Anno MCCCIII exstantes N° 17 ponitur *Turnoniensis Tirnaw in Moravia* triplici sane errore, quia scribendum erat Turnowiensis Turnow in Bohemia.

Operis illius Anglici: A Catalogue of Dictionarios etc. notitiam non habeo; utinam illud nanciscereris! Sed jam necesse est illam inscriptionem, ut omnino in lapide exstat, quod ad chronologiam attinet, tecum iisdem characteribus communicem, ceteris nunc usitatis lit. formis*)

CXXIV.

1797 — 13. července. Dobrovský zve Duricha, by na jeho útraty přijel do Prahy, oznamuje mu, že on nemůže letos do Turnova přijeti a podává svůj úsudek o nápise Turnovském, oznámeném v předešlém listě Durichově.

Pragae, 13. Jul. 1797.

Fortunato suo Jos. D. salutem pl. d.

Doleo te tot impedimentis detineri, ut desiderio meo, te videndi Pragae, satisfacere non possis. Si tamen haec maxima causa est, quod pecuniam ad iter impedere non possis, facile hac cura liberari poteris. Fac iter hoc sumtu meo. Hic de hospitio et victu providebo. Tantum scribe te quantocius venturum, ut praestolari possim adventum tuum. Libri omnes mei ad usus tuos sunt, neque satis scio, quomodo Turnovii continuare possis opus tuum, cum nulla bibliotheca publica ibidem exstet. Ego quidem ad medium mensem Augusti Pragae morabor, dein abiturus et vix intra mensem revertar. Gaudeo te et aucta pensione contentum et tuo delectari Laurentino. Vellem et ego Sabinum quodpiam excolere. Soleo Mieschicio montem *Kozakow* e longinquo spectare, nunc eo jucundiori aspectu, quod sciam ad pedem ejus incolam te ibidem habitare. Vellemque te invisere aliquando causa rei literariae communis, quam a tot annis tractavimus, sed hoc anno vix potero. Fieret certe majori cum fructu, si tu prior me inviseres.

Judicium Societatis de opere tuo nondum mihi traditum est; mittam tamen alias, si hac vice Pragam venire nolles. Huc te etiam invitat d. director Swoboda, qui de occasione, qua domum redire commode poteris, providebit. Sed retinent te gaudia ruris, nec invideo. Vellem tamen, ut venires.

Placuerunt inscriptiones, quas larga manu communicasti; sed patieris, ut sententiam pandam meam de lapidis sepulcralis inscriptione. Non esse seculi XV. ex siglis numerorum 7. 4. apparet; aliis enim figuris eo adhuc seculo pingebantur. Ergo ad sec. XVI. aut plane XVII. referenda erit; *magic*, habens, certe recens est. Facileque *Danielem Žambersky* in chartis urbis antiquis reperies. De numeris $1^{6}2^{7}9$. Septembris ita sentio: Lapidarius non satis attentus etiam punctum ante numerum .9 ponere debuerat, ut sit legendum *nona* Septembris (9. Septembris). Restat $1^{6}27$. Cum post numerum 1, centenarii soleant omitti, supplendum erit 5 aut 6. Solent enim post millenarios scribere ꝯc (et cetera), centenarios intelligendo. Quid autem 6, cum simillimum sit *τῷ b* in voce Septembris, significabit? Existimo ante 1 locandam fuisse, ut sit Leta b 127 -- h. e. Leta božjho 1—27. Male ergo hic insertam puto. Nescio, utrum tibi satisfacturus sum hac expositione. Illud vero omnino

*) Konec tohoto listu se nezachoval.

certum est numeros esse seculo XV. recentiores. Confer numerum X baptisterii cum 4 in inscriptione laudata.

De Benessio de Wartemberg et conventu Turnoviensi non habeo nunc, quae perscribam. Exquiram autem notitias, propediem tibi communicandas, si quas reperero. Evolvendo monumenta conventuum prov. boh. ord. Praedicatorum, quae post abbatis de Steinbach obitum possideo, nihil omnino aliud de Turnoviensi conv. inveni, nisi quae Hagecus de eo in indice conventuum ord. Praed. habet. Vale jam et mihi fave.*)

CXXV.

1797 — 29. července. Durich lituje, že nemůže nyní do Prahy přijeti, podává zprávu o svých neodkladných pracích, slibuje později navštíviti Dobrovského a podává ukázku z druhé části své Bibliotheky.

Turnovii, 29. Julii 1797.

Josepho Dobrowsky suo Fortunatus s. p. d.

Tanto magis ego doleo per id tempus fieri non posse, ut Pragae conveniamus de causa rei nostrae literariae communis collaturi, quanto liberalior tu es, ut etiam impensas in iter faciendum et Pragae de hospitio et victu mihi providere velis. Optime amice, totis visceribus commoveor super hoc tuo in me affectu misericordiae, qui putas et vis tuo sumtu meam inopiam sarcire desiderasque rescire adventum meum, quem praestolari possis. Sed crede, nullum gaudii cujuspiam genus me retinet a suscipiendo itinere; illam confessionem ingenuam, *ut etiam necessariis rebus deficiam ad iter instituendum*, velim intelligas non solum de sumtibus, quos ferre possim, verum etiam de rebus aliis, quas mihi nunc parari curo, et vel maxime, quod ex tempore mei Turnovium adventus, infirmitate corporis, rebus adversis, curis, solicitudinibus a studio mei operis inchoati tantopere impeditus fuerim, ut vix quinque philyras ad typum necessarias emendate ac munde descriptas habeam; quum tamen optimus meus amicus cl. Zlobiczky provide urgeat, ut opus accelerem et speciminibus diligentissimis commonstrem augmento pensionis me omnino ad studia excitari; quamquam ego sponte progrediar tantisper amotis impedimentis.

Quod attinet ad bibliothecae publicae Turnovii defectum, nosti, quod annis 11 Viennae adversariis colligendis vacaverim et nunc magis labor meus ea contineatur industria, ut collectanea digerantur, in seriem conspectus suscepto laboris habitu et forma simili redigantur et perficiantur; licet omnino videam multa, quibus colligendis in bibliothecis publicis diutius adhuc mihi laborandum esset. Sed nunc unice huic rei dare operam debeo, ut quantum licet mature pars II. MS[ti] ad typum paretur, servata serie et argumento conspectus. Nuper d. Zlobiczky spem mihi fecit ex Dalmatia obtinendi notitias rei literariae glagoliticae in hunc modum scribens: Zara, wo schon unsere Truppen sind, und Alter und ich haben einem dahin abgehenden unserem

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Durichova.

Officier Anmerkungen heute mitgetheilt, über die er uns hauptsächlich im Betreff der glagolitischen Literatur Nachrichten geben oder eigentlich verschaffen möchte. Jetzt tumeln sie sich, das ist just der wahre Zeitpunkt mit der Fortsetzung ihres Werkes. Insisto igitur omni conatu, ut bene suadenti amico satisfaciam, et cum primis conscientiae ob acceptae pensionis augmentum et amicorum desiderio partem II. mature legendi. Tuae autem voluntati, quantum equidem possum, satisfacturus tuaque et invitantis d. directoris Swoboda benevolentia et gratiis usurus, maxime ut majori cum fructu de re nostra literaria tractare valeamus, postquam conatus mei diligentiorem operam expertus fuero sub medium mensis Septembris, quo tu fortassis adhucdum ruri existes, ad te Mieschicium epistolam darem significando, num tamen te ad triduum invisere valeam: nam Pragam, vita comite anno futuro, ut ibi juxta studiorum necessitatem longius commorari valeam, mecum in animo constitui. Interim si quae notitiae sint ad II[ae] partis conspectum pertinentes, quas tu putares mihi scitu necessarias, vellem te rogatum pro illarum communicatione. De epitaphio alio tempore scribam: interim ut tibi constet, in quem modum partem II[am] continuem, accipe partem cap. IV. introduct. ad typum descriptam.

Contextui cap. IV. iconi, virum slavice vestitum, baculo utraque manu innixum, parum inclinatum et inter duas arbores araneae telam texentis considerantem, repraesentanti hunc *Plinii* textum subscripsi: *genus erudita operatione conspicuum.* Cap IV. isto ingressu ordior: Num alio, quam bonae mentis genere investigationum literarum justi amatores ducuntur, qui simplicius pro veritate agentes in initia eruditionis magnae cujuspiam gentis ita inquirunt et pervestigant progressum, ut ex fonte suo rivuli repetantur et nec veritas odio, neque justitia favore corrumpantur? Haec ipsa investigatio etiam facilior esset, si minori opinionum et morum varietate divideremur: nunc utroque diverticulo passim discreti, nescio, an magis attenti nostrique observantiores esse debeamus, ut ne initia slavicae eruditionis recentioribus nostris peregrinisque moribus et opinionibus coaptentur; an vero propositae rei investigatio plus censurae in exquirenda monimentorum fide et majorem in defendenda veritate constantiam exigat. Quam sit initium grave initia eruditionis pervestigare, hoc ego primum in ipsa *eruditionis* aliorumque huc pertinentium vocabulorum notatione slavonica sentio: nullum enim hucusque reperi auctorem, qui me docuerit, unde majores nostri *eruditionis* notionem ejusque signum patria voce prolatum primum duxerint.

§. 1. *Ingenii Slavorum investigatio ejusque praecipua duo specimina cum virtutibus imperialibus conjuncta.* Intellige specimina *docilitatis et memoriae;* illius ex Nestore, quando sec. IX populari sua lingua in verbi divini intellectu edoceri postularunt: hujus vero, quod antiquissimae Slavorum leges non scriberentur, sed memoriae imprimerentur.

§. 2. *Antiquitas originaria popularium slavicae gentis vocabulorum ad eruditionem pertinentium exponitur.* Adduco et expono heic contextum Psal. LXXXIX, 9. edit. Ostrog.: лѣта наша яко паоучина поучахуся. Expende agnominationem et confer verbum slavicum cum natura verbi μελετάω. Refle-

xionem adduco super vocabulum Syrorum: [Syriac] *araneus* et *cogitatio;* item verb. ܪܕܐ et ܪܓܐ = radím, rada, радѣю.

§. 3. *Verae eruditionis sensu accepto initia illius pro temporum et locorum diversitate apud Slavos jam e sec. VII. usque ad dimidium IX. opera occidentalis potissimum ecclesiae doctorum varia fuerunt. I°. Initia conversionis et baptismi Serborum et Chrobatorum Illyrici seu Slavorum meridionalium circa medium sec. VII. per Joannem Ravennatensem, I^um post Salonam eversam archiepiscopum Spalatensem, velut omnium prima laudantur. II°. S. Anscharius Hamburgi archiepiscopus heic et in Cella Turholt primus seminaria clericorum e Slavis Danisque lectorum instituit circa initium seculi IX^i.* — Sufficiat interim hoc specimen. Vale jam et mihi fave.

CXXVI.

1797 — 10. srpna. Dobrovský schvaluje zaslanou ukázku až na jedno místo, podává zprávu o Raicevičově článku, o českém evangelistáři Vídeňském, upírá v něm vliv staroslovanský, zakončuje opravami k I. části »Bibliotheca slavica«.

10. Aug. 1797.

Fortunato Durichio suo Jos. Dobrowsky s. p.

Placuit utique specimen in literis datum, uti solent amicorum placere omnia. Nec est, quod reprehendam aut moneam, nisi forte illud, quod de aranea e psalmo citasti. Mihi enim non satis probatur *uk* in *pauk*, cum *uk*, unde sit *učiti*, natura idem esse; casu potius convenire videntur. Neque hoc loco (ps. 89, 9.) LXX interpretum versio cum originali textu, in quo nihil de aranea habetur, concordat. Hinc S. Hier.: Consumsimus annos nostros quasi *sermonem loquens;* alii simpliciter הגה, sermonem (ein Geschwätz, uti Mendelsohn) reddiderunt. Estque sensus multo planior et facilior. Recte notavit Hieronymus: *LXX meditationem* araneae transtulerunt; quomodo enim loquentis sermo praetervolat: ita et *opus* araneae. Nosti utique vitia LXX interpretum in psalmorum versione. Hinc slavica vitiis carere non potest. Sed mittamus ista, quia nimis subtilia aut levia. Aliis certis atque indubitatis monumentis insistendum erit in discussione ista.

Ne te lateat, quid de Slavorum eruditione (Slowanische Briefe über den Ursprung, Gelehrsamkeit etc. der Slowanischen Völker) nuper in medium attulerit dn. Raicevich Ragusinus Dalmata, mittam tibi proxime partes quatuor libelli (Magazin der Kunst und Literatur), cui insertae sunt epistolae laudatae. Parum abest, quin auctor docere velit, omnium scientiarum primos inventores fuisse Slavos. Tu certe certiora dabis, notare tamen oportebit et modeste paucis refellere, quae nimius gentis suae laudator asserit (sine fundamento, ut mihi saltem videtur).

Scribe mihi, quae *Τμήματα* illustraturus sis ex Evangeliario Vindob. bohemico, ut tibi ex aliis manuscriptis collectas communicare valeam notas, quae ad rem facient: *zwon* ryby nuper mihi Slovakus explicavit. Slovaci enim dicunt *zwán ſoli*, nos *kruſſec*, kus ſoli nunc diceremus. Nenj *ponačin* in

Evangeliario legitur; Slovaci dicunt: *není način*, pro nostro: není potřebí. Servant certe Slovaci, uti monticolae Valachi in Moravia, multa sermonis antiquioris nobis jam dudum obsoleta vocabula.

Perlustrato diligenter Evangeliario nihil cyrillicae originis in eo deprehendere potui; sed crassissimos interpretis Bohemi errores ob minus intellecta latina qualibet pagina observavi. Sola antiquitate pretium ei statuendum est. ꝯ *Desiez*, quae in fine Evangeliarii apparent, non notam chronologicam referunt. ꝯ enim non M (mille), sed *etc.* denotat. Reliqua, quae lego *desierunt*, a recentiori manu adscripta sunt, e quibus pro aetate codicis nihil elicias. Miror omnino vehementer, qua fiducia p. 1. p. 203 et 204 scribere potueris: »*Certa* enim — habentur interpolationis specimina — laudati *Evangeliarii.*« Ego quidem nihil nisi latinae Vulgatae versionem indoctam in eo video. Si interpres inspexisset vers. slavicam, plurimis in locis a sensu vero non aberrasset. Quis enim graeca aut slavica inspiciens possit dubitare, num latinum *hic* reddi debeat: *zde*, *tuto*, an *tento*. Quis *seditionem sedanie*, quis *proderit probude* interpretabitur? Versionem hanc Evangeliorum, etsi pessimam, primam arbitror omnium. Multo melior jam legitur in manuscriptis antiquissimis, nondum Hussitarum industria correctis. Videorque mihi deprehendisse indicia, eam factam a presbyteris in Bohemia adhuc conjugatis.

Iterum pag. 208 scripsisti, quod sane (prawda) vestigium est antiquioris slavicae versionis (cyrillicae utique). Atqui *prawda* adhuc hodie significatu *recti* sumitur, estque magis ad originem germ. Gerechtigkeit expressum. Quid est enim: máſs prawdu aliud, quam: du hast Recht? Praw, prawý rectum est sensu morali et logico; inde prawda rectitudo 1. sensu morali, *justitia*, 2. sensu logico, *veritas*. In psalmis boh. antiquiss. prawda justitia est et veritas. Cum tamen serius a prawda deductum fuisset praweden, dein ſprawedlný, facilis fuit ab eodem themate formatio τοῦ ſprawedlnoſt. Usurpant autem vocem prawda significatu morali scriptores nostri profani aeque, immo saepius, quam sacri. Est igitur vox, significatu justitiae, antecyrilliana, omnibus Slavis, quibus jus justitiaque nota fuit, communis. Nosti, quo animo haec moneam; addam igitur et alia, ut saltem cognoscas, in urbe te reperturum amicos, qui te juvare possint.

P. 298: »Sed neminem scio meorum popularium, qui« etc. Atqui in vocabulariis manuscriptis *ratay*, colonus, legitur; item apud Aquensem, Reschelium, immo Weleslavinum. Vide istius Sylvam voce woráč. Nunquamne audisti percantatum illud: S. Izydor ratag a woráč (aut wolák). Utinam mihi tempus suppeteret, ut supplementa ad Tomsae lexicon propediem edere possemus.

P. 202. nota 85: Vocem náboženſtwj antiquiorem putas, quam sit *blagoczestie*. Ego contrarium sentio, quamvis adject. nábožný (zbožný, pobožný) satis antiquum sit *pietatis, devotionis* significatu. Fave, ut dicam, qua ratione in antiquitatem vocum nostrarum inquirere soleam. Concordantiarum ope loca inspicio bibliorum manuscriptorum primum, tum editorum antiquiorum. Sit igitur *religio* exemplo:

Exod. 12, 26. poklona Prag. 1488.
v. 43. poctiwoſt, reliqua circumscribuntur, *eadem* biblia.
c. 29, 9. poklonú (instrum.)

Lev.	7, 36.	prawem.
	16, 31.	*naboženſtwiim.*
Num.	19, 2.	řad a *naboženſtwie*, duobus his vocabulis.
Esther	8, 17.	wiera.
	9, 27.	eodem.
2 Macch.	6, 11.	*naboženſtwie.*
Coloss.	2, 18.	*naboženstſwie.*
Jac.	1, 27.	křeſtianſtwie.
Act.	26, 5.	*duchowenſtwie.* NB. e manuscriptis reliquum.
Addam Act.	2, 5.	religiosi, nabožni.

Nunc ad manuscripta recurrere soleo; est mihi ad manus MS. N. Test. an. 1417. Videamus igitur.

Coloss.	2, 18.	duchowenſtwie; sic Jac. 1, 27. Act. 26, 5.
Jac.	1, 26.	religiosum, duchownim Act. 2, 5. duchowni.

Vides igitur in bibliis vocem naboženſtwí recentem, ab adj. nábožný (pobožný) deductum, devotionem pietatemque denotante primum, deinde ampliori significatu sumtum. Poloni eodem sensu nabożeństwo usurpant et *religionem*, religya, wiara, dicunt. Pragae, nisi aestus alleniatus fuerit, manebo adhuc diutius. Si qua igitur habes, quae a me rescire velis, scribito. Vale meque affectu veteri prosequere. Vale iterum meque ama.

CXXVII.

1797 — 23. srpna. Durich podává své mínění o slovech *nauka, paučina* atd., zmiňuje se o evangelistářích a zakončuje výpisem zvláštností jazykových z českého evangelistáře Vídeňského.

Turnovii, die 23. Aug. 1797.

Josepho Dobrowsky suo Fortun. Durich s. p. d.

Nosti, quam grato animo tuas animadversiones suscipiam: igitur quod tibi de aranea e psalm. 99, 9. per paronomasiam a me observatum et postea legibus grammaticis in commutatione literarum slavonic. **к** et **ч**, collatis nominibus **наука**, naučení, **паучина**, **паучитиса**, **паукъ** cet. rationibus idoneis firmatum non satis probatur, ut dicas, *casu potius convenire videntur*; non inficior, si casu nomen eruditionis aut doctrinae ab araneo ductum a majoribus nostris intelligas, quibus illud Plinii: *genus erudita operatione conspicuum*, non prius, quam opus aranei casu contemplati fuissent, innotuerit. Neque tu vocem **оүкъ** primitivam esse negabis, et **наоүка** compositam, quae [tibi jam alioquin multis inductionibus nota proprietate slavonica, duplicis terminationis **потопъ** = potopa, **ꙁлобъ**, zloba cet.] identidem **наоүкъ** dici antiquis potuerit. Nec tamen is ego esse velim, qui laudatam vocis nostrae ad eruditionem pertinentis originationem pro firmamento cuiquam imponere obtrudereque satagam, quae omnino paulum subtilior atque levior est, **како наоүчина**; me tamen aranea, sicut Augustinum lib. X. Confess. cap. 35. intentum fecit, neque mihi obfuit versionem LXX cum textu Hebr. conferenti, quod in eo nomen araneae non legatur, quia multae voces in contextu, quem ha-

bemus, per id tempus non inveniuntur, alias tamen habebantur, ut ex Kennicoto noscis; et heic *araneae* nomen alii interp. graeci, item Syrus, Arabs et antiqui omnes legerunt. Et quamvis non legerent, tamen sui archetypi versio slavonica est accurata, meo instituto serviens nulla vi ad illustrandas eruditionis slavicae voces adducta, casu quidem, dum adhuc Pragae essem, a me observata; diligenti disquisitione, praesertim opem ferente Plinio et Bocharto, quod ad eruditae araneorum operationis contemplationem attinet, a me discussa. Quod si tamen alia melior *eruditionis* vocabuli slavici originatio tibi videatur, tanto gratius mihi erit tuam praeeligere, quanto tuae meliores observationes meis mihi gratiores sunt. Memineris etiam Syris voce [illegible] *araneam* et *cogitationem* signari. Sed fortassis nimium de nostro **плоѵ́къ** eruditionis magistro; esto tu meus **плоѵчитель** in illustratione pensorum evangelicorum mecumque dignare e tuis MSS. collectas communicare notas, quibus et formulae quaedam grammaticae et glossemata exponantur; quum vero de hoc Evangeliario universim, immo de antiquitate Evangeliariorum primum in genere, tum in specie de Evangeliariis Slavorum agendum putem; arbitror quaestionem hanc esse necessariam: an codices illi, in quibus τμήματα continentur, sint antiquiores integris Evangeliariis? et num tibi praeter Blanchinum, qui melioris notitiae huc pertinentium rerum sitim non exstinguit, scias quendam auctorem, qui ex proposito melius scripserit, vel ipse excerpta ex aliis aut proprias observationes habeas. Quaedam ego partim excerpsi vel ipse partim adnotavi; postquam in seriem redegero, tuo judicio subjiciam. Si ritus ille Slavograecorum super altare. eo loco, ubi apud nos Latinos tabula major canonis ponitur, Tetraevangelii codicem erectum habendi antiquus est, Evangeliaria seu tmimatum codices aevi sequioris esse putaverim. Nostine alicujus antiqui patris formulam, qua is pensum Evangelii nominavit? et, illud τμῆμα sectionis notione a perf. pass. τετμῆμαι ductum fulcitur ne veteri autoritate cujuspiam script. eccles.? Fortassis vocabulum *lectio,* quod in horis canonicis *s. Evangelii* capitulo priori praefigitur, omnium antiquissima est appellatio, unde lectorum quoque ecclesiae et interpretum, qualis erat S. Procopius, Mart. Syrus, antiquiss. officium in utraque ecclesia, et nomen *Lectionariorum* codicum.

Tuam dissertationem de fragmento Evangel. Prag. debui donare pie defuncto Bibl. Palat. Vindob. custodi Schwandtnero; si quod habes residuum exemplum, te humanissime interpello. Τμήματα integra, quae descripta habeo ex MS[to] Vindob. et characteribus latinis edere volo, sunt ista septem:

I. [sine initio latini textus, desunt enim folia priora; lectio secundum Lucam c. 2, 41—52.]: Kdyz budyſſye Gezyſſ na dwanadczte let...

II. In illo tpe venit ihc̄ a galilea ī ıordanem ad... W onom czaſſ*y* przyſſel Gezyſſ z Galylee do ıordana...

III. Po ſmrty Herodeſſowye, *ez,* andyel buozy... NB. in hoc penso animadversione digna: we ſſnye — gyz (jam scriptum i pro ю) — duſſye dytye*cz*ye — *gez* Archelaus kralygye...

IV. Kdyz ſye narodyl byeſſye Gezyſſ w bethlemye — NB. wy*n*de weywoda — heic et alibi *n* epentheticum num observationibus tuis grammaticis illustratum habes? at yaz przydu naſſledugy geho...

V. Swatba ſye ſtala w ulyczy *G*alylee... NB. ſſyeſt ſrzyezuow (alia manu in superno marg.: zbelu) — ſtaremu ſwatu — genz byechu wodu »lely« — in margine alia manu: genz naczye(r)aly neb y »naczrpaly (налѹрьпавши) Ostrog. — поѹрьпѣте...

VI. Wyſſyedſſye dwa z | uczyennyekow Gezyſſowych | dyeſta toho dne do kaſtella —

VII. — ktery newe*n*de dwerzmy do owczynczye owecz...

NB. huic penso jungam exemplum antiquissimi cod. biblioth. Vatic., sed literis cyrill., quum nesciam, an Budensis typographia velit glagoliticas curare incidi. *Glossemata* haec interim adnotavi vocesque rariores: Pod*ra*hy zproſtyeragy — oſtrowow pyet, quinque porticus — mno*hoſt* multitudo — Inhed statim — nedyelſky den — geſſczye еще — wſſeczny omnes — *lyczomyernyczy* hypocritae — kak, kaky — na zahrzyede*nym* Joann. VIII, 2. — hodn*y* *d*en dies festus — czyſlem piet numero quinque — obr*azn*ikowy — az = ѧзъ non ita frequenter ut ya — et yaz — ſlep — ſlepecz — *gez*, *gezz*, genz — *donaz* NB. prawda pro justitia, praw*yſſ* ſudyl recte judicasti, yga = ига wolow: in recto ge*ho* me, jugum meum — dranye wlkowe — z oſtu *fyky* (sed recentiori manu eraso veteri fors ſ*moky*) — wladanye — wyboynyczy, naprawye — p*ol* p*ůl*. — Wunyczyrz (vinitor) fors ᴬ winnyczyrz — ſtaroſta tey modly — dczyerz — nemocz woden = водный трѹд — donyez — ſtudenyczye (contra sl. о́гнь) febris. — Tynem ohradyl gy — lyſſycze — NB. daty znameny hanby k zenye — pezra pozada — pyſſadla alia manu — Ez ecce — kupczy faeneratori — cz*ye*ſt pars — k waſſyanom — na okrzynye in disco — s wypowyedlnyky cum publicanis — *ponaczyn* nenye — mylofrdye — *dobczye* — *drobtow* alibi — rodyna pro parentibus — modla synagoga — mladczy discipuli — na ſlupu in gazophilacio — w obchodye in porticu — *wen* in ipsum constanter ponitur — nytczye nihil — odl*uz*eny duch, fors odluczeny — zw*o*n ryby partem piscis — nyeterzy quidam (semper ponitur), druhynoſt dydymus. — (Hospodyn Dominus, rarius ponitur Pan) *czyechel* sudarium — ſmutek dolor — myr — proklanye hrzebykowe — przyeden ante ipsum — wezde, wezdy — ſkorzyepynu, *ſkerzupynu* NB. ditolegumenon — cetera.

Tua observatio his verbis expressa: *Versionem hanc Evangeliorum, etsi pessimam, primam arbitror omnium... Videorque mihi deprehendisse indicia, eam factam a presbyteris in Bohemia adhuc conjugatis.* Quam vellem! super utroque, immo super triplex momentum, primae omnium — pessimae — atque a pres. conj. factae versionis plura mecum communicares: meretur enim non solum, quod prima sit, saltem inter eas, quae ad nos pervenerunt, verum etiam propter glossemata, omnem nostram diligentiam; nec ego intermittam, et tu benigne communicabis tuas observationes.

De subscriptione: ꝯ *Deſiez* alias; interim mente revolve: τοῦ ꝯ rubram esse scripturam! Ex animadversionibus optime mihi placet illa ad pag. 298 de voce *ratay*, quam emendabo etiamque topographico vocabulo exponam: Vide opusculum Sazawa pag. 54 na hražených Rattagich —. Hory Rattagſke s Swato-Prokopſkyma pag. ni fallor 63 vel 70. Apud Balbinum in lib. parochiali *Ratay* archidiaconatus Curimensis — *Ratynice*.

Epistolas slovanicas proxime remittam; quaedam omnino placent, ut de coloniis slav. ad mare Adriaticum iisdem cum maris Balt. etc.

Jam vale quam optime meque amare perge et illius novae lexici slav. editionis, cujus author epist. meminit, notitiam et pretium, et unde adquirere possem exemplar, mecum communica. Iterum vale!

(Dobrovský připsal:) *ſkrzeň* MS. 1417, noſyechu *przeden* 1475, et *Franc.* obtulerunt ei Matth. 4, 24; čeſt' *Wel.* voce dſl. p. 247 Sylvae.

CXXVIII.

1797 — 3. září. Dobrovský odporuje výkladu Durichovu stran některých slov, přeje si mluviti s Durichem, zmiňuje se o evangelistářích a lekcionářích, misálech a breviřích, o českém překladě evangelií, jimž upírá vliv staroslovanského překladu, a podává opravy a výklady zvláštností jazykových z evangelistáře Vídenského, podaných v předešlém listě od Duricha.

Die 3. Septemb. 1797.

Fortunato Durich Jos. Dobr. s. pl. d.

Sit igitur *pauk*, qui ab *Aquensi* boh. pauk, sine w in medio, scribitur, dictus ab *erudito* opere, uti idiotam appellaverunt nostri *nedouk*. Ergo notiones *uk*, *uka*, *učiti* sunt priores ipso araneo, quem tamen eruditionis magistrum tu dixisti. Paronomasia sola nondum originem vocis *uk* explicat. Credo igitur ab *um* et *uk* omnem derivari scientiam et doctrinam. Nec ultra notiones: dis*ce*re, do*ce*re, s*ci*re, cuiquam etymologo progrediendum erit. Aliud est illustrare vocem alio vocabulo, ab eadem radice deducto, aliud in notionis originem inquirere. Sunt quaedam notiones (Begriffe) primigeniae, quae fundamentum etymologiae solidae in omni lingua costituunt. Patere, ut ingenue dicam, quod sentio. Ultra has notiones tu progredi conaris quandoque. Sic vocem *mysl* explicando, limites etymologiae transgressus es. Neque ulli, quantum scio, derivatio a my et *sli*, mitto, probabatur. Utique et *mens* et *Gemüth*, goth. *mitons*, (*miton* cogitare), ad eandem radicem *met*, *mit* referri debent; mutatur autem t in s frequenter, inde *mis*, cui si accedat formativa nominis l, habetur *mysl* nostrum. Immo gothicum *mitons* sufficit ad explicandam vocis mysl materiam; rejecto s nominativi manet *miton* h. e. MTN; facta mutatione mutabilium literarum t et n in s et l, habebis MSL, quarum copula apud Slavos est y (ы). Ad radicem autem vocis miton, mysl. *n* et *l* non pertinere, ex comparatione cum germ. ant. *muat* et latino mens, mentis apparet. Sublato enim rhinesmo Latinorum manebit *MT* materia radicis informis. A qua iterum deduci poterit nostrum pa*mět*, memoria, apud Croatas *intellectus*. Servemus igitur *mentem* integram, quid enim opus est, eam secare in partes.

Videor mihi in linguis aliquid altioris indaginis detexisse, θεῖον aliquod, de quo nunc disserere non vacat. Eam partem radicum intelligo, quae onomatopoëiae originem suam non debent, sed antiquissimae traditioni et fortassis primae hominis institutioni, de cujus principio disputant philosophi, qui revelationem non agnoscunt. Alia quidem, licet difficillima, egregie

tu quidem illustrasti, licet primam vocis notionem non detexeris, uti p. 300. vocis zakon, cum qua etiam *okon, nakon* apud Micaliam conferre debuisses. Melius certe *kon*, a nostro *konati*, deduxisses — inde *zakon* transactionis finis, finalis conclusio, sententia definitiva. *Kon* autem est ipsa actio, gednánj, řízenj, quod Moravi appellant hromada. Ipsas aedes, in quibus *kon* agebatur, appellatas *končina* in Ottonis biographo legi. Non solum in divinis, sed etiam humanis *tria* consideranda sunt. Initium, medium, finis, h. e. *iskon*, terminus, a quo aut ex quo, *kon* et *zakon*. Sed tu fortassis ista ridebis! Ad alia transeamus.

Quam vellem tecum coram de multis agere et loqui, quae nunc solum attingere licet. Difficilis certe est quaestio: an evangelistaria sint evangeliorum codd. antiquiora. De graeco textu dubitari non potest ejus partes esse desumtas ex integris evangeliis. Plures exstare antiquos codd. evangelistariorum et lectionariorum, quam evangeliorum in Russia, certo affirmare possum. Lectionaria certe pro usu privatorum, domi legentium, collecta existimo. De libris liturgicis, missalibus et breviariis apud Latinos, aliter sentio. Latini certe presbyteri sec. IX, qui convertendis Slavis navarunt operam, raro integros habuere codices bibliorum, contenti evangeliis, quae publice praelegebantur; haec jam aevo Cyrilli (aut paulo ante) dicta fuisse *lectiones* ex epistola Joh. VIII.* an. 880 ad Svatoplucum data patet. Hinc apud nos evangelia dicta sunt čtenie; et in Evangelistario Vindob. ant.: *kazte cztenye* Marc. 16, 14. satis inepte positum est. De Cyrillo certo non constat, utrum ante libros liturgicos evangelia integra verterit; potuissent enim et graeca evangeliorum exemplaria mensis altarium imponi et liturgia slavice absolvi. Apud nos certe nihil aliud in vulgari lingua lectum fuit, quam evangelium dominicae aut festi. Credoque non omnino mox habuisse sacerdotes evangeliorum partes bohemice versas, sed e latino fuisse interpretatos pensa ecclesiastica et quidem liberrime, cujus exempla non pauca in manuscripto Vindob. supersunt. Simile lectionarium boh. (aderant enim et epistolae) quondam a Judaeo emtum, in membrana in folio grandibus literis scriptum, sed quantum memini sequioris aevi, quam sit Vindob., domino de Neuberg dederam. Aliud in usum Hussitarum seu Utraquistarum missale latino-bohemicum folio in charta (sec. XV) adhuc servo. Introitus etc. latina sunt, epistolae autem et evangelia bohemice versa, recensionis mediae, quae sub Rokyczana in usu erat. Verum isto aevo nulla erat penuria evangeliorum integrorum, immo totius Novi Test., cui plenissima registra evangel. et epistolarum, quae in ecclesia recitabantur, subjungi solent, uti in Nov. Test. an. 1417 in membrana in folio. Notandum vero in hoc, uti in bibliis Pragens. et aliis impressis, non solum initia et finem tam evangel., quam epistol. in dominicis et festis legi solitarum, sed etiam pro feriis secundum cursum missalis, signari, ut adeo Hussi discipuli confundant eos, qui se jactant apostolorum successores.

In Vindob. lectionibus primum observandum est, eas *scriptas* sec. XIV. (post medium), sed ob innumera vitia descriptas ex exemplari jam corrupto, ita ut facile retrogradiendo ad exemplar primum ipsa *versio* ad Wratislai regis tempora referri possit. Subiisse autem aliquas mutationes consulto

factas nullum est dubium, cum eadem vox lat. diversis vocabulis bohemicis jam reddita sit.

Nunc de vitiis agamus, iis solum, quae tu in lit. tuis attigisti: *na zahrzycdenym*, diluculo Joh. 8, 2. sic MS., nam et ego hanc vocem notavi. Atqui legi debet: na za*b*rzezdením (*b* pro *h*). Nam e vers. psalm. antiquiss. boh. bis hanc vocem notavi. Psalm 76, 19: zabrſiezdienie, coruscationes, et psalm. 143, 6: zabrſiezdyeni, idem. Superest autem verbum *břėžditi* in evangel. MS. Matth. 28, 1: *quae lucescit*, in bibliis Olomuc. an. 1417: genž sie *brzieždi*, in Nov. Test. an. 1417 Prag.: kterižto *zabřieždige*, sine *se* (NB. *ige* pro *uge*). Sequiores scriptores habent *zabřeskowati*, uti *Haj.*, pol. brzask et brzeszczy się, der An*bruch* des Tages. Sed si tu coram uti velles collectaneis meis, non esset opus, ista fusius exponere. Az = а҆ꙁ nullibi in lect. Vindob. reperi; viderisque az (až, usque, quod) notasse, non *az*, ego. Neque unquam az classi linguarum slavicarum secundae commune fuisse credo; yaz autem esse gáž, gáť constat. *yga*, esse possit vestigium othographiae sec. XIII. aut XII. *geho* autem error scribae est, quem etiam in MS. Nov. Test. an. 1417 reperi, cum enim geho etiam g*ho*, *ho*, (ejus, eum) scribatur, gho in *geho* resoluit imprudens scriba. Wyboynyczy *na prawye*, sic MS., sed certe legendum *neprawy*, raptores injusti, Luc. 18, 11. v. 9. justi, prawy, eod. v. orabat, mluwyeſſye satis male — et v. 14. hic justificatus, sprawedlny *tuto*, pessime. Matth. 19, 7: znameny hanby, libellum repudii, pessime, nam repudium non est a *pudore* dictum, sed ab antiquo *pudiare*, quod est nostrum *puditi*. — Nota bene v. 10. si ita — non *expedit nubere*. Tehdy nenye ſlyczno *podle zeny muzy ſmylſtwo plodyty;* nolebant enim sacerdotes conjugati haec ita accipi, ut in eos dici possint. Cosmas eodem modo detorsit verba biographi S. Adalberti: *propter nefanda clericorum connubia*. Vide Hist. coelibatus sac. in Bohemia. *pezra* pozada, ita tu in literis, sed scribere volebas *pera*, sic enim in MS. legitur, quod addis *pyſſadla* ab alia manu, ego legi *pyſſtidla*, Luc. 1, 63. Nov. Test. an. 1417 habet *liſtku*, Prag. 1488 deſſtičžky (slavon. дщицꙋ). Ergo quo antiquior est versio boh., eo minus cum slavonica convenit. Hoc etiam aliis in locis observavi. *dobezye*, error scribae, pro drobezye (drobeží gen. plur.). Nosti droby, drobiti, drobny, drůbeř (olim certe drůbež, sicut laupež, krádež, mládež) addis alibi *drobtow*; nescio, utrum *alibi*, in Vindob. lect. v. 11 lego: *oſtatky*, de Joh. c. 6 loquor. Nota hic v. 13. singularem lect.: *a ze dwu rybu*, quod non nisi latini codd. habent, apud Lovanienses signo *o*, i. e. nullius momenti lectio Hoc etiam vitio laborat ant. versio boh., quod e codd. latinis minus bonis fluxerit. Hanc lect. servarunt etiam editi usque ad Melantrichum. In emendandis lect. nullum pene fuit Bohemorum studium. Quid ex hoc inferri possit, jam assequeris. Illud nempe, manifestissima superesse debere indicia slav. vers., si quidem ex hac bohemica profluxisset. V. 14: Nebo *zde* geſt zawyernye prorok, quia *hic* apud Latinos ambiguum; num etiam in graeco et slavico? mladczy, alibi etiam mladſſy, meliori orthographia — e germ. Jünger. duch *odluzeny* — addis: fors odluczeny. Cum obluda sit phantasma, credo hic legendum o*b*luzeny. nyeterzy semper poni scribis. Minime. Nam et nyekterzy adnotavi. ſkorzyepynu primo loco ante *had* etiam sic lego, quo loco delendum fuit; altero loco ſkerzupinu (ſke e pro o) legi. — Legendum

autem *ſkorpyona*, scorpionem. skořepina aut skeřupina sciolo cuidam correctori debetur, qui cum ovi facta sit mentio, etiam putaminis hic mentionem invenire voluit. *ſſtir* nostrum, quod habent sequiores, non proprie scorpionem, sed aliud insectum scorpioni simile, hordeo infestum, significat, germ. *Werle*, quod Balbinus in Hist. naturali descripsit.

Fragmentum S. Marci proxima occasione accipies. Lexicon illud, de quo Raicevich, est della Bellae editio Ragusina an. 1785, duorum voll., quod Venetiis emtum domum attuli. Ejus mentionem olim in lit. Viennam datis feci.

In Schalleri topographico indice trium *Rattay* fit mentio. Hujus, cujus e Balbino meministi, et aliorum duorum. *Ratynice* ad formam *ratina* pertinet.

Glagoliticarum lit. formas aeri incisas habet P. Schimek, in Ungaria nunc parochus. Hae igitur emi possent ab illo. Neque facile carere typis glagol. poterit typographia, edendae Bibliothecae slavicae destinata.

c rubrum utique, uti alibi saepe; nec enim solummodo ad finem libri occurrit, sed ad finem quarundam lectionum alibi. Rubricatoris manus distinguenda est ab alia tertia sec. XV. Hic subinde corrigere volens textum, pejus erravit, e. gr. Joh. 4, 31: myſtrzye gey, hoc loco *gey* rubra linea deletum, sed legendum fuit *gez*, Rabbi manduca. Ergo non inspecto textu latino correctio haec male facta est, prout sensus videbatur correctori exigere. Alia non tangam. Illud tamen addam: *n* in *wynde* etc. non posse dici epentheticum, sed *n* ortum ex *g*. Solet enim *g* frequenter mutari in *ň*, post *s* semper fere: gſsti, *snisti.* (segmu olim senmu inde senm [slav. sonm], pol. *seym* vox antecyrilliana). Post wy frequenter, gjti, (gat moravice) wyníti, wyňal meč, in bibliis Venetis atque alibi. —

Pronomen geho, gemu, post praepositionem mutare *g* in *n* grammatici monent: z něho, u něho etc. Hinc contracte ň, weň, naň, proň, zaň etc., quod Pelzelius p. 67. Sed monendum hic *weň*, naň poni non pro něho genitivo, sed pro accusativo antiquo и́, (geg nunc apud nos). Est ergo naň, zaň, nai, zai, bohem. nag, zag (nunc na něg, za něg). Istius i (и́), (pro centies in codd. slav. substitutum est serius *nego*) habemus vestigium in pronom: jenž, jež, immo in genitivo geho, gemu, sicut enim genitivus, dat., toho, tomu a nominativo tъ (cui a Russis additur oĭ, a nobis en (ten) sic, gehož, gemu, a nominativo obsoleto i (is, ea, id), cui in relativis additur *en* et *ž*, ergo genž, in plur. jiíž, qui — in fem. gež, in neutro gež in singulari — hinc gez, gyez, *quod*, pro relativo et conjuctione, dass, das, uti Latini et Germani, иже, ıаже, ѥже, qui, quae, quod resecto же (nostro ž) fiet e relativo pronomen personale и, ıа, ѥ, pro quo usurpatur in nominativo on, ona, ono; reliqui casus formantur ab и. In accusat. apud Slavos, qui nominativo mascul. similis est, и́, apud nos pro и, jej, sed neutrum je superest. Ergo skrzyeň, przyedeň, veň etc. sunt ex praeposit. et ň pro g. Ergo pro on, ona, ono, in declinatione pronominis monere deberent grammatici, casus obliquos deduci ab i, ia, ie (is, ea, id). Moravos pro přigdu, nagdu, etc. dicere přindu, nandu etc. notum est; et in lect. Vindob. vulgaris l. vestigia haberi, uti pude pro půgde, ſtwrty pro čtwrty, buo pro buoh, certo scio.*)

*) Zdá se, že konec listu tohoto schází.

CXXIX.

1797 — 15. září. Durich zmiňuje se o etymologii vůbec, a etymologii slov: *mysl, pamět, nedouk, pauk* zvláště a zakončuje svůj list zprávou o nápisech v kostele Přepeřském.


Turnovii, die 15. Septembris 1797.

Josepho Dobrowsky suo Fort. Durich s. pl. d.

Lecta epistola, quam 3. Septembris ad me scripsisti, videbaris mihi veteri tuo epistolari commercio intermissum trium annorum spatium sarcivisse: ita enim placuit mihi, ut pluribus de causis eam inter actionum perpetratarum emendationes seu inter istarum regulas reponam. Hujus generis est haec tua propositio: *Sunt quaedam notiones (Begriffe) primigeniae, quae fundamentum etymologiae solidae in omni lingua constituunt.* Non diffiteor, me saepius fortassis etymologiae limites transgressum fuisse, ultra laudatas notiones primigenias progrediendo, prout me in voce *myſl* fecisse animadvertis; videorque mihi quodam inventionis ardore praeventus in Varronis errandi modum incidisse, dum ille magis volebat domi, quam apud Graecos etymologiae fundamentum quaerere. Etsi ego in inquirendis etymologiis post collationem antiquiorum vocum et nostrarum dialectorum ad graecam, latinam, gothicam, linguas, illustrandae Slavorum linguae idoneas, ex instituto redire mecum constituerim: tamen heic me institutum istud transilivisse tanto magis poenitet, quanto magis mihi in hac vol. I, parte II. (§ 1. *Ingenii Slavorum investigatio ejusque praecipua duo specimina cum virtutibus imperialibus conjuncta*) ad illustrandam vocem **памать** et nostrum infinit. mnſti redire necessarium visum est ad graec. μνήμη. Qua in re collatis tuis observationibus et meo recentiori hujus II[ae] p. conatu, nimirum, quas de vocibus: *mens, Gemüth,* goth. *mitons, myſl*; mutabilium literarum *t* et *n* in *s* et *l* = *M S L* copula slav. *IZ* intercedente; sublatione rhinesmi; *pamět* apud Croatas significatu scripsisti: omnibus istis notationibus invicem comparatis ipse video, quatenus partis II. originationes cum illis, quas priori p. edideram, melius cohaereant, tuam in voc. myſl animadversionem heic sequi omnino magis expedire et *mentem* notatione mea divisam in partes, suae integritati restituere, adoptata tua meliori observatione atque laudata; cujus causa necesse habeo 20 notas, quas ego separatas a textu scribo, ad typum descriptas, facta notationis *myſl* emendatione, iterum describere in dimidia philyra. Tu itaque omnesque II. part. lectores intelligent, quantum opere omnino mihi constare velim in eo, quod praefat. num. XI pag. XXXVIII ex animo scripsi.

Etiam notas ad eruditae operationis magistrum pertinentes tuis observationibus attemperabo, praesertim illa idiotae appellatione: *nedouk.* Non contendam equidem pertinaciter, notionis scientiae et doctrinae originem slavicam a pa-uk ita omnino esse repetendam, ut *uk, uka, nauka,* vocabula sint ipso pauk posteriora, quum tu dicas has voces araneo priores esse; sed patere, ut opinionem hanc potius tuear isto argumento cum suffragio Plinii conjuncto, qui, non ego solus, araneos ita celebrat: *genus erudita operatione conspicuum;* quaeso, lege Bochart. part. poster. lib. IV. cap. XXIII. de aranea.

Itaque de prioritate *aranei* in hunc modum argumentor: Voces naturae in sua regna divisae apud antiquissimas gentes, praesertim animantium cuique in oculos incidentium, antiquiores omnino sunt vocabulis artium et scientiarum; sed vocabulum **паꙋкъ, паꙋчина** est vox naturae ad regnum animale pertinentis genere suo maxime obvii animantis; voces vero **оукъ, оука, наꙋка, наꙋчитиса**, sunt artis et scientiarum; igitur antiquior apud Slavos, gentem inter antiquissimas celebrem, est vox aranei pauk, voce uk, et paučiti et naučiti fia. Num vocabulum naturae: **прагъ** significatu cataractae, posterius notione *liminis* asseverabis? Sed etiam isto in casu, si tueri velis vocem **паꙋкъ** posteriorem esse vocibus uk, uka, učiti; tamen vel ipsa paronomasia ingenium slavicae gentis testabitur in hac vocabulorum notatione. Nihil itaque oberit parti II^ae^ aranei scenographiam cum hac epigraphe praefigere: *genus erudita operatione conspicuum.* Lege, quaeso, Plinium hanc eruditam operationem describentem. Quod ad vocem *nedouk* attinet, quum haec mihi vehementer placeat, quam vellem, praecipuas illius auctoritates me doceres.



Heic tecum communico inscriptionem chronologicam, quam ex pariete dextro interiori ecclesiae Przeperžensis Turnovio vicinae descripsi: colligo enim omnes inscriptiones chronologicas causa figurarum seu characterum numericorum. In praefata ecclesia duas inveni, istam, et alteram exterius in poste lapideo portae occidentalis, ubi ultimus character anni 1554, non illa forma, qua fons baptis. ad S. Nicolaum Turnow. ⴳ; sed ista 4 est insignitus, scribendi genere et manu eadem lapicidae, qualis est prior heic descripta inscriptio. Vale! de reliquis proxime plura, nuntius enim exspectat.*)

CXXX.

1797 — 20 září. Dobrovský obšírně odpovídá na list předcházející strany etymologie slov *mysl, pamět, nedouk* a *pauk* atd., podává zprávu o Ch. F. Völknerovi a jeho otázkách otištěných v »All. Lit. Anzeiger«, jakož i o odměně dané Durichovi, o recensi jeho Bibliotheky slovanské a o článečku Antonově.

Pragae, 20. Septemb. 1797.

Fortunato Durichio Jos. Dobrowsky s. pl.

Votis tuis satisfacere cupiens has ad te literas dare constitui ante abitum meum. Volo enim vindemiae tempore Austriae aere frui. Sed ante Octobris initium vix mihi licebit abire. Habe igitur primum, quae scire desideras, deinde pauca alia.

*) Dobrovský na tomto listě připsal si poznámky k odpovědi na tento list stran etymologie slov *mysl, pamět, nedouk* a *pauk*.

Habent vocem *nedouk* Aqu., Reschel. voce *iners*. Wel. in lex. lat. v. *litera*, sed non habet amplius in Sylva, ubi sub *neučený*, *neumělý* poni debuisset. Ergo jam ad finem sec. XVI obsolevit. Verum habet vocem interpres bibl. bohem. N Test. jam an. 1417 et posteriores quique (non licet ob ferias inspicere ed. an. 1475) excepto tamen Pragensi 1488 et MS. Nostitz. an 1481. Act. l. c. legit neučeni, 1 Cor. l. c. neumielý, uti Prag. ed., et quidem omnibus in locis, in quibus vox *idiota* occurrit, ut Act. 4, 13 nedouky, idiotae (ergo sing. nedouka) Prag. 1488 h. l. *ſproſtni*; 1 Cor. 14, v. 16. mieſto *nedouka* (ergo sing. nedouk), v. 23. nedouky, v. 24. nedouka nom. sing. Prag. 1488 neumělý, h. l. et alibi pro ratione casus. Poloni habent vocem hoc modo formatam *niedowid*, de myope. Adde, si placet, lex. germ. boh. *Thamii*, qui sub vocibus halbgelehrt et ungelehrt, *nedouk* apposuit, certe ex Wel. et Reschel. Significat autem non na poly učený, sed plane *rudem*, uti Balbinus vocem hanc recte explicavit reddendo titulum dialogi: mezy mudrcem a nedoukem (male editum *nedoubem*), *inter sapientem et rudem*. Vide Boh. doct. p. III. p. 172.

Redeamus ad *artificem (pauk)* erudita operatione conspicuum. Hujus certe appellatio supponit notionem *τοῦ uk*, nec obstat, quod objicis, vocabula naturae antiquiora vocabulis artis et scientiarum. Nam *discendi* notio omni arte prior est, ita ut nulla ars ne inveniri quidem potuisset, sine hac notione. Multa enim naturaliter (sine arte, ante omnem artem) discimus. A bove majori *discit* arare minor. A matre linguas discunt balbutientes pueri, sic et alia. Homo ratione praeditus et a natura (an non in divinis etiam a Deo?) institutus non *omnia* objecta externa signaverit vocabulis prius, quam praecipuas mentis suae operationes. Multa ab eo effecta nominaverit nondum signatis aliis, uti *prag*, limen, quae deinde ob similitudinem quandam ad alia, puta cataractam transtulerit. Latus, pedem montibus tribuimus, et certe latus, pes, vertex corporis humani hoc significatu prius denominatus est.

Maſlo mea quidem sententia de butyro prius accipiebatur quam de unguento alio, puta *oleo*. Nam in antiquis MS. olei nomen peregrinum servatum est. Cyrillus profecto de hoc significatu nihil sciverit. Deberes utique, quando e bibliis slavicis pro antiquitate vocum aut significatus decertas, ad manum habere codd. antiquos. Ex editis enim, quos reformatos nosti, nihil certi erui potest. Major mihi auctoritas oritur ex consensu dialectorum praecipuarum, puta russ., boh., pol., serv. Praecipue vero monumenta nostra bohemica consulenda sunt, cum nos semper divisi a Transdanubianis ex libris eorum nihil hauserimus, ut adeo consensus vocis boh. cum servica aut russica semper Cyrilli aetatem superet. E. gr. *myto*, significatu *merces*, Lohn, Luc. 10, 7 in fragm. Vindob. Posteriores habent mzda. Notabo hic cit. cap. et versu in sorabica vers. infer. Lusat. *mutha* (with e above u), alii *mutto* et *mutto* (with e above u) scribunt, (in genitivo) legi, in vers. sorab. sup. autem *ſdy* (corrupte pro *mſdy*). Sed norunt etiam Lusatae sup. vocem *móto* (ó pro y frequenter, sic *móſs* pro *myſl*) in canticis hoc significatu, quem exposui. Sed ad alia mens properat.

Recte tu quidem tibi recurrendum censes in illustranda voce *pamět* ad gr. *μνήμη*, addam ego ad latinum *memini*, memento, mentio. Radicales certe

(collatis *μνάω*, *μνεία*) sunt *MN*, quas nos habemus in verbo *mním*, germ. meynen, russice мню, sub qua voce in lexico academicorum russ. *pamāt* positum fuit, quamvis a forma *pomněti* deducta immediate non sit, sed potius a fut. помянѫ. apud nos zpomenu (olim wzpomanu, rozpomanu, zapomanu), cujus praesens seu forma iterativa est *pominám* (inde zpomínám, napomínám etc.). Est igitur primitiva vox manu, manu, menu, a qua derivatum sit substantivum abstractum ope formativae *t* (uti wlasť, powieſť, blagodať, pasť, masť) mānť, mēnť, sublato rhinesmo, (cujus exempla in hebraea lingua suppetunt plura) māť, mēť, inde *pa*měť. Servant autem omnes Slavi in substantivo hoc praepos. *pa* pro *po*, more Lithuanorum, qui semper et ubique *pa* usurpant, Sueci *på*, h. e. a obscurius affine o; excipe tamen Lusatas, qui mascul. genere et diminutive *pomatk*, z pomatka (memoriter) scribunt *po*, quod habent verba ex mněti, mínati, mānu, menu, composita. Si a pomněti immediate deducta vox fuisset, uti *pomgna* illyricum, haberemus vocem *pamněť*, sed constanter omnes pronunciant et scribunt sine *n* ante vocalem. Hoc autem loco positum *n* nunquam excidere potuisset. Sic graecum *μανθάνω* habet in fut. *μαθήσομαι* aliaque derivata sine *ν*: *μάθησις*, *μαθηματικός*. Occurrit hic et *μάντις*, *μαντεύομαι*. Nostrum zmíniti, zmínka alia forma verbi et nominis. Carniolicum *pomin, spomin*, memoria; nam *pamet* pro intellectu accipiunt; quo significatu vocem hanc primum exposuit etiam P. Micalia, deinde altero: *spomena*, apud della Bellam *uspomena*; posterior *pamet* etiam sub italica voce *mente* exposuit. Sed mentis (mysl) prima operatio *mníti*, myſliti — altera pomnieti, ut adeo ingeniose ad signandam facultatem memoriae vocem pa-měť excogitarint Slavi. Poloni repetunt *m* in voce *mniemam*, mniemawam, uti Graeci in *μνήμη* a *μέμνημαι*. Magis autem ad russicum seu potius slavicum *pomānu*, *pominaju*, accedit lithuanicum *menu* praes., *minněti* inf., woran gedenken, meminisse — inde *paminklas*, memoria, et suecicum *minne*, memoria, *minnas* (verb. reciprocum) recordari, reminisci. [Fenni *muisto*, Lappones *muito* memoriam appellant, muitet inf. est meminisse apud Lappones, muistaa apud Fennos, sed haec magis ad goth. *miton* referenda sunt]

Ex his tamen, cum tam late *men*, *man*, *min* seu radix MN, pateat et propagata sit, antiquitatem hujus vocabuli quacunque forma editi colligas. Latinorum *moneo* factitivum est ex *meneo* obsol., a quo *memini*, germ. mahnen (erinnern), inde *monum*entum (památka). Sunt certe etiam linguae mentis humanae monumenta, non raro exesa post tantam seculorum corruptionem. Slavi tamen in plurimis ingenii *monu*mentis explicandis satis feliciter progrediuntur, cum integrius servata a majoribus ad eos pervenerint, quamvis scribendi arte posteriores aliis. Illyricum *pomstvo*, cura, attentio, diligentia ab adj. *poman*, pom*na*, pom*no*, sedulus, accuratus, diligens, deductum, qua ratione ad me*nt*em atque me*mori*am reduci possit, attento satis clarum est. Acumen ingenii Slavorum maxime ex idiomate eorum elucescit. Sed de his jam satis commemoravimus.

Hoc tamen addam, *uk*, *uka* vocem proprie slavicam, h. e. talem, quae cum graecorum *διδάσκω*, lat. doceo et disco, germ. lernen, lehren etc. nullam affinitatem habet, esse hoc ipso, quod ejus stamina non reperiantur in ulla voce aliarum nationum, recentiorem vocabulis aliis, quae aliquam cum exteris

affinitatem habent. Non enim omnia vocabula uno eodemque tempore nata et edita. Sic aranei, si habuit nomen ante vocem *uk*, appellatio non multum differre potuit a graeco aut latino aut lithuanico, qui eum *woras* appellant. Placet tamen paronomasia et ingenuosa signatio, qua araneum ab artificio texendi telam *pauk* dixerunt, non *uk*, quod bene notandum, sed *pauk*, quasi dicerent alter artifex, secundus artifex, ejus nimirum generis, in quo Slavi praecipue excelluerunt. Formicam, si non potius commune cum aliis vocabulum retinere maluissent, a diligentia et providentia nova voce compellassent. Muscae, pulicis, pediculi nominum eadem est ratio; haec enim aut horum radices in aliarum gentium Slavis magis affinium linguis reperias.

Myť gſme ſe giž doſti za příčinau *pauka* na*učili*, wſſak ale bez *uky* nebylo by ani učení, ani učitele, ani učeníka (proč pak také učedlníka?), ani pauka, ba ani nedouka — a ſnad bez *oka* a *ucha* ani také *uka* neb *uky*, coť tím *míním*, do*mníwám* ſe, že ſe rozpo*menete* bez mého napo*menutí*, neb máte dosti bystrou *myſl* y *ſmyſl* (um, rozum) y také *pamět*, w kteréž mne vždy zachoweyte.

Monendum adhuc in ephemeridibus »Allgem. Lit. Anzeiger, Leipzig, 1797, mense Junio quaestiones hic subjunctas*) pertractari a Christ. Fried. *Völkner*, russico imperiali collegii assessore seu consiliario (Russ. kais. Kollegienrath). Novi ego hominem de facie cumque eo collocutus sum, sed nihil praestans ab eo exspectavi, neque fefellit me opinio de eo concepta.

Mense Julio, rubrica Belohnungen, ex novis Prag. narratur, te auctiori pensione donatum cum laude (fere nimia) operis tui. Dein ex lit. latinis ad *Alterum* datis recensio generalis operis, quae fere in capitum summariis exponendis versatur, subjungitur, cum subscriptione *Alter*, utpote qui haec inserenda curaverit.

Eodem mense continetur notitia quorundam Slavorum infer. Ungariae, quorum lingua cum carniolica maxime convenit, auctore d. *Anton*, Slavophilo insigni. Vellem tibi mittere haec folia, sed nemo amicorum est, a quo ea obtinere possem. Vale quam optime.

*) Juny 1797 allgem. literar. Leipziger Anzeiger S. 738 etc.

I. Ob die heutige slowäno-russische Sprache, in einer edlen Schreib- und Sprechart, Wurzelsprache sei und ob sie nicht, im bejahenden Falle, auch im Auslande, vorzüglich bei der aufgeklärten Welt, mehr Kultur verdiene, als bisher?

II. Ob die Sarmaten und Slowänen eine und ebendieselbe Völkerschaft sind, aus deren Schoose ganz Europa, Griechenland und Italien ausgenommen, ursprünglich bevölkert wurde; ungeachtet der Sarmaten Name in der alten Geschichte viel eher vorkommt als der Slowänen.

III. Ob nicht der Name Slowäno-Russen oder allein Russen, in Teutschland wenigstens eine Zeit früher bekannt gewesen ist, als man bisher aus Überlieferung der Bertiner Mönche geglaubt hat; da doch die slowäno-russische Sprache in Nieder-Teutschland an der Ostsee noch im ganzen 14ten Jahrhundert die herrschende war?

IV. Ob die Teutsche eine Wurzel-Sprache sei und in ihrer Etymologie sowohl, wie überhaupt in ihrer Sprachlehre, für eine andere als ursprünglich verunstaltete slowänische Sprache betrachtet werden könne?

CXXXI.

1797. — 26. listopadu. Dobrovský zmiňuje se krátce o své cestě do Rakous a na Moravu.

(Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. pl.)*)

Redii tandem e feriis autumnalibus. Percurri Austriam et Moraviam invisendo amicos et nihil aliud agendo, quam spirando aerem, ad vires corporis confirmandas. Hunc finem ita consecutus sum, ut mihi gratulari audeam de valetudine optima.

Vindobonenses amici te plurimum salutant miranturque, qua ratione possis commorari Turnovii spreta urbe Praga. Bibliothecam rarissime adire licuit, cum vindemiae deliciis frui voluerim ruri. In Moravia Olomucii iterum textum bibl. boh. antiquissimorum examinavi et cum fragm. Vindob. vetustissimis comparavi. Rayhradii quaesivi *Evangelia boh.* sec. XIV., uti consignata legi in indiculo manuscriptorum, quem habet dn. Cerroni, sed ea reperire non licuit. Inspexi tamen alium cod. Nov. Test. sequioris aetatis, quem jam olim tractavi.

Credo te in labore cepto feliciter progredi. Deus roboret vires senio fractas. Vale quam optime. Si qua sunt, quae a me fieri exoptas, scribe, cum libuerit.

Pragae, 26. Novemb. 1797.

CXXXII.

1797. — 5. prosince. Durich raduje se ze zdraví Dobrovského, podává zprávu o svém zdraví a pobytu v Turnově a zakončuje list některými přáními.

Turnovii, die 5. Decembris 1797.

Josepho Dobrowsky suo Fortunatus Durich s. p. d.

Gaudeo vehementer de consequuto fine, ob quem in Austria et Moravia fuisti: quid enim desiderabilius esse potest optima valetudine et quid melioris rei ego tibi precari possum, quam quod ipse primum exopto.

Expressio illa consequuti finis intimo sensu tuo perscripta: *ut mihi gratulari audeam* — ingenti gaudio me afficit et animum erigit, ut auxilia abs te sperare audeam in iis, quibus tu mihi omnino nunc recuperata optima valetudine ita prodesse vales, ut ego in praefatione I. vol. ingenue confessus sum et II^{a} parte eodem animo profitebor. Etiam ego duobus jam mensibus melius valere incipio et felicius in labore coepto progredi possum, quum antea talem operam studiis impendere non potuerim ob illos spasmos, quibus vel ex parum diuturniori data opera obruebar ita, ut mihi subtimerem de continuatione operis. Mitigare tamen debeo desiderium studiorum, quo amicis et tibi cum primis matura editione p. II^{ae} satisfacere vellem.

Gratias habeo illis Vindobonensibus me plurimum salutantibus, sed mirantibus, qua ratione possim commorari Turnovii, non equidem spreta, ut illi putant, urbe Praga; sed rationibus, meo sensu conscientiae, aequissimis,

*) Odříznuto jest v originale a připsáno od V. Hanky na str. druhé.

respondeo; omnium primam esse illam, quam heic sentio ex electa sententia: *ζωὴ αὐτάρκους ἐργάτου κ. τ. λ.* Sir. XL. 18. Secessum habeo meis studiis aptissimum et omnino quietum; per id tempus hoc unum mea studia impedit, quod decanatus adhucdum ex die I[a] Septembris vacat et administratorem capellanum adjuvare debeam vi promissionis r[mo] officio factae, quod mihi temporaneam administrationem, quam suscipere non valebam, humanissime offerebat.

Sunt equidem plura, quae mihi a te fieri exopto et tu, ut ista scribam, humanissime defers operam; utar igitur tua benignitate proxime, nunc enim propero ad officium funeris; breviter tantum desidero, ut rescribas, num tibi Pragam concessas ephemerides Liter. Lipsiens. et illas Vindob., ubi de epistol. slovanicis Raicevichii, remittere proxima occasione debeam et, quum pensa Evangel. Vindob. nosse volueris, ut jam tibi significavi, in quem modum tu meam operam adjuvare velis. Vale quam optime et saluta amicos, proxime longiorem dabo ad te epistolam, iterum vale!

CXXXIII.

1797. — 17. prosince. Dobrovský odpovídá k listu předešlému, zmiňuje se o Rajcevićově článku, slibuje pomoc při výkladě slov Evangelistáře Vídeňského, raduje se ze zdraví Durichova a zakončuje svými poznámkami k prvé části Bibliotheky slovanské.

Die 17. Decembris 1797.

Fortunato Durichio suo Jos. D. sal. pl.

Desideras, ut breviter rescribam, num ephem. Lips. proxima occasione remittere debeas etc. Hisce igitur satisfaciam desiderio tuo. Quando tibi commodum fuerit, remittes concessa. Mittam, si cupias, alias partes ephemeridum, in quibus quaedam de rebus slavicis leguntur, et epistolarum slovanicarum continuationem. Ridebis profecto amorem *Raicevichii* erga gentem suam nimium. Nam etiam deorum coelestium et inferorum nomina slavica asserit et, uti solet, e lingua slavina explicare eorum etyma conatur. Doleo hac ratione gentis nostrae vanitatem ludibrio exponi. Quid enim gloriae in his nugis??? Nobis alio tramite incedendum est.

Qua ratione juvare velim operam tuam in exponendis vocabulis Evangeliarii Vindob., ex chartula hic inclusa*) facile divinare poteris. Si tibi molestum non sit, in una columna chartae in medium divisae describere textum pensorum, quae edere vis, age, ut mihi communices. Remittam ea facta collatione cum aliis antiquis manuscriptis, additis hinc inde notulis varii generis. Si praesens adesses, facilius tibi satisfacere possem eo modo, quo adjuvari optares. Verum secessum amas et sentis vitam operarii sibi sufficientis dulcorari. Nolo igitur tibi molestus esse adhortationibus pluribus.

Gaudeo de confirmata paulo valetudine tua, moneo tamen, ut ejus curam non negligas. Spero te liberum esse a muniis parochialibus, a quibus aetas ac morbus te dispensare possunt.

*) Lístek tento se nám nezachoval.

Ne te et hac vice vacuum dimittam, observationes in I. p. introduct. subjiciam paucas, quas aequo animo, uti soles, accipe:

P. 53. nimium subtilis mihi videtur deductio derivativae voculae *isstě* ab ищу, cujus infinitivus *iskati*, (in Moravia pronunciant *iskati* et *giskati*, pro nostro *wiskati* to gest *wssi hledati*). Sufficit dicere nomina locorum formari addito *isko*, quod posita vocali *e* pro *o* transit in ище, id est, issče, isstě.

Pag. 78. malim *peníz*, *peňaz* deducere a germ. Pfennig, penig, (lithuan. *penigai* pecunia) facta mutatione literae g in z. Disputent Germani, unde habeant suum Pfennig significatu Geld. Nos certe Slavi a Germanis et rem et rei nomen habemus. Vide Adelungium.

Pag. 87. et 92. Malim *Colomezza* ita exponere, ut sit vox simplex corrupte scripta a germanico scriba. Nosti utique loca *chlum* a Germanis pronunciari *Kulm*, uti solent dicere *kleb* pro chleb. Igitur *Colomezza* nihil aliud est, quam slavicum *cholmec*, colliculus. Russi quidem habent *cholmik*, sed nos dicimus *chlumec*, Croatae certe Vinidi in Carinthia dicerent *cholmec*. Notavit enim Megiserus in Thesauro polyglotto, Francofurti 1603. 8. edito sub voce collis: Croat. *holmaz* (id est *cholmac*, *ac* pro *ec* more meridionalium) legoque *homez* (eliso l uti nunc solent) apud *Gutsmann* (deutsch-windisches Wörterbuch, Klagenfurt 1789. 4.). Ungari habent *Halom* a nostro chlum, cholm, ad significandum collem et tumulum. Posteriori sensu vocem *Halom* ab Ungaris sumtam Verantius linguae dalmaticae tribuit voce *tumulus*. Vide Lodereckerum, qui Verantium exscripsit in Dalmat., Ungar. Poloni in nominibus propriis locorum *chelm* pronunciant. Temlerus in lexico illyrico manuscripto citat e psalmo 71, 3: хлъмы, nescio e qua editione, cum nunc editi legant холмы Russorum more. Bene recordor, talia vocabula in antiquis libris slav. manuscriptis me legisse sine vocali, solum interposito fulcro vocalis ъ. Sic etiam *plk* pro *polk* seu *pluk*. Non fuit igitur dividenda vox Colomezza (nec enim *Winidae* meža aut meza dicunt, sed *meja* aut medja — a *med*, inter,) sed scriptio Slavorum pronunciationi restitui debebat.

Pag. 231. Non poterat feliciter succedere conatus in exponendis vocibus peregrinis, id est russicis. Slavica tamen ex. gratia *ναπρεζη* minus difficultatis habent. Male tu vocem russicam et slavicam ex eodem fonte deducis. Quid igitur *naprezi*? *Napreží* est idem, quod *nápraží* bohemicum deductum a práh, limen, cataracta, et praep. na, et exitu neutrorum collectivorum, in í (slav. *ie*). Exempla habemus in vocibus: 1. náledí, 2. nářadí, 3. náčení (načiní), 4. nádobí, 5. nádwoří, 6. nákowadlí, 7. náručí, 8. násylí, 9. náwěští, 10. nákončí apud Aquensem. Plura ejusmodi neutra formantur ope praepositionum *u* (údolí, úžlabí), *po* (pomoří), *pod* (podhoří), *za* (zákampí, záważí), et cetera.

Apud Polonos reperio, excusso lexico Trocii, naczynie, Gefäss; naręcze (náručí boh.), narzędzie.

Apud Russos: naparě, напарье, locus siccando frumento destinatus, et нарѣчїе 1. adverbium, 2. dialectus, Mundart. In hac compositione praepos. *na* habet vim minuendi, uti in quibusdam verbis ex *na* compositis. Apud nos in compos. náčerný, nákyslý *na* significari *parum* satis constat.

P. Marcus in suo Dictionario trilingui *nanębje* habet, i. e. plaga coeli, Himmelsstrich. Sed Gutsmannus *podnebje*, nescio utrum ore vulgi haec proferantur, an vero analogice formata sint.

Quod objicere possis, nihil certe est, nisi quod *a* in *e* mutatum sit in *nápřeší* deducto ex *práh*. Atqui *a* in *e* mutari, praecipue post ř, uti in třasu — třesu, přadu — předu, satis notum est; sic ex *pata* fit zápětí etc.

Plura nunc addere non licet, cum tempus cursui publico defixum urgeat. Vale quam optime! Iterum vale! Parce literas non relegenti.

CXXXIV.

1798. — 12. ledna. Durich oznamuje, že zaslal Dobrovskému svůj přepis Evangelistáře Vídenského, by jej opatřil svými poznámkami, zmiňuje se o listech Rajcevićových, žádá doklady k slovu *host*, připomíná město Hostinné, podává ukázku z Pravdy ruské o plavectví, přeje si názvosloví plavecké, z něhož podává některé ukázky s přáním, by byly objasněny.

Turnovii, die 12. Januar. 1798.

Josepho Dobrowsky suo Fortun. Durich sal. pl. d.

Benignitate tua, quam in epist. 17. Decembris ad me data mihi obtuleras, nunc usurus, ut observationibus tuis pensa antiquiss. Evangeliarii Vindobonensis illustrentur, jam nuper ad P. Franc. Xaverium misi apographum eorundem, prout illud in Bibl. Vindobon. descripsi: nam, ut hoc mitterem, non tam causa molestiae aliud exemplar describendi, quam vindicandi temporis erat. Poteris itaque paginas mei exempli et tuarum observationum plagulas singulares certis et iisdem signis notare, ut ego postea collatione facta meisque observationibus expensis exemplar mundum typis praeparare valeam. Postquam tu rem paraveris, dabis in involucro obsignato P. Xaverio ad me mittendam opportuna occasione. Huic pensorum exemplo addidi quatuor illas partes τοῦ Magazin der Kunst und Literatur — servatis interim Ephemer. Lipsiens. usque ad aliam occasionem.

Quae mihi placuerunt in duabus Raicevichii epistolis slovanicis ista sunt:

S. 283: Nestor schreibt immer Slovane, daher habe ich diesem Ausdrucke den Vorzug u. s. w.

S. 316: Lomonosow und Nestor erzählen, der erste Magistrat dieser Stadt (Nowograd) sei Gostomisla (**гостомысла**) (an -- **а**?) genennt worden. Haec observatio me attentum reddidit maxime ob praecedentia mox de Venedis ad mare Balticum *negotiatoribus* dicta; licet Raicevichius de altero significatu vocis **гость**, *πραγματευτής*, heic nihil animadverterit, sed magis respexerit significatum *ξένος*, *φίλος*. Profecto in tali civitate reipublicae Slavorum a *negotiatione* celebri, potius inducor hunc magistratum nuncupatum fuisse a jure dicundo in causa *rei negotiatoriae*, quam *hospitalitatis* causa, quae alioqui apud Slavos usque ad profusionem observabatur, ut modum excederent. Facies itaque mihi rem gratissimam, si locum Nestoris originarium itemque Lomonosow mihi perscripseris, quum utroque caream. Et num in lexico illyrico vocabulum *Gost* laudato significatu *negotiatoris* seu nobilioris mercatoris signetur? Certe apud nos vocabulum hoc identidem in usu fuisse

istis argumentis inducor: 1. Lat. vocab. *hospes* isto laudato significatu occurrit in diplom. Spitign. eccl. Litomeric. Quaeso, inspice hujus rei causa Gloss. med. aevi Du Fresne et me illustra!

2°. civitas nobis ex parte septentrionali vicina, de qua Vogtenus: *Arnau* cum Turnau sedet ante theatra gigantum — patrio nomine appellatur Hostiney — гостинный, quo nomine Russi emporium, stationem mercatorum, vid. Hölterhof, significant. An Aquensis vel alius quispiam nostr. lexicogr. voc. *host* isto significatu notavit? Quid P. Jaroslaus de etymologia laudatae nostrae civitatis Hostiney? Certe antiquitus bohemica dialecto usam certum est, quum Balbinus in Libr. erec. omnium primarum hac dialecto scriptarum literarum meminerit.

Jam tibi pluribus pensis impositis molestus forsitan ero? Sed veniam dabis, unum, hoc autem longius, addenti: ad expediendum cap. V. introduct. de *negotiatoribus Slavis* nosti, quae promiserim de navigiorum generibus veterum Slavorum ad imitationem A. Gellii l. X. cap. XXV. 5 — quantum vero re ipsa navigare incommodum est, tantum antiqua Slavorum vocabula rei navigatoriae ex monumentis certis colligere, collecta illustrare propriisque Slavorum dialectis asserere mihi difficilius videtur. Ex monumentis, quibus heic utor, est praecipuum operis inscripti **Правда русская** tibi quidem noti; sed nescio, utrum exemplar habeas, pag. 74., legum Wladimiri cap. XIV: **ѿ лодьи. Статья I[я]. Иже лодїю оукрадетъ, то ѯ кунъ продажи, а лодїю лицемъ коротити, а не будетъ ли лицемъ, то за морскую лодью г҃ гривны, а за набойную лодью к҃ гривны, а за стругъ гривна, а за челнъ и кунъ.**

Ut breviter prius attingam naviculariae Slavorum verbum praecipuum **плыти**, nostri Severini edit. bibl. Act. XXVII. plauti — comparo cum *πλέω* — quid autem tu habes adnotationum ad hujus verbi formulas veteres? Quid de navigiorum slavonicorum genere et speciebus? Non potes illustrare vocab. **набойная лодья**? Non dubito **челнъ** eandem esse cum r. **чолнъ**, b. člun, an recte **челнъ** comparo cum *celoce*? Rogo, adjuva me in hac difficili navigatione. Quid *κοντουρα, κονδυρα* apud Porphyr. de adm. i. cap. 31? Quae sunt tibi nota antiquissima bohem. navigia? Jam vale, ne tibi gravior sim quaestionibus.*)

CXXXV.

1798. — 1. února. Dobrovský odpovídá na list předcházející, zmiňuje se o názvu *Slované, Slavjané*, podává citát z Lomonosova o slově Gostomysl, vykládá slovo host a slova týkající se plavectví.

Pragae, 1. Febr. 1798.

Fortunato D. suo Jos. Dob. s. pl. d.

Recepi a P. Fr. Xaverio, quae miseras nuper, omnia. Pensa evangelica, postquam observationibus meis illustravero, remittam quantocius. Nunc ad ea respondebo, quae exposita cupis.

Raicevichium utpote insulsum hominem ego plane aspernor. Utrum Slovane τῷ Slavāne praeferendum sit, sub judice lis est. Quid enim tu prae-

*) Dobrovský připsal si na konci tohoto listu některé názvy plavecké pro svou odpověď.

feras, an slowiti in blagoslowiti, num slawiti in nostro blahoslawiti? Dicimus plowati et plawati ab eodem themate plugi, plúti. Dicunt Slavi *rab* et *rob*, rastu et rostu (cresco), raz et roz in compositione verborum. Slavík philomelam nos Bohemi, Poloni słowik appellant. Quid in his praeferam, dubius haereo. Utrumque enim pro ratione dialectorum recte dicitur. Slowo et slawa ab eodem themate deducta sunt, a flowu seu flugi, flúti: ergo et Slovane et Slavane dici potuere Slavi. Si auctoritatibus pugnandum sit, antiquius dicti sunt *Sla*vini, quam *Slo*vane. Nestoris auctoritati (certe recens Regiomontanum MS. a Polono aliquo scriptum est) opponam graves et antiquiores testes, historicos et diplomata. Sed nolim pro levi causa digladiari.

Idem Raicevich male citavit Nestorem pro Gostomysl. Nam inspecto loco e Lomonossovio citato, nihil de Gostomyslo inveni, ne nomen quidem illius. Lomonossov autem haec habet (pag. 68. vers. germ. Alte russische Geschichte, Riga und Leipzig 1768. 8): »Im Norden gelangten die Nowgoroder nach dem verwüstenden Einfalle der *Ugrer* und nach einer grossen Pest, unter der Regierung eines angesehenen und klugen Mannes mit Nahmen Gostomysl, wieder zu einem blühenden Zustande.« *Nowgorod. Annalist* in marg.

»Nach seinem Tode waren sie den Warägern zinsbar, *und wurden, wie aus dem Nestor* (in marg. 6470ᵗᵉⁿ Jahr) *zu ersehen ist, gewisser maassen von ihnen regieret.*« Nestoris testimonium ad ea solum pertinet, quae subduxi, non ad alia. Confudit igitur citationes Lomonossovii Raicevichius. Nec fidem ullam meretur annalista Novgorodensis (fictus, ut opinor, Joachimus), qui res gestas Novgorodensium ante urbem conditam memorat. Potior fides habenda Nestori, qui de nullo duce aut rectore Novgorodensium quidquam prodidit memoriae.

Gost, host, non alio significatu occurrit in libris et dialectis, quam notissimo *hospitis*, *advenae*; cum autem *hospites* negotiorum causa adventare soleant, facili figura apud Russos significatum negotiatoris obtinere potuit. Saepius ego gostinnij dwor, Kaufmannshof, accessi Petropoli. Verum apud nos nullum hujus rei vestigium. Loca quidem plurima sunt ab host deducta, virorum etiam nomina: Hostivit; sed haec omnia aliam explicationem admittunt.

Navigiorum nomina notavi sequentia, quorum tamen differentiam difficile explicem. Loď, koráb (vox indica similis) confer etiam Adelungium voce *Caravelle*; lat. medii aevi, carabus, gr. *κάραβος*; člun (čeln, čoln), ut recte observas; *čeyka* in Vltava nostra num similis sit *čaikis* in Danubio, unde Čaikistae dicti, die Tschaikisten, a bello turcico notissimi. Kocábka apud nos, kocáb masc. apud Wallachos in Moravia ad fluvium Beczvam; prám, adde plť, fem. et pltí, ratis, utique a plúti, quod recte cum *πλέω* comparasti. Apud Micaliam et Della Bellam *plav*, plavi, fem. reperio, sed recens vox mihi videtur; item *brod*, quia broditi, navigare; maxime autem genericum *drjevo;* russicum sudno recens est ad vocem gallicam *vaisseau* effictum. Sic apud nos *náwe* apud Harantium, alios, qui ad Italiam profecti, vocem peregrinam usurparunt, quamvis ffel do nawi apud Dalemilum jam occurrat. Šíf germanicum nosti. Apud Dalmatas plura liceret colligere. Addam e Micalio *goliça*, ital. *sandolo*, *gondolina*, linter. Della Bella voce barca, *monoxylum linter* ex-

plicat: cjopula, goliza. Sed haec omnia non arbitror esse tam antiqua, ac *člun*, ladja, koráb, (korabl fem.), quae vox latissime patet etiam per alias gentes diffusa. Posset a *kora* deduci, sed metuo, ne minus tute. *κοντυρα*, est lat. medii aevi *contrata*, ital. adhuc *contrada*, gall. contrée, angl. Country, illyrice (utique barbarum) *kotar*, territorium, confinia, apud Jambressich et Micaliam; Ungari efferunt *hatar*, inde Slovaci *chotár*. Du Fresne varias vocis affert derivationes. Mihi placet vocem deducere a contra (e regione), uti Germani die Gegend a gegen, Graeci utique a *κοντα*, contra.

Naboinaja lodja quid sit, quaesivisti. Est *loďka s nabojami*. *Naboj* autem sic explicatur in lexico Acad. russicae, (quod tu ipse hic Pragae inspicere posses quotidie,) doska u mjelkich sudow (sud, navigium) swerch krajew nabitaja dlja vozvyšenija bokow sudna.

Alias *naboinij* idem est, quod nabiwnij (boh. nabitý, nacpaný) (ausgestopft), natisnennij. Curabo, ut notem plura vocabula ad navigationem pertinentia. Nunc enim collecta non habeo. Schedulam prioribus literis inclusam, rogo, ut remittas.

Si qua sint, quae a me fieri velis, faciam ea promtissime tui causa. Vale et mihi fave!*)

CXXXVI.

1798. — 13. dubna. Durich děkuje za zásilku Dobrovského, omlouvá opozdění své odpovědi k listu předcházejícímu, přeje si objasnění článku Dobrovského o nejstarším překladě českém písma svatého, o názvosloví plaveckém, vykládá staročeské *eš* a podává z listu Alterova zprávu o Justinu Višněvském.

Turnovii, die 13. April. 1798.

Josepho Dobrowsky suo Fort. Durich s. pl. d.

Rite obtinui et per cursorem publicum integram philyram tuarum observationum eruditarum in pensa Evangeliarii Vindobonensis boh. pro specimine p. II. vol. I. Bibl. Slav. edenda, et alias duas earundem, quibus tria exempla tuae dissert.: Über den ersten Text der böhmischen Bibelübersetzung**) addidisti, pro quibus singulis muneribus desideratissimis tibi impense gratias agere maturius non potui, quia vix ipse tantisper a lectulo surgens, cui me repetitis vicibus mea infirmitas affixit, infirmo decano nostro Turnow. Josepho Przihonsky, quem sacramentis providi, non solum assistere, verum etiam hebdomada sancta ejus officium supplere debui, quem in coena Domini mortuum sabbato sancto sepelivimus. Heic etiam causam habes, cur tuam schedulam, quam in praesentiarum mitto, citius mittere nequiverim, ut tuae voluntati satisfacerem.

Multum mihi proderit tua haec diu desiderata dissertatio; nec verebor neque erubescam meas opiniones editas revocare aut emendare, ubi tu melioribus monimentis ac rationibus edoctus meliora doces: super dubiis

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Durichova.

**) Otištěno v »Neuere Abhandlungen der kön. Böhm. Gesellschaft der Wissenschaften Band III (Prag 1798), Abth. 2, p. 240—266.

tamen quibusdam te consulam, cum primis tuam ampliorem expositionem praestolabor istius tuae diss. pericopae p. 4. post N. III: »Hierauf folgt die mit glagolitischen Lettern von den slawischen Benediktinern im Kloster Emaus zu Prag 1416 geschriebene Bibel, *deren Text in einigen Stücken der zweiten Recension nähert.*« Cuperem enim ex te scire quaedam specimina, quibus ista glagoliticis literis scripta bohemica recensio N. IV. accedat ad illam N. II; tum quaedam quoque specimina, quibus ab omnibus reliquis recedit! Sed hoc alio commodiori tempore praestare poteris; nunc magis optarem nosse reliqua slavica nostraque boh. vocabula ad naviculariam, quae promisisti, pertinentia, maxime Aquensis nostri.

Ex tuis observationibus ad pensa Evangeliarii pertinentibus illa philologica in multiplicem *τοῦ* ecce versionem in Vindob. exemplo mihi im primis grata est; sed patere, ut ex te quaeram: inter exempla, quae adducis, Luc. II, 48: Ez. — »In Prosarum expositione bohemica, quae huic Evangelistario subjungitur, in cod. Vindob. *ecce* etiam *ez* redditur. Credo autem *ez* pronunciandum *ez*, non *ež*; hoc enim idem est ac *že.*« In sequiori autem tua dimidia philyra signata II, pag. 1 ad illam pericopam: *fili, quod fecisti nobis sic?* (ecce) *ez* (mones) (lege ež), quod cod. III. mutavit in *zze* (že), alii legunt *ai.* Alias quidem ež idem est, quod že, sed non hoc loco.«

Priori loco bene videris credere pronunciandum *ez* non ež — quid enim aliud est illud *ez* Luc. II, 48 et in Prosarum expositione boh. atque in tuo membr. cod. MS. Vitae S. Procopii etc.? quam *ez* aequivalens slavonico **Се** Luc. II, 48: **с҆е о҃ц҄ъ твóй** — metathesi literarum et commutatione lit. c cum z; ut nos dicere quoque solemus zbor pro **собóръ**, vel potius **съборъ**. Literis cyrillicis ad exprimendam nostram hujus vocis enunciationem scriberem **эзъ** aut glag. **эѣі**.

Profess. Alter data ad me epistola die 4. hujus scripsit: Patrem Justinum Vischnewsky, capellanum legati russici Venetiis, nunc Viennae degentem, amicum sibi carissimum rerumque slavicarum doctissimum, qui composuit grammaticam slavicam, typis edendam, sibi affirmasse, quod nullum glagoliticum in Russia codicem unquam viderit; sed Venetiis codicem impressum glagoliticum quatuor Evangeliorum apud Patrem Mathiam in Chiusa. Erit forte (subjungit prof. Alter) hic codex missale glagoliticum.

Haec pauca hodie scribere valeo. Vale quam optime!

CXXXVII.

1798 — 20. dubna. Dobrovský dle přání Durichova vypisuje názvosloví lodnické a podává zprávu o ochotě, kterou nabízí A. Pišely, kaplan v Solopiskách, Durichovi k přepisování slovanských památek, podává opravu k spisu »Bibliotheca slavica« a objasňuje staročeské *eš.*

Die 20. Aprilis 1798.

Fortunato Durichio suo s. pl. d.

Conabor, quantum possum, adjuvare labores tuos. Optas vero nunc nosse vocabula ad naviculariam pertinentia maxime Aquensis nostri. Igitur hoc primum agendum erit, sed vereor, ne tibi minus satisfaciam. Videbis

enim mox Aquensem nostrum, ne ea quidem habere, quae scire potuisset. Habet enim non nisi sequentia et quidem sub vocibus his:

Sub: *archa* Noe, korab. (*Artemo* vel artemum, wijetrnijk lodij).

barca, barcula, barcella, cžlunek. (*Bolis,* deest ipsa vox latina).

calaria, navis, quae ligna portat, lodij na ktere drzijewij plawij.

carbasa, plur. i. e. velum, praporzecz, zaſtiera lodna.

carchesia, summitas arboris navis, rzežab (sic), ſſkrzipecz.

NB. *carina,* media pars navis, hlubokoſt lodij. (Clenius Rozkochany in Vocabul. sub *karina* habet *barka,* ergo jam sec. XIV italicam vocem civitate donarunt Bohemi. Cum autem *carinae* semita Sap. 5, 10. occurrat, studio consului cod. VI. [meum]; habet autem ſtezky gegie, non vertendo *τὸ carinae.* Prag. autem editio [1488]: ſtezky *brzicha* te lodie. Vocabulo namque proprio caremus. Si piratas insulae Rugiae sec. X. aut XI. quis examinare posset aut potuisset, certe voces vere slavicas ab iis didicisset. Sed navicularium Slavi nunquam ita exercuere, uti Angli, Holandi etc. nostris temporibus.

Celeuma, clamor nauticus, zpijewanije plauczuow (lege: plaw-).

cimba, ima pars navis, ta strana lodij, ktera gde po wodě.

lembus, cžlunek, lodicžka.

linter, lodičzko (sic leg. -ka), *koryto* NB. Si haec fuit prima navicularum forma, derivem a *kora.* Etiam Germani quidam appellant Kahn, quod alii *Trog* dicunt.

malum, i, et malus, a, um, habet *Aquensis,* sed malus, i, deest.

nauale, mijeſto, kde lodij ſtogij.

nauarchus, zprawcze lodij, *nauclerus,* kto wladne lodij, przywoznijk.

nauargus, miſtr lodnij.

navicula, lodicžka; navicilla, cžlunek; navifex, lodnarz.

navigium, i, navigatio, lodna wozba nebo mno(z)ſtwije lodij, sic supra.

classis, mno(z)ſtwije lodij. (In bibliis classis exponitur *koráb* weliký. Krammerius finxit in novis lodſtwo, non male.) Ipse Della Bella omisit *flotta,* quia exponere non potuit.

naulum, zaplata od prziwozu. (Mallem ego přjwozné.) Rozkochany habet *pyczye,* an picý (ſpropitné, Trinkgeld). Idem vocat navigium, plawaczka; puto fictum vocabulum, uti plura ejusmodi habet. Alia vocabula nautica apud eum non reperio.

naumachia, lodnij bog.

nauta, plaučij (lege plawčij). Melius plawec (vide supra *celeuma*). Haec enim vox recepta est.

radius textorum, cžlunek. Hoc vocabulum cžlun proprie slavicum et antiquissimum credo et lod'; alia fere omnia peregrina sunt.

ratis, quaelibet navis, lodij. (Pessime quid enim *pltj* et *wor?*)

remigium, plawenije;

remex, plawec, *remus,* weſlo (a wezu, uti máſlo a maži, et alia) *Croat.* veſzlav.

transtrum, a, plur., korabowe lawicze neb ſtolicze.

trabaria, navis de una trabe cavata, quae aliter litoraria dicitur et conduca: lodicžka z gednoho drzewa wydlabana, a ta ginak ſlowe brzehowna

a přewozna (á); ficta haec ad explicanda latina, arbitror. Tales naviculas nostri nautae et piscatores proprie *lodička* appellant; sunt longissimae et angustae. Germani *Tschinakel* vocant, quod ex člunek corruptum puto.

Trieris, magna navis, welika lodij. In bibliis Prag. 1488 et Veneta. Isai. 33, 21: *koráb.*

Triremis, lodij, ktera na trzi ſtrany ma weſla, tres ordines remorum habens.

velum, wopona, zaſtiera. Geſt take *plachta* na korabie v wijetr rozeſtrzena.

anchora, kotwa. Addam hic in MS. N. II. act. 27, 16. czlun *toczifs ſſcaphu.* Prag. 1488 servat hoc capite hanc vocem, v. 27: člun korabowy, v. 32. člunek. Navis, korab, in MS. N. II. Prag. et Veneta v. 40. juncturas gubernaaculorum, przitiehy *prawidl*; artemon, menſſí *wietrnik.*

v. 41. prora, přednie ſtrana barky, puppis, zadnie ſtrana.

Quae Veleslavinus in Nomenclatore habet, nosti. Ex Vocabulario trilingui adnexo libello Bukvar, qui jussu Petri I. prodiit Mosquae 1701, aliqua slavica excerpam, sed tibi certe jam nota: Caput 32. inscribitur: **ѡ корабли̇** *περὶ πλοίῳ*, de navi.

pag. р҃зі. **корáбль,** *ἡ ναῦς, καράβι,* navis.
ладїѧ, *ὁλκάς,* navis oneraria.
кáрбусъ, *πλοιάριον,* navicula.
лóтка (**т** pro **д**), *μονόξυλον,* navicula (ergo servarunt nostri piscatores primum significatum *τοῦ* loď, loďka).
корáбелщикъ, *ναύκληρος,* navicularius.
кораблѐмъ плову̀, *πλέω, ναυτίλλομαι,* navigo (a plúti, praes. apud nos plugi [u] et plowu).
корабелныи конáтъ, *κάλοες, ναυτοσχοίνη,* nauticus funis.
——— **или лѣсница,** *πόβαθρα, ναυτοσκάλα,* nautica scala.
носъ корабелныи, *πρῶρα,* prora, rostrum navis.
кормá, *πρύμνη,* puppis.
шóгло (a germ. Segel), *ἱστός, κατάρτιον,* malus in navi.
вѣтрила, пáрусы, *ἄρμενα,* vela.
котва, ѧкорь (peregrinum), *ἄγκυρα,* anchora.
кормúло, *πηδάλιον, τιμόνι,* gubernaculum.*)
вéсла, *κῶπαι, κουπια,* remi.
пристáнище, *λιμήν,* portus.

Jambressich sub voce gubernaculum habet: *rudo na* ládji, *kormàn, timun.* Ungar. *kormany.* Nescio unde nostrum *rudle,* an a *rudo* aut germ. *Ruder.*

Praefatus noster in itinerario suo fere italicas voces usurpat:

marynář, nawe, weliky ſtrom, arbore, et pag. 443. *temon, ğale* etc. ab Italis nautis haec edoctus. Sic Slavi Italis vicini *malum* ab Italis accepere.

Della Bella haec habet: Albero della nave, *malus, i,* m. *Jedargni pagn, arbor,* a, m. Illir. barb. *jambor, katarka.* Sinegdoche, Jedargna jela. Est autem *jedro, idro,* velum.

---

*) Della Bella: Timone del carro, *rudo.* — Della nave, *timun* (italicum) et *Dumen,* ill. barb. talia sunt plerumque a Turcis sumta.

Gutsmann, Mastbaum, jadrou penj, ambora, jambora, jadrenu drevu.
Steuerruder, veſlu, rudu na ladji, timun.
Segel, jadru, jadre, adra, jadrouje, barkouski vetralou.
Segelbaum, jadreni penj, jadrovu drevu, jarbolu.

In quibus semper submetuo, ne recenter ficta legam, cum usitata et recepta non distinguantur aliquo signo. Hoc vitio video omnia lexica laborare, quamvis Della Bella auctoritatem scriptorum soleat allegare. Sed Dalmatae habent prae aliis multa recenter ficta vocabula, uti *vrat* pro collo, ut turcica taceam. Quanta bone Deus corruptio jam inter Slavos, cum nec mores antiquos simplices, nec linguam conservarint. Utinam aliquando in unam gentem coalescerent, ut saltem unicam linguam literalem seu sacram excolere possent. Video autem nunc nihil aliud quam *Babel* horridum.

E cod. N. IV. dabo aliquando specimina, aliqua saltem in dissert. tibi missa jam reperies. Antonius *Pischely,* Litomysliensis, nunc capellanus in *Solopisk,* pago ad Cuttenbergam, a me olim literis cyrillicis et glagoliticis institutus, cupit rescire, quemnam prae aliis librum literis glagoliticis descriptum habere cupias. Obtulit ille non rogatus operam suam. Continet autem codex ille a libris Paralipomenon omnes reliquos usque ad Isaiam exclusive. Tuum jam erit seligere et determinare unum aliquem ex his librum, quem prae aliis descriptum habere velles. Pro bibliotheca Strahoviensi ille jam aliquos (duos aut tres) descripserat et me consulente plures literis bohemicis pro usu meo. Optimum igitur esset, si talem pro te describeret, cujus exemplar transumtum nondum exstat, ut hac ratione totius fere libri copiam habeamus. Sed tu potius decerne, quid fieri velis.

Non habeo, quod addam, nisi forte illud, quod nautae nostri *šiff* navim onerariam majorem lignis devehendis aptam, prora et puppi acutis, appellent. Kocábka paulo major est, quam *člun,* cujus puppis admodum obtusa est. *Čeyka* a *člun* ge gedno — responderunt mihi discrimen utriusque navigii scire volenti, pramice, est minor quam prám, quam posteriorem vocem habent et Saxones inferiores et Hollandi (praam) — immo Adelungius voce *Prahm* m. et *Prahme* fem. Alii Germani *Plätte* vocant. Prahm (prám nostrum) graecae originis ego esse existimo, cum sit *πέραμα*, trajectus, a *περάω (πέραν, πέρα).*

Per transennam noto ad p. 46. operis tui, melius legi in hymno (prosa) de S. Procopio in MS. Vindob. eo ipso, quo Evangelia boh. antiquissima leguntur, *novis doctus* literis — quibus verbis illa verba monachi Sazav. *canonice admodum imbutus* exprimere voluerit prosae istius auctor.

cz etiam Luc. 7, 37 occurrit. Si *cz* (non *jcž* aut *cž*), cum Joh. 20, 30, etiam *csto* (pro geſſto aut gežto) scriptum sit, legendum credis, uti mihi visum fuit, quamvis Luc. 2, 48, reddi potuerit *quod*, *quia*, i. e. ež, gež, potius russicum асъ, qua particula illi utuntur, dum vocati respondent, se adesse (ecce adsum) conferendum putem, quam се cyrillicum. Hoc enim nostri exprimunt *tot* pro ecce. асъ russ. vix in lexicis reperias; invenitur autem in lexico, quod curante Academ. russ. prodiit, et explicatur; otklik togo, kogo zowut, notaturque in *vulgari* sermone usurpari. Hanc ego voculam multoties audivi, dum Russi colloquerentur. Nostrum *cz* accedit ad latinum *ecce*; *k* enim in s mutatur: vicus, wes etc.

CXXXVIII.

1798 — 5. května. Dobrovský podává opravu k I. části Bibliotheky Durichovy, poznámky a opravy k evangelistáři Vídenskému, zprávu o statutech Arnoštových, o českém překladě písma svatého, o legendě o sv. Dorotě, obzvláště však o českém překladě písma svatého psaném hlaholským písmem, podává některá objasnění k zbytku Vídenskému o apoštolech a mimo jiné zakončuje zprávou o přepisu hlaholského rukopisu a různých čteních Ant. Pyšelyho, sebraných z českého překladu kantik a žaltáře hlaholského písma.

Die 5. Maji 1798.*)

Fortunato suo Jos. Dobr. s. pl.

Quae de hymni lectione: nov*is* doct*us* literis, monueram, recte quidem habent, sed si expositionem hymnorum Vindob. Evangeliario subjectam citavi, memoria lapsus fui. Locum enim hunc retractans, video e Missali meo bohemico-latino haec adnotasse, quod nunc iterum inspexi. Velim igitur, ad p. 46 Introd. tuae ut haec emendes. Iam enim experior, quam parum tribuendum sit memoriae, nisi recens sit aut monumenta inspici possint.

Talis interpolationis studio factae, codicis emendandi (licet in deterius contra mentem emendatoris) causa susceptae, in Vind. cod. vestigia equidem non invenio, ut ne levissima conjectura sit, textum antiquum ad cod. lat. Vulg. semel aut saepius fuisse refictum. Errores enim, de quibus loquebar, ejus generis sunt, ut contrarium prorsus statuere ausim. Notae illae, quae in exemplo Vindob. exstant, duplicis generis aut manus, quales sint, ipse nosti. Volebat subinde rubricator sensum reddere planiorem et faciliorem, non inspecto textu latino. Duo nunc promam exempla:

Joh. 20, 24. fixuram clavorum, *proklanye* hrzyebykowe, supra proklanye rubro adscripsit *rany*, utique solum explicationis causa. Cod. III. h. loco legit: *probodenye*.

Joh. 15, 27. mecum estis, gieſte ſe mnu; cum *e* ultimum in gieſte deletum fuerit ab emendatore, ut sit gieſt legendum, sensu quidem grammatice bono, sed non conformi textui latino; patet non inspectum fuisse latinum, sed pro arbitrio emendationem hanc factam. Alias utique *ie* deleri debuissent, ut sit contracte gſte, pro pleniori gieſte jam tunc obsoleto. Addam tertium.

Joh. 4, 31. Rabbi, manduca, myſtrzye gey; gey autem a rubricatore deletum fuit, cum nullum sensum funderet. Atqui pro y restituendum fuit z: gez, uti planum sit latina conferenti.

Quomodo jam tot omissiones, quas ego describentium incuriae tribuo, explicare possis, si vel unquam textus boh. collatus fuisset cum Vulg. latina? Atqui summa diligentia id factum fuisse sumere deberes, si textum bohemum ortum e slavico, substitutis subinde vocabulis, asseras. Lectiones, ordo vocum et constructionis. vocum varietas ipsa, ubi nihil substituere opus fuisset et omnia alia clamant boh. versionem e lat. textu factam, hoc nimirum modo, quem in schedis meis exposui. Sed urges tu vocis *bies* usum hermeneuticum, non tam ipsum vocabulum. Si certa lege, eadem nempe, quam secutus fuit Cyrillus, optimus certe interpres, cum quo Bohemum contendere non audeo,

*) Durich připsal: NB. Obtinui 8 Junii. Jest vlastně odpověď na list CXXXIX.

Bohemus noster vocem *bies* et *diabel* adhibuisset, concederem usum hunc didicisse e slavicis; sed ego contrarium video. Unum locum recitabo: Joh. 8, 48: Samaritanus es tu et daemonium habes — ſamarytanus (nota exitum latinum) a *dyabla* maſſ. Cod. tamen III. h. loco legit: a *bieſſa gmaſs*. Certe jam ante Cyrillum voce *bies* diabolus et daemonium, (malus daemon) exponebatur, sumto deinde latino *diabel*, in desuetudinem abiit. Nobilius fortasse credebatur vocabulum (visum est) *diabel*, quam plebejum *bies*, cujus vim postea melius Cyrillus perspexerat. Duces Bohemiae, qui ante Cyrillum conversi sunt ad fidem Christi, quomodo audierint a clericis latina interpretantibus vocem daemonii, diaboli, sono bohemo, non possumus definire; sed certe vocabulo noto, qualia sunt *bies* (nunc quidem minus notum Bohemis), čert (olim črt), dias, seculo XIV. notius quam nunc. Interpres enim boh. Historiae scholasticae constanter hoc vocabulo utitur, quamvis e lectione publica Evangeliorum ei *bies* ignotum esse vix potuerit: had bieſſe chitrzieiſſy — neb pln bieſſe *dyaſſa*, hic certe pro diabolo; alias *dyaſſ*, *dyaſſowe*, daemonia, dyaſy wyhonyeſſe. — Nunc fere interpres, qui antiquos sequi nollet, sed magis vulgi morem, *črt* adhiberet. Factum id jam a primae recensionis interprete Tob. 3, 8. Hoc enim loco legit cod. III.: *czzrt gmenem Aſmodeus*, consentit omnino cod. IV. seu glagol. Servavit vocem *czrt* cod. VI., qui est secundae recensionis. Aliis in locis Tobiae *diabel* habetur, excepto cap. 6, 8, ubi primae recens. codd. III. et IV.: wſſelikeho naroda *bieſy*, omne genus daemoniorum, quae in codd. secundae recensionis, quos inspexi, VI., VII. jam immutata leguntur: wſſeliky rod diabelſky, cum quibus h. loco etiam tertiae recens. codd. (uti Dlabačianus, quem nondum descripsi, et Tobias Metropol., quem p. III. Magazin — citavi) conspirant. Sed hi postremi Tob. 3, 8, črt commutarunt in *diabel*. Metropolitanum expressis verbis notavi in excerptis meis, Dlabačianum cum eo in iis convenire, in quibus ab aliis differunt ambo.

Fuit profecto hic mos primorum interpretum, praecipue illius, qui Evang. vers. Vind. auctor est, ut non uno vocabulo latinam vocem eandem saepius recurrentem exponerent. Cyrillus prorsus alium magis probandum morem sequitur. Nec ulla apparet cura aut diligentia, nulla scientia aut linguae cognitio perfectior in boh. versione Vindob. In integra bibliorum vers. paulum major, cum glossa ordinaria aut Lyrae commentarii praesto essent, et ab an. 1349 magister in sacra pagina clericos doceret, fundatus ab Ernesto I. archiep.; lit. fundat. exstant apud cl. Ungar in den Gedanken von dem Zust. der Schulen und lateinischen Literatur p. 87. Nactus ego postea Ernesti Statuta eccl. Pragensis an. 1350 edita haec e cap. 29, quod inscribitur: *De officio magistri in theologia et salario ejus*, excerpsi: »Cursum lectionum in biblia in die S. Dyonisii incipiet — usque ad kal. Augusti — pro personis ecclesiae Pragensis et *aliis* eum audire volentibus — loco consueto.« — Huic instituto et universitati Prag. debemus vers. bibliorum bohem. integram, ut equidem existimo. Cod. lat. cum glossis, — qui olim fuit Ernesti archiep., integrum vidi Olomucii in bibl. publ. Lycei, quem etiam tractavi et epistolam ad Laodicenses ex eo, quae tamen ad finem segregata ab alia manu scripta fuit, descripsi. *Integros* codd. biblicos praeter hunc et Stokholmiensem in

Bohemia exstantes aut scriptos ab aevo illo vix reperias. Sed haec per transennam, quae aliquando latius exponere licebit. Miror profecto parochorum incuriam, qui talibus exemplaribus, quale Vindob. est, uterentur, tam depravatis. Sed ii magis latina curabant, interpretaturi postea plebi, quaecumque in buccam venissent. Certe hac versione non nisi ignorantiae sacerdotum subventum fuit, quamvis inscitiae propriae specimina non pauca dederit interpres Bohemus, de quibus jam nunc agam, ut omnino dubium nullum superesse possit, eum e slavicis nihil petiisse.

Matth. 20, 28: non venit ministra*ri*, sed ministra*re*, neprzyſſel na ſluzenye ale ſluzyty. Quis ferat ambiguitatem istam? In voce ſlužiti neglexit supini seu infinitivi brevis formam.

Joh. 10, 35: non potest *solvi* scriptura, nemoz pyſmo *doſwyedczyty*. An locus corruptus? Videtur.

Joh. 7, 52: scrutare (scripturas MS.) et vide, ztazaty pyſma y wyz. Pro activi verbi infinitivo habuit imperat. deponentis. Quam inepte et inscite!

Joh. 8, 4: dixerunt *ei* (αὐτῷ), weczyechu gy (ei, fem.). Putasne excusandum? Utique, cum non nisi singula commata primum exposita fuerint, uti in Vind. MS. hymni explicantur. Sed cum contextu continuo (sec. XI. fortassis) scriberentur Evangelia omissis vocibus latinis, oportebat iterum, conferre latina et castigare versionem, quod plane ab initio usque ad sec. XIV. factum non fuisse, ex Vindob. exemplari apparet.

Joh. 9, 33: nisi esset *hic* (οὗτος), gedno by byl *tuto* od buoha. — De hoc vitio ob ambiguitatem lat. vocis commisso jam egi. Non ergo repetam exempla. Confer Matth. 21, 10 (zde).

Joh. 8, 55: ego autem *novi* eum, ale ya ſem *znal* geho; quia non *scio* eum, ne*znal* ſem geho. Quis excuset lat. linguae imperitiam?

— 58: antequam Abraham fieret, ego *sum*, drzyewe nez Abraham byl, ya ſem byl. Excusare possis, si dicas *byl* serius additum.

Matth. 8, 3: volo, mundare; chczy vzdrawyty. Miror adhuc in cod. III., in quo vitia Vindob. non repetuntur, adhuc legi: chczi vczynyti a očiſtiti; cum in Historia schol. jam melius expositum sit: chczy bud vzdrawen a oczyſſczien.

Matth. 12, 39: generatio mala *et adultera,* pokolenye zlee vczynylo zle. Locus corruptus vitio describentium. Olim fuerit ***a czyzolozne***: finge enim *a zo n* obliterata aut detrita fuisse, facile imprudens scriba legere (male utique) poterat: vczynylo zle. Si latina novisset aut inspexisset, errare tam enormiter non potuisset. Ergo frustra urges Vulg. latinae conformatum fuisse textum.

Joh. 5, 2: probatica, piscina, zkuſſenye (e ult. delendum) rybnyk. Non intellexit vocem graecam *probatica.*

Eod.: quinque *porticus*, pyet *oſtrowow*. An portus legit? Joh. 10, 23: porticus, obchod, h. loco melius.

Joh. 21, 7: dicit — ille (quem diligebat Jesus) Petro. Gezyſſ nad petra. Male interpunxit sententiam. Dicit — Petro. Talium errorum monstra in vers. slav. nuspiam reperias.



Joh. 17, 5: claritate, quam, czyſtot mu, gez. — Scribendum fuit: czyſtot*yu* aut czyſtotiu, quod male divisum fuit ab uno aut altero.

— 7: *abs* te sunt, kromye tebe ſu. Cod. III. hic: *v tebe*. Vocem *abs* male intellexit Psalmorum interpres Bohemus, qui Ps. 83, 6: beatus vir, cujus est auxilium *abs* te, sic reddidit: blahoſlaweny muz, iehoz ieſt pomocz *bez* tebe. Ergo quo antiquiores sunt codices, eo pejor versio, cujus rei non alia causa est, quam seculorum illorum ignorantia. Atqui contrarium observare deberemus, si versio boh. e slavica ortum traheret.

Joh. 7, 14: jam autem die festo *mediante*, — przychodyeczye. Fortassis latina corrupta erant aut male legit: *veniente*. De participii constructione infra.

Marci 16, 2: orto jam sole, na wychod ſlunczye. Non omnino satis accurate sensum expressit. Sed Boh. interpreti nulla hujus rei cura fuit.

Joh. 10, 13: quia non pertinet ad eum de ovibus, *nebo* neſluſſye k nyemu owczye, quasi legisset: non pertinent ad eum oves, sensum minus acute distinguendo.

Luc. 11, 7: noli mihi molestus esse, *nerod ſye hnyewaty*. Hanc sententiam Bohemi per secula apta formula exprimere nescierunt. Cod. III. exposuit: *negmiey my za zle*. Male utique.

(In Hist. scholast: *quid molesti* estis huic mulieri [Matth. 26, 10] exponitur: *Czo gſte zloſtny* teyto zenye, Luc. 11. 7 non potui reperire.) Nov. Test. 1417: nerod mi truchliw byti. Male itidem. N. T. Nostitz. 1481: nerod' mie mutiti. Nondum melius. Editi antiqui: nermutiš mne, uti Pilsnensis 1527, 4. Blahoslaw: nečiň mi newole, utique optime. Cur ergo saltem sensum sententiae e Slavico non servavit Bohemus, si vocabula alia substituit?

Luc. 11, 10: puls*anti* aperietur, tlucze*nemu* ot*o*wru (*o* simile *e*, ergo etiam otewru legi potest). Quis pulsantem confundat cum pulsato?

— 11: pro pisce serpentem dabit illi, mu za rybu *da ſkorzyepynu; had*. Male hic post *da* insertum *ſkorzyepynu*, cum *had*, accus. casu antiquo, nisi fuerit olim *hada*, sequatur. Error librarii oculos in sequens *da* v. 12. conjicienti.

— v. 12: porriget illi scorpionem? gemu *da* ſk*o*rzupynu (aut ſk*e*rz.). Putasne hoc loco inspectum aliquando fuisse latinum textum? Utique facile error, qui se commendabat sensus facilitate, detegi et corrigi potuisset. Certe scorpionem exposuit retento vocabulo *ſkorpyona*, quod postea in ſkorzupynu corruptum fuit. Nota formam ſkorzup. — Poloni enim dicunt *skorupa*, putamen ovi.

Marci 16, 17: signa autem eos, a znamenay gye; quasi a sign*are*, de quo jam alias.

Luc. 5, 27: extremum digiti sui, myezeny prſt ſwoy, h. est, extremum seu potius medium digitum suum. In vocabul. enim Clenii Rozkochany *medius* digitus, mezyenec, dicitur, (a mezy, inter duos ex utraque parte). Sed in Vindob. Evang. videtur dictus a myeza Lusatorum, meze, limes, extremum, ut sit quasi *mezní*; quis definiat?

Luc. 5, 2: lavabant retia, brachu ſyetye. Mox adnotavi, an *prachu*? Et collato cod. III. Olomucii cum excerptis e Vindob. vidi in eo legi: *prachu*

sieti. Interim gaudeo, in Vind. tot corruptiones facile emendandas reperiri, quia hae argumento sunt, cod. fuisse descriptum saepius, quin consulerentur latina. Etiam ex erroribus discere licet.

— v. 3: rogavit eum a terra reducere pusillum, aby przyſtupyl malo k nyemu, contrario prorsus sensu. Cod. III. melius: *aby ſie otrzynul maliczko ot brziehu*.

Luc. 18, 14: hic justificatus ab illo, ſprawedlny tuto od neho. Cod. III.: ten ſprawedliw gſa ot onoho. Hebraismum *ab illo* neuter intellexit.

Marc. 7, 34: Effeta, genz ſlowe otewrzenye, quod est, adaperire; cod. III. jam magis ad literam: to geſt otewrzi ſie.

— v. 35: et solutum est vinculum linguae ejus, rozwazany gſſu *okowy* yazyka geho. Vidit hoc interpres cod. III. *vinculum ferreum* non posse h. loco intelligi, ideo posuit: rozwaza ſie ſwazanye geho gazyka.

Marc. 7, 37: surdos *fecit* audire, hluchym *kazal* ſlyſſyety, i. e. jussit, non improbo formulam hanc, etsi nimis liberam. Cod. III.: hluchym geſt vczynyl, aby ſlyſſieli.

Luc. 10, 35: quodcumque supererogaveris, czo koly *poproſyſſ*. Nimis serviliter.

Matth. 6, 26: nonne vos magis pluris estis illis, nezda wy neyſte gych *wyetczy*?

— 27: cubitum unum, loket *ſwoy*, i. e suum. Cod. III: gediny loket.

— 30: quod *hodie* est, genz *dobre* geſt; errore librarii antiquo. Cod. III.: geſſto dnes geſt.

Luc. 14, 1: ipsi *observabant* eum, ony geho *ſchowachu*.

Matth. 22, 13: in tenebras *exteriores*, w temnoſt *wyeczau*. Cod. III.: we tmu naywietczi.

— 11, 27: nemo *novit* filium, *neznal* ſyna. Tempus latinum male expressit.

— — 30: nebo *geho* me geſt, omisso *suave*. Talium omissionum numerus vere infinitus est; cur hae non supplebantur e lat. Vulgata?

Marci 3, 2: et *observabant* eum, plur. num., *chowaſſye* geho, num. sing. Cum enim nominativus v. 2 non exprimatur, *τὸ* observabat num. sing. legit, referendo ad hominem v. 1. Totus igitur tenor originarius vers. hujus sapit latinitatem. Cumque tot et tanta incorrecta manserint, non potest dici, ea omnia vestigia deleta fuisse, e quibus olfacere aliquis vers. slavicam posset. Frustra igitur agimus, vestigia in Vind. aut alio quocumque manuscripto boh. inquirendo. Latina legebantur ante Cyrillum, latina fuere lecta et translata apud nos etiam post Cyrillum. Unde tanta clericorum invidia in Sazavienses? Certe non aliunde, quam quod aliter interpretata legerent, — quae videbantur abhorrere ab iis, quae legebant Latini.

Luc. 9, 3: neque virgam, neque *peram*: any hol any *toho lyczye*, nunc divisim et corrupte, olim certe *tobolyczy*, cum etiam alibi Luc. 10, 4 sic translatum sit. Tantus sane corruptionum numerus, plura transumta nunquam emendata praesupponit.

Matth. 19, 7: dare *libellum repudii*, daty znameny *hanby*, i. e. signum *pudoris*.

— 9: moechatur, tupy duſſy, i. e. damnat (condemnat) animam.

— et qui dimissam duxerit, moechatur, a ktoz puſty y poyme *hrzyeſſy*. Quanta negligentia aut inscitia! Sic in vocibus *scandalizare*, *blasphemia*

explicandis misere se torquet Boh. iste. Hoc ei vitio verto maxime, sed fortasse praesto non fuere vocabula homini *aliis subsidiis* destituto. Sed his ex vitiis antiquitas summa vers. colligitur.

Luc. 1. 63: pugillarem, *pera*. A rubricatore supra: *pyſſtidla*, ut ego quidem legi. (Hist. scholasticae interpres: wzem pero a dſku — pugillaris geſt dſka, gijzto moze w hrſty zatworzity. — Sed sine Commestoris explicatione vix assecutus fuisset, quod pugillaris sit a pugillo, pugno.)

Joh. 21, 15, 16, 17: paſſyz owczye me, tribus vicibus. Ergo *agnos* non distinxit ab *ovibus*. Non reprehendo; cum synonymis graeci libenter utantur.

Luc. 10, 40: circa *frequens* ministerium, o *obyetſſeney* ſluzbye. Cito hoc exemplum propter difficultatem vocis obyetſſeny; *obiecati* est promittere alias. An opyečeny pro opačený, repetitus? Elige, quod placet.

Matth. 18. 6: *mola* asinaria, czyelyſt oſſlyczna; plane non vidit, quid h. loco *mola* sit. Cod. III.: oſličži kamen, melius.

— 7: Vae *mundo*, ſwyetu czyſtemu; dubius cum haereret, an mundus (κόσμος), mundusne (a mundus, a, um) hic intelligi debeat, utrumque maluit ponere. Plura ejusmodi collegi exempla, ubi duobus vocabulis unum explicavit, more suo.

— 8: abscide eam, vmy gy (sic). Errore. Cod. III.: vtny gy. Tales errores rubricator corrigere potuisset et debuisset, si diligentiam adhibere voluisset. Sed nullum uspiam vestigium diligentioris correctionis.

Luc. 10, 6: filius pacis, ſyn pokoyny. Miror hanc interpretationem servari etiam in cod. III., quamvis tolerabilem.

Matth. 16, 26: quid enim *prodest* homini, czo *probude* czlowyeku. Vocem *probudu* et alibi in bibliis inveni; est tamen, uti vides, e genio lat. linguae ficta et formata.

Luc. 21, 9: proelia et seditiones, boge a ſedanye (Confer tamen Pulk. boh. p. 60. k). Latinum etymon nimis anxie expressit. In Psalt. antiquissimo seditio est *kramola*, quam vocem licet corruptam (carmula) apud Anonymum de Conversione Carantanorum reperire licet e sec. IX.

— v. 11: *terroresque* de coelo, napaſty z nebe. Vocem *napaſt* nosti e bibliis slavicis, sed alio significatu. Notavi solum ob vocis antiquitatem.

Matth. 13, 52: patri familias, otczy czelednymu. Latinum sapit. Cod. III.: hoſpodarziewi.

— qui profert de thesauro suo nova et vetera, poklad ſwoy nowy i wetchy. Cod. III. melius expressit sententiam: z ſweho pokladu nowe y ſtare.

Luc. 22, 25: benefici vocantur, vrzednyczy ſlowu. Confudit hic *beneficos* cum *beneficiariis*, qui sec. XIV. in diplomatibus *vrzednykones* vocantur. Tale vocabulum juris (forense) usurpavit etiam Luc. 18, 11: raptores injusti, wyboynyczy naprawye (sic, leg. neprawy). Quo vocabulo abstinuit cod. III., qui *berczie* neſprawedlnij legit. Nosti, quid *wyboy* sit, e legibus nostris. Addam solum Psalm. 126: filios *excussorum*, dici *wiboynykow*, quasi eorum, qui excutiunt, non qui excussi sint. Et Psalm. 61, 11: rapina, prſieboynyſtwo, dicitur, in antiquissimo Psalterio, quod in Hist. l. b. descripsi paucis. Ad alia jam transeundum est.

Formulam illam versu 54 observatam recte explicasti, nam participia in *ice* masculinis etiam singul. numero tribuuntur, quando substantivum in obliquo casu (praecipue accusativo) ponitur. Sed cum dativo plurali constructum rarius reperi: kaza lekařom, zazdiece chowati a krmiece, h. e. kaza lekařom, aby zazdiece a krmiece chowali dietie. Promam similis constructionis exempla: ſluſſj křeſtianům ſrdce k bohu zdwihn*auc*, pokorně klekn*auc* — bohu děkowati, e Passionali bohem. notavi sub regula: Participia praes. more substantivorum diverso casu accipienda sunt. Hanc quidem sententiam gerundio latino optime expones. Non sequentem: lidem dobre wůle gſuce, h. e. qui sunt, kteřj gſu, e Passionali. Frequentissime autem in accusativo plur. et sing. usurpatur: *ic*, *auc* et ice, auce:

Budete mye v otce na prawicy widieti
na nebeſich ſ nim *ſedyecze* (sedentem)
a žiwe y mrtwe *ſudyecze* (judicantem) e MS.
A muoy ſyn ženy placzycze wydye (flentes) e Ms.
Neb ſme ſlyſſeli ho řkauce (eum dicentem) Act. 6, 14. e MS
Angela ſſtupugicz ſ nebe,
magice klič — Apoc. 20, 1, e MS.
ſem widiel cztyrzy angely ſtogicz,
držicze — Apoc. 7. e N. Test. an. 1475 edito.

Uti ergo ſedě, pláče, cum nominativo, construi solet, sic *ic*, *ice* cum obliquis. E Vind. Evangel. petamus exempla:

Luc. 24, 39: me videtis *habere*, mye wydyte *magyczye*, i. e. habentem, et sic saepius pro infinitivo participium usurpat.

Marc. 16, 20: Domino cooper*ante* et sermonem confirman*te*, y ſlowa potwrzugyczye (subaudi *boha*, quamvis non nisi adject. buozye, aequivalens genitivo, praecedat), sequen*tibus* signis, znamen*ye czynyczye*; reddi potest signa faciendo aut faciente. Sed dubius esse possit locus, cum pro confirmante interpres legere potuerit: confirmantes, uti revera auctor primae bibl. vers. boh. hanc lectionem expresserat. Aliud ergo exemplum proferam:

Luc. 24, 41: adhuc autem illis non credentibus et mirantibus, geſſczye gich nedowyerzyczye a dywyczye ſye — quam constructionem semilatinam N. Test. 1417 resolvit hoc modo: a *když geſtie newieřiechu.*

Joh. 7, 14: die festo *mediante* (dne hodneho), ut puto, non enim notavi aliud, quam sequens *przychodyeczye*, ob syntaxim et falsam lectionem (*adveniente*) aut malam interpretationem.

Alia, quibus illustrentur voces aut constructio Frag. I., non habeo, cum nesciam, utrum aut quae tibi adhuc obscura sint. *Koba*, ut hoc obiter adjiciam, est in Passionali *corvus* (vid. vitam S. Osvaldi); possitne hoc significatu explicari formula: gemuž neſteklo po kobě, discutias velim. Versu 22: ač chcete, by ziwi byli, et 21: by (intellige wy) — quod (by) iterum v. 23 repetitur: by mi. — Secunda persona apud antiquos construebatur cum *by* sine *gſy* aut *gſte*, quod Fratres in bibliis aliique adhuc sec. XVI. obs[illegible]

stram ego syntaxim, utpote magis perspicuam, hic praefero. Versum 45 et 46 sic legendum credo: řka: moy cak (kak an tak?) mi zly nečiefe: dicens: quaeso, *mein*, moy, imitando germanicum. Mein! wie ist mir? kak mi? zly nečafe, malum tempus! nečafy intemperiem vocant Bohemi; tempus partus imminens hoc loco. V. 46: Takli (pro tolik). Punctum inter *cak* et *mi* non te moveat. Solent enim puncta poni etiam inter voces, quae conjungendae sunt, ut in cod. II. za. bohi h. e. za-bohi. Saepius id observavi. V. 57 cum abscissa sit membrana, non erit conjugendus cum sequenti 58 — adeoque spatium aliquot linearum (hic et alibi) interponendum erit. Orthographiae antiquae judico subponendam recentiorem sub linea aut penes, prout visum fuerit, ut lectores facilius lecta intelligant. Sed haec tu prudenter expendes.

Nuper ejusmodi versus in MS. bibl. publicae de S. Dorothea, quam *Dorata* vocat, legi manu sec. XIV., quos proxime describam. Erant igitur ejusmodi legendarum avidi lectores Bohemi nostri. De alio quodam sancto (Sebastiano ni fallor) similes versiculos in alio MS. jam olim legi. Quae ego recensui poemata, ipse in MS. meo legisti. Satis igitur de his.

De bibliis glagol. boh. pauca. His, quae in dissert. tom. V. p. 313 et 2. p. des Magazin (N. 4) p. 32 dixi, multa addi possent. Pro I (Je*r* et Je*rr*) punctis frequenter utitur, quae consonantibus imponuntur aut apostropho, Russorum *jerok* ' simillimo. Vellem igitur p. 314 dissert. dicta: die Alten — den härtern b. l. Quae quidem etsi vera sint, ex usu puncti pro glagolitico *Jer*, non possunt discerni.

Bohemicam orthographiam aliquo modo conjunxerant Emautini cum glagolitica. Nam, ut in Psalmis observavi, vocalibus longis accentus (ʹ) superponunt Bohemorum more: *budú*, erunt, *twú*, tuam, *zlé*, malum, *mé*, meos, neprawí, plur. num., *zlý*, malus, *očí*, oculorum. Boh. i et y non distinguuntur, sed uno ꙑ scribuntur, cum eo tempore neque a Bohemis regulariter et ex certa lege distinguerentur. Oeconomia codicis fere eadem, quae cod. II. utpote Pragae scripti. Initio Tobiae habet praefixa verba primae recensionis, (za dawnych časow stareho zakona byl ieden sluha. a przietel boži. gmenem), quae rubra linea in cod. glagol. confossa sunt, utpote quae non inveniantur in lat. codicibus. Jam enim Husso vivente facta est collatio vers. antiquae cum latino textu admodum diligens, subductis locis et notatis, quae in latinis non habentur. Haec loca postea in recensione textus secunda resecta sunt pleraque aliis plurimis spectato totius textus tenore correctis. Recte igitur me dixisse existimo, cod. IV. (hunc glagol.) complecti textum inter utramque recensionem medium, ita tamen, ut in plerisque servet textum recens. primae; nam multa, uti nunc leguntur, post rasuram correcta sunt; alia in margine suppleta. Fuisse autem scribam slavicae linguae peritum, lapsus memoriae, quem Psal. I. 6. observavi, satis prodit, cum enim iter impiorum, boh. chod (.·. in marg. cefta) nemiloftiwych sribere vellet, pro nemilostiwych occurrit vocabulum slavicum *nečestiwych*, quod dein rasis *čes* mutatum fuit in nečiftych. Alibi h. Psalmo, ut v. 1. 4. 5. bohemica v. 1. nemilostiwych, v. 4. 5. nemilostiwi scripsit, uti in exemplari literis bohemicis scripto legerat. Nec desunt correctiones a manu recentiori una vel pluribus; similiter comparatus est codex N. Test. mem-

bran. an. 1417 meus, ex quibus illud concludere licet, recensionem secundam paulo serius confectam circa an. 1420 aut 1424; curante, ut conjicio, aut probante Jacobello, qui tunc vixerat. Posteriorum recensionum in paucis correctarum, qualis est codicis Strakiani, numerus iniri vix potest. Ultimae tamen circa an. 1460—1480 characteres facile se produnt. Quod de integris bibliis intellectum et dictum esto. De Novo Testamento speciatim agendum erit. Num e slavicis libris quidquam correctum sit in vers. boh., quis definiat, si unam alteramque sententiam emendatam ad ductum slav. Psalterii quis opinari velit? Diligentius ego hujus rei causa Psalterium in cod. glag. examinabo. In iis certe locis, quae jam contuli, nihil emendatum reperi, quod non haberent alii cod. boh. a Slavis Emautinis non tractati.

Psalm. 18, 2: Coeli enarrant — et opera — annunciat firmamentum. Vetus interpres boh. *opera* pro nominativo sumsit et *annunciant* legendum putavit. Vertit enim: a dye*la* ruku ieho zwieſtug*iu* twrdoſt -- Psalt. ant. bibl. Clement.; cod. III. e veteri certe descriptus: Nebeſa wypr. ſl. bozzi a *diela* ruku geho zuieſtug*ij* twrdoſt. Cod. V. recens. 2[dae] emendatius jam: zwieſtu*ge hwiezdne nebe* (firmamentum). Sed Psalt. in hoc cod. V. est a recentiori paulum manu. Cod. IV: zwieſtug*e* utwrzenie, v. p. 313, aut specimen in vita Caroli a Pelzelio edita. Cod. VII. (ol. 10.) concinit cum cod. IV., sed pro *slawu*, quod omnes alii habent, legit *chwalu*, quod servavit Prag. ed. 1488.

Psalm. 25, 1. (quod est tertium specimen apud Pelzelium e cod. glagol.) omnes fere conveniunt antiqui. Cod. III. ne*bo* pro *neb*, m*e* pro *mei*. Cod. V. *neb* cum glagol., sed w *ſwe* newinie, meliori syntaxi. Cod. VII. pro *hoſpodine* legit *pane*, pro *hoſpodina* iterum *pana*, quod sexcenties in codd. 2[dae] recensionis factum observavi.

Psalm. 1, 4: *quem projicit ventus*, varie redditur in codd., quamvis facillimus sensus. Cod. III: geyzz *ſemczzi* vietr, sic etiam cod. I; (Psalterium antiquiss. consuli hic non potest, cum 1 et 2. Psalmus erasi sint.) Cod. IV. h. e. noster glagol.: jimž *wietr wrže*, sic plane cod. VII. (ol. 10). Mirum! Cod. V: kteryž *mece* wietr, — Prag. ed. 1488: ktery*mž mecze*. Cod. II: geyz *ſnima* (NB post rasuram, ante fuerit *ſemczi*). Alii posteriores *ſmieta*. Bočkiana Stokholmiae: *mece*, cum cod. V. utpote 2[dae] recens. glossematum trium ad Psalmi 1[mi] marginem adjectorum specimen jam exhibebo:

1. na ſtolicy morȯwee (in cathedra pestilentiae)	.·. neduhu
3. podle ſtȯkow wodnych (secundum decursus aquarum)	.·. sbiehow
6. a chȯd nečistych (et iter impiorum)	.·. a ceſta

Ecclesi. 32, 15 (et hora surgendi ne te trices) legisse videtur Boh. ant.: *ne te* tristes (aut tristet) (qui error est in MS. lat. quibusdam). Vertit enim: *neſmucuy tebe*, (sic glagol.) in marg. repetitis bis tribus punctis adscripsit manus sec. XVI. initio NB. bohemicis literis: *wlaſow neſtrog*; maluit ergo iste legere: non te *trices*, non intelligens, quo sensu *tricare* hic sumendum

sit. Prag. 1488. sententiam non te *trices* bene expressit hac formula: a *neobleňug ſe*, quae optime cohaerent.

E cod. VI. apponam verba priora versiculi hujus: a chwile ſ mieſta tweho powſtanye *neſmuczug tebe*, quasi legisset: hora (in nomin.) surgendi non te *tristetur* (act.). Vides igitur Bohemum saepe et minus bonas lectiones sequi, quarum quidem aliquas solum ideo notavi, ut de codd. lat. judicium ferre valerem. Corruptos certe habebant admodum codices. Cui enim de emendandis cura? Risu fere digna sunt, quae Dobnerus mihi objiciebat olim: non esse verisimile, quod caruerint vers. bibl. Bohemi per tot secula, cum tot exstiterint ecclesiae cathedrales, collegiatae, monasteria etc. Episcopos culpa non vacare, si de verbo Dei populis ope versionis communicando solliciti non sint. Quae autem quis praesumat? Me talia non movent, neque alios convincent.

Majori diligentia in cod. glagol. Psalmi tractati fuisse videntur, cum jam summariis instructi sint. Vide Psalmum 18. in specimine ap. Pelzelium. Finiunt Psalmi fol. 247. Post hos Cantica consueto more sequuntur, ut *Confitebor*, *In dimidio dierum* etc., *Te Deum laudamus*, Symbolum Athanasii. Postea Psalm. 151 contra Goliath: Naimenſſi sem byl mezy bratrzi mu. a naimlažſſi w domu otce meho etc. Deinde praefationes Hieronymi in eos libros, qui in vol. hoc continentur. Folio demum 258 formula conclusionis, quam adscribam boh. literis:

»Tyto knihy dokonany gſu. po le.tech narozeni ſyna božieho. po | 1416*) za čaſu knieze krzize | opata ſlowanſkeho. pſana | tato bible ot bratrzi klaſſterſkych. Ale ne ot piſarzow cha'rwatſkych:

*) Numeri hi lit. glagol.: Ⱍ · Ⱆ · ⰊⰅ.

Clausulam hanc sequitur Psalmus 25. (Ⰻ · Ⰴ.), hic scriptus extra ordinem, quia in serie Psalmorum omissus erat, et ultimo loco praefatio Hieronymi in Paralip. atramento diverso, manu recentiori.

Cum (10 olim) codice, nunc VII bene multa loca e libris Salomonis cod. glag. contuli et observavi, cod. VII in multis jam recentius emendatum textum continere. Inter antiquos magis consentit cod. glag. cum cod. II. seu Litomer., quam cum aliis. Vide Cant. 1, 4. Nam et cod. II: pobiehn*em* (omisso ultimo *e* vel *y*) legit. Nec mirum. Uterque enim Pragae descriptus linguaque huic aevo conformata fuisse videtur. Magis tamen cum cod. VI. confer Proverb. 12, v. 16. 17. 18. 19. 27. Recentioris emendationis (medio sec. XV. factae), quales omnino plures inveniuntur, exemplum promam. Eccles. 12, 6: *vitta aurea*, legit h. l. glag.: zlata *točenice*, sed post rasuram manu recent. Fuerit olim a prima manu zlaty žywot, uti habet cod. VI. (meus). Locum hunc incorrectum exhibet cod. VII: ziwot zlaty (hoc ordine), Paderov. seu Žerot. Vindob.: žiwot zlatty, quod miror; cum tamen jam cod. III et V. legant meliorem interpretationem: III. zlatty vienecz, V. zlaty vienecz (et germ. biblia curante Wenceslao r.: das guldeine *harpant*). Sed ex *unius* vocis interpretatione alia non sunt mox dijudicandae recensiones, in minimis enim subinde codd. unius recens. et familiae inter se differunt.

Etiam quandoque in cod. glag. vox alia voci in textu scriptae superscripta est. I Paral. 28, 2: et scabellum, a podnož, super podnož apposuit

alia manus: *ſtolici.* In margine subinde exhibet recentiorem et meliorem interpretationem ab alia manu plerumque adscriptam, quam ea sit, quae in textum recepta fuit. Ex. gr. Prov. 12, 16: *qui autem dissimulat injuriam, callidus est,* sic exprimitur: *a ktož newaži* křiwdy, ſwiedek geſt lſtiwy. Apparet autem huc e vers. 17 tracta fuisse verba: *testis est fraudulentus* pro *callidus est.* Hinc confusi sunt v. 16 et 17 in manuscriptis antiquis, ut in cod. II.; glagol. autem novam interpretationem in margine apposuit signo ⋎ notatam, quod post vocem *hniew* v. 16. apposuit. Habet autem margo: *a ktož prodlewa bezprawim, chitri geſt.* Utrum meliorum interpretationum specimina talia *longe serius* adjecta sint, difficile est diffinire, cum glagol. scripturae aetatem ubique discernere vix liceat.

V. 17: Sudce ſprawedlny co giſtie wie, to ſudi, (Qui, quod novit, loquitur, judex justitiae est) cum cod. VI., qui etiam in prima interpret. v. 16 consentit. [Cod. II. versu 17 duas interpretationes conjunxit, antiquam post versus 17^mi^ verba: *lſtywi geſt,* haec legens: Sudczie ſprawedlnoſty czoz giſtie wie, to ſudy, ale ktoz krziwdi ſudcze geſt, krziwi ge, quae autem *minio* subducta sunt. Adjecit vero primae h. versus sententiae meliorem expositionem in margine superiori, manu (ut credo) coaeva, (solebant enim descripti codices a viris linguam lat. callentibus aliquando conferri), quae sic habet: ktož coz zna, mluwi, *vkazcie* (*index* pro judex) ſprawedlnoſti geſt. Post quae in textu legenda sunt verba: a ktoz krziwdi ſwiedek geſt, lſtywi geſt. Melius utique cod. VIII. (Litom. junior), qui recensionem 2^dam^ *hinc inde jam* emendatam exhibet, legit versum 17: ktož to, což wie, *mluwi,* ſudce ſprawedliwy geſt. Ale ktož *lže,* ſwiedek lžywy (in marg. /: lſtiwy) geſt. Latina pressius sequendo.]

V. 18: lingua autem *sapientium* sanitas est; glagol. codex: gazyk *ſprawedlneho* geſt »ſſčiet« zdrawie. Inspecto cod. VI. video eum convenire; scribitur autem *geſt* in fine lineae, postea initio sequentis *ſſtit.* Finge jam in cod. antiquiore lineam terminatam fuisse syllaba *ge,* sequentem autem inchoatam syllaba *ſtit,* id est, *geſtit* (uti Prag. ed. 1488 recte habet), intelliges, quomodo ortum sit *ſſtit zdrawie* pro *sanitas.* Nullus enim cod. lat. legit h. l. *scutum sanitatis.* Vides ergo jam antiquissimos codd. vitiis foedatos, qualia jam in Psalt. antiquissimo, Prophetis Crumloviensis manuscripti etc. detexi. Exemplum aliud mox infra v. 27. dabo.

V. 19: (labium veritatis firmum erit in perpetuum). *Ret* prawdy potwrzen bude na wieky. Sic glagol., sic etiam cod. II. Sed cod. VI. et VIII. (quid enim pluribus opus est?) *rty* prawdy, in duali legunt. In VI. tamen *potwrzen* in singulari mansit. Fuerit ergo in prototypo suo etiam *ret,* quod recensionis secundae codd. quidam mutarunt in usitatius *rty.* Sed alii codd. recent. iterum legunt *ret.*

V. 27: Non inveniet fraudulentus lucrum, post lucrum additur in glagol. codice: za ſweho žiwota (praecedunt: nenalezne lſtiwy zyſku); sequitur jam *altera* sententia: et subst. h. erit auri pretium, ale »wiek a« nabytek čči bude ⋎ zlata. (in margine: ⋎ mzda). Ergo in exemplari suo scriba glagoliticus nondum legit vocem *mzda.* Confer cod. I. p. 7. dissert. meae. Cod. VI^ti^ scriba similiter non reperit *mzda,* non enim descripsit hanc vocem, neque spatiu

vacuum reliquit, sed voci zlata praepositionem (z) praefixit, quia sensus quidpiam exigere videbatur. Sic plane a prima manu in cod. glag., sed primum *z* erasum, ut sit nunc zlata (et mzda in marg. additum). In cod. VIII. legitur jam a prima manu: *mzda zlata*, h. ordine, resectis jam *ale wiek*, quae tamen cod. VI. adhuc retinuit, utpote antiquiorem textum minus emendatum exhibens. In glagol. autem rubra linea per medium ducta notata sunt: »wiek a«, ut legi velit imposterum: ale nabytek. *Za ſweho žiwota* in priori sententia omnes servant, etiam cod. VIII. In cod. II. tamen verba: *za ſweho ziwota. ale wiek* minio subducta sunt. Majorem in conferendo textu cum latino diligentiam in alio codice reperire nondum licuit. Immutare tamen textum collator non voluit, nisi in locis admodum vexatis. (De rasuris longe posterioribus c. II. nunc non loquor. Hae enim satis se produnt, factas post abolitam quodammodo secundam recensionem. Sunt enim, licet sec. XV. factae, emendationes admodum recentes.) Quis tantam Bohemorum, licet pontificis edicta respuentium, diligentiam non laudet?

Haec jam sufficiant ad cognoscendam versionis in cod. glagol. contentae indolem. Si qua desideres amplius, curabo, ut tibi etiam in aliis satisfaciam. Pro historia codicis hoc adjiciam: a dno. Georgio Komedka h. tempore consulari (radního) viro depositum fuisse codicem in praetorii loco (w radě), ubi ad consilium consedebant, an. 1541. Sed cujus urbis non additur.

Occurrit pro illustrando versu 45 fragmenti haec constructio: řka, moy nečeſe (nečaſe, uti počel, čeſt, pro počal, čaſt'). *Tak mi zly?* omisso gſy, uti solet. Vel: tak, moy nečaſe, gſy mi zly? rejecto deinde • nečaſe et mutato in *nečeſe* ob rhythmum, quem praecedens *ůžeſe* exigebat.

Scripsi supra, Psalmum 151 apocryphum non inveniri in aliis codicibus. Hoc cum restrictione accipi volo. Nam in Psalterio 1475, chart., quod p. III. des Magazin paucis descripsi, revera legitur ante Cantica consueta, hac nota adjecta: »Tento žalm nenie položen w počtu žalmow napřed položenych, ale w *ſtarych žaltařiech v bibli popſanych* w tomto mieſtie napoſledy položen geſt.« De latinis bibliis vix credo intelligenda esse, quae monuit Bohemus; sed de bohemicis, sive unico exemplari, quod inspexit et ex quo psalmum hunc descripsit, sive fortassis pluribus. Erit igitur attentione nunc opus, in evolvendis codd. manuscriptis, utrum hunc Psalmum contineant. Mihi certe nondum repertus est, nisi in hoc exemplari. Psalterium slavicum habuisse Benedictinos Emautinos ex Benessowii libello tibi constat. Huic originem debet etiam hujus Psalmi accessio in bohemica versione. Ergo habent Bohemi tamen aliquam partem e slavicis libris desumtam, sed pro ingenio et consuetudine linguae suae (dialecti potius dixerim) immutatam. Si integra biblia habuissent Slavi Emautini, potuissent etiam tertium librum Macchabaeorum prius ab iis accipere, sed satis constat, hunc librum an. 1549 fuisse e latino per Sixtum ab Ottersdorf bohemicum factum, quamvis nunc frustra inquiratur in hujus libri latinum exemplar.

Ad illam partem syntaxeos, quo observatum fuit, solenne fuisse sec. XIV. praepositiones repetere, ubi substantivis adjectiva aut pronomina juncta sint, exemplum in Evang. Vind. Luc. 24, 21 legitur hoc: nad to nade wſſyeczko,

super haec omnia. Ex aliis manuscriptis plura collecta habeo. Sed sufficient ista pauca, quae jam dedi.

Ad Fragmenti I^mi versum 38: Muzzichuy gmu et v. 41: dachuy gmu illustrandum, noto etiam in Vindob. scribi: *ucygmam*, quod i (seu g) sequens magis trahatur ad vocalem praecedentem. Sed in Vind. Evang. nulla stabilis orthographia.

E literis dn. Antonii *Pischely*, non ad me datis pridem, intelligo, pro te descripta fuisse Cantica Canticorum e manuscripto glagolitico, quod munusculum optat, ut tibi gratum sit. Bibliopegae illud interim ad compingendum dedi, proxima occasione tibi mittendum cum Pelzelii grammatica, cujus editionem novam tibi auctor per me offert. Novi dialogi de literatura bohem., spero, tibi placebunt. Alia hinc inde melius exposita levi opera deteges. Prosodiae regulas*) brevius et accuratius ipse exposui.

Si volueris, mittam etiam lect. var. collectas a dno. Pischely e Canticorum vers. boh. manuscripti glagolitici. Ex illius schedis, quas abiturus (quamvis nunc audiam, eum apud legionem aliam Pragam venturum et mansurum) mihi miserat, noto inscriptionem Psalmi apocryphi 151., de quo jam supra quaedam monui: »Tento žalm zwlaſſčie napſan geſt. když geſt boiowal ſ goliaſſem. a toho žalmu w židowſkych knihach nemagi. ale od 70 miſtrow geſt přičinien. a protož nenie mezy ginymi žalmy.« Verius utique, quam quod e Psalterio an. 1475 superius adduxi. Utinam expressis verbis dixissent Benedictini Slavi hunc Psalmum e Slavico sumtum et translatum fuisse. De Psalmorum versione, quam diligenter examinavit dn. Pischely, in genere monuit: »Ueberhaupt genommen ist der Psalter (in manuscripto glag.) sehr wörtlich übersetzt und mit den Erklärungen und Zusätzen nicht so sehr, als die prosaischen Schriften erfüllet.« Quae ipse de aliis manuscriptis e vero affirmare posum. In aliis libris manuscripti glagol. *tocsiš* cum sequenti glossa subinde occurrit, linea rubra confossum, uti cod. II. mos est. Ex his duobus manuscriptis facillime de interpretis antiqui additamentis judicare possumus, ex. gr. Tob. 7, 1: ingressi sunt autem ad Raguelem, legit glagol.: a když wnidechu *k tomu cſtnemu muži* Raguilowi; sed subducta hic linea rubra per medium ducta notata seu confossa sunt, ut mox apparent, haec non esse de textu. In cod. VI. manserunt in textu sine linea subducta. In primis enim recensionis mediae codd. quaedam ex antiquis additamentis relicta sunt. In marginem subinde rejecit glossemata aut addidit: Job. 40, 10. tot' *behemot* × (olim ante rasuram *vehemot* (ⰲ . . .) in marg. nunc a paulo recent. manu iterum .˙. *vehemot* (ⰲ pro ⰱ) Slavorum orthographiam, qui graecum β per в saepe exprimunt, sequendo. Supra hanc vocem × additur sub hoc signo × in margine: *diabel tak ržečeny* rubris lineis inclusa, quae olim in textu fuerint, in eo nimirum, quem codd. I., II., III. exhibent. Si liceret inspicere codd., quoties dubium mihi occurrit, non opus esset tot loca notare et iterum data occasione conferre, quod mihi jam molestum est. Sed ex paucis de aliis judicare licebit. Vale jam et mihi favere perge.

Die 13. Junii 1798.

*) Pelzel F. M., Grundsätze der böhmischen Grammatik. Zweite vermehrte Auflage. Prag 1798, pag. 203—216.

Adjiciam schedulam,*) in qua aliorum iterum a me inspectorum codd. versionem v. 16. 17. 18. 19. 27 cap. 12. Prover. leges collatam invicem et cum manuscripto glagolitico.

CXXXIX.

1798 — 29. května. Durich děkuje za prokázanou podporu při jeho pracích, o jichž postupu podává zprávu, zmiňuje se o českém evangelistáři Vídenském, přeje si zprávu o hlaholském rukopise bible české z r. 1416, některá objasnění zbytku o apoštolech a mimo jiné vzpomíná jich korrespondenci.

Turnovii, die 29. Maji 1798.

Josepho Dobrowsky suo Fortun. Durich s. p. d.

Dum longanimitatem tuam cogito et cum hac tuum impigrum me adjuvandi studium compono, tuae ad me perferuntur literae iterum desiderio meo satisfacientes ante gratias tibi habitas pro duobus fasciculis donorum literariorum, pro quibus et praesentibus gratissimam animi significationem suscipe, et, ut vere scribis, occupatissimum tibique fidelissimum amicum ita excusatum habe, ut is de tuo affectu praesumit et futurum cogitat, ne offendaris, neve propterea rarius scribas, sed adjuves omne tempus colligentem et vindicantem, ut circa finem futuri mensis et priorum II^{ae} partis capitum typis paratum MS^{um} Viennam ad nostrum prof. Alterum expedire valeam, et pro medio Julii *Monumentorum Bibl. Palat. Vind. dial.^{ti} bohemo slav.^{ae}* praefationem de varietate ejusdem Bibl. nostrae dialecti MS^{orum} codicum et fragmentorum (NB. generatim secundum species bibliographicas tractantem et unum alterumve articulum singulatim attingentem) praemissam Monum. I^{o} et jam ita descriptam, ut a te lectum et, ubi videris necessitatem emendationis, tuo arbitrio correctum MS^{um} Praga Viennam ad eundem profes. Alterum per currum diligentiae meis expensis tute tua opera dirigi possit; paulum postea reliqua MS^{ti} pars seu Monum. II. cum specimine bohemo-slavonico glossematum in illis duobus antiquioris linguae nostrae monumentis et in principe nostra N. Test. editione collectum, atque cum dialecto liter. seu eccles. Slavorum, collatum. Jam perspicis, me omnino ita occupatum esse, ut scripsisti; et ego ita sentio, ut necesse non sit huic meo labori aliarum ecclesiasticarum occupationum genus, quod mihi tempus necessarium subtrahit, jungere. Et omnino vereor, immo timeo temeritatem promissionis meae continuis admonitionibus ab urgentibus amicis de acceleranda parte II^{a} vel ex invito elicitae. Interim tu, si quid monendum habes, vel in parato tibi sunt observationes ad Monum. I. spectantes, prius mature, quam poteris, mecum communica, ut illud prius perscriptum ad te valeam expedire circa initium mensis Julii; cogor enim arte quadam et industria breve tempus ita dispositum vindicare; alioqui opprimor multitudine objectorum laboris. Quod nunc scribis: Sub Spitigneo sec. XI. medio jam scriptam fuisse vers. Evangeliarii Vindob. et supponis MS. Vindobonense e novem aut saltem 7 transumtis fluxisse successive, quorum singula novis semper foedata erant erro-

*) Nenalezá se více mezi dopisy Dobrovského.

ribus — gaudeo te nunc in opinionem istam inductum, de qua tibi primum scribebam, *interpolatione* nimirum a compluribus librariis in exemplo Vindob. facta; sed nunc expende, an ante 6 transumta antiquissimum illud versionis, NB. *jam bohemicae juxta vers. Vulg. lat. formatae*, aliqua vestigia cyrillicae vers. habere non potuerit, quum vel superstes vocabulum бѣсъ contra interpolantis aut corrumpentis alio loco librarii diabel post 7 transumta tamen certum sit non tam slavici veri vocabuli, quam cyrillici *hermeneutici* vocabuli vestigium, cujus vim, ut ita Cyrillus exprimeret, ex Chrysostomo didicit, ut facile tibi persuadere potes ex disser. Calmet: nam ut Bohemus vocem *daemonium* vocabulo *bies* redderet, tam apto vocabulo, ut ipse in tua egregia diff. (pro cujus exemplis tibi summas habeo gratias) pag. 23 et sequenti, quod ad vers. antiq. slav. attinet, profiteris. Quaere quaeso, quomodo in meliori polon. vers. daemonium reddatur. Non mireris tot errores, tot commutationibus ex melioribus exemplis in deterius pro emendatione factis, quum vel in ipsa Mosquensi 3ia voces *prorae* et *puppis* male convertantur, ut semel notavi.

Gratissimum mihi est, quod de P. Iustino animadvertisti et quod de codicis glagolitici a. 1416 descriptione aliquando te daturum promittis; nunc ego a te vehementer postularem, ut de illius indole aliquid dare velis, quod ego velut omnino tuum tuoque nomine cap. VIII. dare possim.

De formula palaeogrammatica fragm. primae colum. pag. aversa: kaza — zazdyecze — a kyrmiecze, si qua habes collecta tibique observata, quam ego formulam eandem puto cum gerundio indeclinabili et servienti omni numero et personae, ut cl. Della Bella pag, 24 observavit, quaeso mecum communica.

Proxime alias notas, quas praecipue desiderem, ut ipse admones, futura hebdomada perscribam.

Si d.° Pischely ad legionem in Austria destinato quo campestri scripseris, meo nomine gratias age pro illa benignitate, quam sponte praestare volebat et nunc vix explere potest. Putabam ego hanc spontaneam oblationem literariam mihi futuram gratissime tuo arbitrio relinquendam, quum ignorem, quid jam descriptum fuerit.

Audio ex epist. d. Zlobiczkyi nostrum cl. d. Pelzel novis curis suam gramm. edidisse, cujus editionis in quo nova operis ratio consistat, cuperem ex te scire, cui me humanissime commendo. Jam vale quam optime tuoque sinu tuum fidelem amicum fove.

Nunc jam omnino necessarium erit tam diuturnam disquisitionem inter nos ex anno 1778, ut tua epist. 18. Junii ad me data meum auro pretiosius cum reliquis usque ad praesens tempus datis, testimonium est, ita definire, ut et ego meae illius disser. quaedam per te melius inventa et exposita momenta, sive corrigam sive explicem sive illustrem; tu vero a me observata discutias et examinata vel adhuc in dubio mecum reponas vel, quod certum est mecum, et tu mecum amplectaris. Iterum vale!

CXL.

1798 — 31. května. Dobrovský podává některé zvláštnosti syntaktické z evangelistáře Vídenského, zmiňuje se o české bibli hlaholské z r. 1416, podává příspěvky k plaveckému názvosloví a zakončuje podrobným výkladem slova licoměrník.

31. Maji 1798.

Fortunato suo sal. pl. Jos. Dobrowsky.

Pergam igitur communicare primum observ. meas in Evang. Vindob., quin praestolare velim responsum a te Credo enim mea tibi non displicere. Habe igitur quaedam de syntaxi bohemica antiqua, a te fortasse jam observata.

Dle particula postponitur: *tohodle*, ergo, Luc. 21, 14. itaque, Matth. 25, 13; pro nominativo pronominis ponitur genitivus in negativa propositione: *nenye ho zde*, non est hic, Marc. 16, 6. Matth. 28, 6. In limitibus Moraviae et inter Slovacos audias hanc locutionem frequentius: němáſs ho doma, quod Polonis est frequentissimum pro *není doma.*

Post *trzy* genitivo utitur, uti nos post *pět* etc.: trzy chlebow, tres panes, fortasse pro tré chlebow, Luc. 11. 5.

Plurali utitur: w hlawach, ad caput, Joh. 20, 12. situm exprimendo. -- Hac phrasi Moravi adhuc utuntur.

Similiter knyehy semper in plurali usurpatur. Sed alia hic subest ratio. Omnia enim, quae duabus similaribus partibus constant, in plur. ponuntur: wrata, prſy (prſa), hauſle, kniehy etc. Hinc knyhy porozenye, liber generationis. Etiam in slav. cod. ubique plur. reperio, ubi nunc singularis adhibetur. Lusatae infer. adhuc plurali utuntur: *kňigli.* Sed quasi necesitate coacti ob ea loca, in quibus unius et plurium librorum fit mentio, Bohemi uti coeperunt singulari sec. XV. Ex. gr. Apocal. XX, 2: *libri* aperti sunt, et *alius liber* apertus est. — Biblia N. II seu Wratislaw. primo et secundo loco plurali utuntur, immo et N. VII. (ol. 10.) seu molitricis. Verum in Nov. Testam. meo 1417, in quo vetus versio frequenter corrigitur, legitur secundo loco: giná *kniha.* Sed vers. 27. in libro vitae Agni, erat a prima manu: w knihach, sed *hach* minio deletum est et in marg. /\ *zie* adscriptum (ut sit w knizie). Haec per transennam. Alii posteriores nondum tam accurate discrimen observarunt, uti N. VII., qui w *knihach* hoc versu habet.

Post *dwoynadczet* non ponitur genitivus, dwoynadczet narod zydowſky, Luc. 22, 30, quia substantivum cum dwoy construitur, non attento sequenti *nadczet.*

De dativo pro genitivo exempla jam dedi prioribus literis. *naypotom*, novissime, superlativus est, uti *neyweyſ. do* kupczow, Matth. 25, 9 est polonismus, pro k kupczům. Genitivos Latinorum exprimi per adjectiva satis constat; credo tamen id non licere ubique. Ex. gr. pro ſtrach zydowſky, Joh. 7, 13. Aliud enim est metus Iudaeorum, dum Iudaei metuuntur, Furcht vor den Iuden, aliud dum Iudaei metuunt. Igitur cum ſtrach zydowſky magis exprimat metum, quo Iudaei metuunt, non possum probare versionem, licet sit secundum analogiam linguae.

Bratrzye (bratře) in fem. sing. collective sumitur pro fratribus, Gebrüder. Observavi id etiam in aliis bibliis: bratrzye ma, fratres mei, Matth. 12, 48.

Pronomine reciproco fwůg, non recte semper utitur, latinam syntaxim imitando: ze wffy myfly *twey*, Luc. 10, 27. Alias tamen non negligit omnino syntaxim bohemicam.

De infinitivo brevi (sine i) seu supino Latinorum jam egi alias. Addam tamen exempla a me notata: gdu ryb lowyet (lowit legendum), Joh. 21, 2; geho hledat, ob praecedens wratychu fye, Luc. 2, 45. Utroque loco in latino supinum non legitur, Bohemus tamen recte expressit. *przygyde nafledowat* Matth. 15, 25, *venit et adoravit* conjungendo; poflal panoffye fwe *wolat*, vocare, Matth. 22, 3. De qua re consulenda grammatica Pelzelii nostri. *Franciscus Kornig* in grammat. croatica (Kroatifche Sprachlehre oder Anweifung für Deutfche die kroatifche Sprache in kurzer Zeit gründlich zu erlernen. Agram, 1795. 8) praeter infinitivum kopati, graben, etiam supinum (Lagewort) posuit in paradigmate: kopat, um zu graben. Laudo hoc, sed Russos non laudo, qui e bibliis slavicis eliminarunt supinum hocce slavinicum. Sed jam in cod. Evangel. 4. slav. b. Dobneri olim, nunc Bibliothecae Reg. Pragensis publicae video non observari discrimen istud, nam Joh. IV, v. 7 et 15: *počrpati* legitur, non počrpat. Quibus in locis Bohemi antiqui (Plznense Nov. Test. an. 1527 nunc inspexi, cum de antiquioribus dubium non sit) utuntur supino *wážit* Blahoslaw tamen, nescio cur, maluit *wážiti* hic ponere et Joh. 21, 2: půgdu ryb lowiti. De aliis grammaticae partibus alias. Addam glossemata quaedam.

dobezye, fragmentorum, Joh. 6, 13. Correcto errore librarii legendum *drobezye*; nomin. singularis drobez aut drobiez (non *drobež*, uti alias credebam) formae *iez*, ut robot*iez* etc. Poloni minutas quasque res vocant *drobiazg*, masc. idem vocabulum norunt Lusatae super., nam in vocabul. latinoserbico, Budissinae 1721, 8. *minutia* exponitur drěbencza et drobaz (i. e. drobiaz) h. e. bohemicum droběz, cum nos latiorem vocalem *ia* in *ie* mutare soleamus. Poloni habent etiam adjectivum *drobieżny*, idem quod *drobny*.

Podrahy, fimbrias, Matth. 23, 5. Cod. III. seu Olom. habet *tkaniczic*. Quam vocem cum slavica *nadragi* p. 374 Introduct. conferre potuisses. Non reperio autem vocem podrahy in aliis dialectis praeter lusaticam super. nobis ob civilem quondam nexum et suapte natura admodum vicinam. Vocabul. lat. serbicum sub voce *limbus* habet *podroha*, more suo pro *a* humiliore *o* utendo.

Ratai in bibliis N. IV. seu glagol. lit. scriptis reperi I Paral. 27, 26: et agricolis, i *nad ratagi*, instrum. plur. ad illustrandam pag. 298 Biblioth. tuae. Tu jam haec disjecta locis suis restitue.

De bibliis nunc laudatis pauca. Admodum vitiose ea descripta sunt aut errores exemplaris vetustioris sequuntur in libris Paralipomenon, quos nunc recenseo in usus futuros. Versiculi integri in textu omissi, in margine restituuntur. Illud observatione dignum nomina, quae in codd. slavicis contrahi solet, etiam hic a fratribus Slavonis Emautinis, quos jam Bohemos fere omnes fuisse credo, contrahi. Ex. gr. ba͞, b͞žie, ſ͞n, pr͞rk, ſ͞rce, w͞lmi, w͞liky, m͞lwa, d͞d, g͞din, m͞lſrdie, h. e. boha, božie, ſyn, prorok, ſrdce, welmi, weliky, molitwa, dawid, hoſpodin etc. Morem ergo glagoliticae orthographiae in bohemicis sequuntur. Numeralia *saepe* per literas numericas exprimunt, uti pro quatuor (čtyrzi) ℁ etc.

Locum aliquem, praeter errores librarii, proferre, quo biblia haec ab omnibus aliis differant, difficile erit. Quomodo enim fieri possit, non video, cum ubique textum bohemum aliorum codicum exhibeant. Loca quaedam examinavi, in quibus (de libris Paralipom. nunc loquor) LXX interpretum versio plurimum a Vulgata differt, sed nihil emendatum reperi; ubique codicum latinorum lectiones etiam minus bonas, a LXX diversas, sequitur. De quibus loco et tempore suo.

Istud certe ridiculum, quod latinam partic. *sed* pro nomine proprio arripuerit boh. interpres. I Paral. 6, 58: sed et *Helom,* boh. *ſet* a *elom,* v. 81 sed et *Hesebon*, boh. *ſet* a *eſebon.* C. 12, 20: inter Jedihel et Michael, apposuit *let* Bohemus — legendo pro *et* partic. conjunctiva *let*, l ex *Jedihel* trahendo ad *et.* C. 11, v. 32: *Hurai de torrente Gaas* legit Boh.: *viri* de t. Vertit enim mužie ot potoka ğaaz. Iterum c. 27, 12: *Jemini* vertit, quasi legisset appellativum *gemini*; vertit enim: z pokolenie *blizencowcho*; Vulgatae errores hac ratione augendo, quae ipsa male propria nomina in appellativa hoc in libro mutavit.

Ad naviculariam Bohemorum addam aliqua. Spatiandi causa in littore Vltavae obambulans video naves frumento, foeno onustas, duas subinde conjunctas, Pragam tendere, pro hominibus famelicis urbem inhabitantibus. Quaero ego ex Bohemis, quibus nominibus appellent remorum species diversas. Respondent remos quosvis *weſla* nominari; eos, qui palis instructi essent, (weſla s lopatkami) dici *rudle* (german., ut credo, originis). Sed zadní dlauhé weslo vocatur *wopačina*, quam denominationem in libris frustra quaeras, quamvis aptissimam, illius enim motus in dextram navim impellit in sinistram partem. Germani Steuerruder vocant, quod Poloni *ster*, resecto Ruder efferunt, itaque a Germanis acceptum.

In russ. lex. etiam руль m. Steuerruder, (confer nostrum *rudle*) gubernaculum, clavus, invenitur. Alias *prawílo*, accentu in media, Ruder, remus, cum práwilo, accentu in prima, sit norma. Sed *práwilщik* (korabelnij) est Steuermann. Ita Hölterhof.

Lyczomyernyk quid proprie sit apud antiquos, exponam latius:

In Vindob. haec vox adhibetur ad exprimendum *Pharisaeum* et *hypocritam*; saepius tamen priori sensu, cum Pharisaei haberentur pro talibus.

Alias Pharisaeus est *zakonnyk,* sed hac voce magis legisperitus designatur. Hinc in cod. III. seu prima bibliorum recensione adhibita fuit vox *duchownik*, quam tamen eliminarunt recensiones sequiores seu posteriores iterum *zakonnik* assumentes.

Joh. 7, 32: *Pharisaei* sunt *zakonnyczy a lyczomyernyczy,* duplici unius vocis expositione; solet enim Vindob. subinde duobus vocabulis unam latinam exponere, nisi fortassis sit altera expositio a cujusdam emendatoris manu.

Matth. 21, 45: *Pharisaei* sunt lyczomyernyczy. Doleo me plura non notasse loca. Hoc significatu constanter sumitur *licom.* in Petri Manducatoris antiquissima *versione*, uti exstat in cod. Cerroniano an. 1404. Notavi enim ex hist. N. Test. sequentia: Pharisaei to ſu *lyczomiernycy*; myſtrzy a *lyczom.* (scribae et Pharisaei); bieda wam *lyczomyernyczy pokritcy.*

Non jam dijudico, quam inepte Pharisaei sic dicti sint. Hoc solum assero Pharisaeos ita fuisse bohemice expositos.

Hypocritae significatu in Vindob. notavi Luc. 6, 42: *lyczomyernyku*, vocat. casu. Sed Luc. 13, 15 retinuit Vind. latinam vocem *ypokryty*, cod. III.: liczomierniczi. Ab initio ergo sec. XV. cepit vox *licoměrnik* significatu hoc sumi apud Bohemos, cum alias Pharisaeum notasset.

Dixi alibi vocem hanc peregrinam esse et paulum detortam in formam slavicam. Nec insolitum hoc apud Slavos, qui gothica, uti *stcza*, cujus etymon non nisi apud gentes germ. originis investigari potest, multa habent, olim accepta.

Della Bella *lisimir* (lege lizimir), Micalia *lizimir* (sic etiam in derivatis) scribunt. Magis igitur retinuerunt vocem suecicam *lismare*, a verbo *lisma*, fuchsschwänzen, boh. *lisati*, seu germ. Gleißner — olim *likhisar*, *lichsnar*.

Cyrilli aetate jam slavicae formae propius accessisse videtur: *licemier*. Quamvis difficile sit slav. etymon, tamen si *lice* sumatur pro persona, tolerari possit slavica etymologia. Possit etiam a *lik*, similis, deduci (confer prilika etc.), sed difficultatem movet *mer*, cum forma haec nominum sit Slavis inusitata, nisi a *mjera*, *mjeriti*, deducatur, ut sit *liceměr* quasi composita vox, quae tua est sententia. Atqui et hoc peregrinam vocem arguit, quod a variis vario modo pronuncietur. P. Marcus enim, in dictionar. trilingui, *listmarn*, et *listmarněk*, Gutsmann (deutsch-windisches Wörterbuch) *listmarn* et *listmarnik* scribunt, in quibus notandi sunt significatus: schriftverständig, legisperitus, Student, Rechtsgelehrter. Apparet hos ut plebem vindicam respexisse ad *list*, qua in re quis eos reprehendere audeat. Sed de Pharisaeis, scribis, legisperitis vocem usurpatam olim satis constat e significatu apud Vindos. Si vox haec *licemier* origine slavica esset, vix credo eam tot mutationes subire potuisse; in peregrinis major immutandi libertas. Ipsum *mar* (in liftmarn, adjectivo a *listmar* deducto) peregrinitatem quoque prodit.

Si graeca aliqua vox exstaret, ad cujus formam *licemjer* fingi potuisset, tecum sentirem. Quid autem sit faciem aut personam metiri, non perspicio. Aliud est προσωποληψία, aliud ὑπόκρισις. Primum Rom. II. 11. in Vindob. slav. apud Alterum p. 993 redditur *licemierie*, sed certe mendum est librarii, cum in margine apponatur: *licoprietie* (licoprijatie). Cod. 5. seu dni. Ribay, quem pro Griesbachio contuli, hoc loco legit: *na licazrenie* eodem sensu, voce tamen, quam facilius Slavus intelligat.

Est igitur *licomiernik* nostrum ab adjectivo *licomjerny* deductum et hoc a *licomjer* antiquo slavo-germanico (*lismare* suec.) antecyrilliano vocabulo, quod varie ab aliis corruptum, primum quidem significasse videtur, simulatorem, Gleißner, deinde translatum ad Pharisaeos denotandos, quod tales censerentur; postea apud Vindos ad legisperitos. Cyrillus certe significatu primo vocem accepit et retinuit Talem vocem censeo etiam milosrdie, ad latinam aut germanicam vocem misericordia, Barmherzigkeit, efformatam et alias bene multas, nobis et aliis Slavis communes. *Prisaga* tamen (cf. p. 350 Introduc. tuae) ex aevo ethnicismi (non Christianismi) derivatam existimo, quod et aliae res (praeter crucem, quod utique e more Christiano fiebat) uti *ensis*, *canis*, alia tangi et poterant et solebant. Vale quam optime!

CXLI.

1798. — 28. června. Durich děkuje za zaslaný přepis Písně písní, odporučuje Dobrovskému Frant. Čebisse a žádá, by mu byl svou radou nápomocen, podává zprávu o svých pracích a zmiňuje se o staroslovanském a českém překladě písma svatého.

Turnovii, die 28. Junii 1798.

Josepho Dobrowsky suo Fort. Durich s. p. d.

Primum quidem pro muneribus librariis MS. Cant. Cant. diligentia et patientia plur. r[di] d. Pischely descripto et tua benignitate mihi procurato summas habeo gratias et nescio, in quem modum quidpiam grati eidem praestare valeam, ut ille mihi desiderato specimine praestitit et tu perscriptis ad rem pertinentibus notitiis munus illustrasti. Rogo, velis pro compactura tum illius MS[ti] tum pro gramm. cl. Pelzelii, cui summas habeo gratias, impensas factas a P. Xaverio futuro mense repetere.

Nunc, qua de causa exhibitor praesentium literarum meus civis et amicus d. Franciscus Cžebiss te accedat, intelligas, breviter describam. Heri veniens ad me, quaesivit: num Pragae quendam amicum haberem, qui sibi consilio esse possit in hac duplici causa: primum intendit ille praedium in provincia Beraunensi situm prope Woticzium nomine Dobrohosť nuncupatum 16000 fl. emere; cumque hujus rei causa necesse habeat dominos ad Jus provinciale considentes salutare ac interpellare, nec sciat modum ac viam instituendae rei, vehementer desiderat consilio adjuvari.

Altera causa est: quum rei rusticae ac oeconomicae studiis teneatur et fundos copiosiores agrorum possideat, satagit ille, pluribus operariis occupationem et justam mercedem dare ac terrae cultum industria promovere ita, ut agrum 16 mensuras nostras provinciales seminationis continentem majoribus proventibus reddendis aptum reddiderit plantato ibi horto sepe militari seu fossa instructo ad amoenitatem magisque ad usum et spem bonorum fructuum ac veteris disciplinae Slavorum utili aemulatione pluribus prodesse satagit. Dum hortus floreret, voluit me hujus amoenitatis bene consitae testem esse, et, ut tibi sincere fatear, fuit mihi haec dies ex amoenioribus prima, a quo tempore heic sum. Hanc ob alteram rem vellet instrui de Societate oeconomica bohemica et studiis ejus velletque etiam ipse suam symbolam subinde conferre. His propositionibus auditis, quum reposuissem, me praeter te Pragae neminem habere, cui his in rebus commendare possim interpellantem, hancce a me tibi tradendam expetiit epistolam, quam ei spe tuae amicitiae fultus, qui mihi tuis literariis adjumentis plurimum succurris, etiam amico desideratis consiliis adfuturum.

Nunc in eo totus sum, ut in elaboratione II. partis Bibl. slav. feliciter atque ad consensum tuum progrediar, et semel nostrae disquisitiones slavonicae, ut equidem fieri potest, finiantur. Certe collatis tuis in *versionem bohemicam* inquisitionibus, criticis recensionum collationibus, linguae slavicae apud nos fatis et cum primis collata Spitignei historia, quod ad Sazavenses attinet (vol. I. pag. 46. n. 38), cum Evangeliario Vindobon. et porro cum progressu in studio vers. boh. secundum tuas criticas observationes expenso,

ut ingenue fatear, debeo caput III. dissert. 1777. (quod ego admodum jejune in chartam conjeci, vix tres hebdomadas toti diss. impendens) emendare in quibusdam momentis; quamquam ista verba pag. 49. *neque res in alteram partem resolvi poterit* etc., tantisper, quid vel tunc senserim, innuant. Vix rudimenta hujus literaturae noscere coepi; nunc igitur aliter sentire debeo. Sed non spectata controversia, num ad nos doctrinae causa Methodius venerit, utique non negabis slavonicas versiones ecclesiasticas veteres, cum primis s. codicis esse fontem proprietatis et puritatis studii slavonici et elegantiae ac puritatis, quando quaeritur de dialectorum *slavinitate*. Dum vero quaeritur de notitia literarum et incrementis eruditionis slavicae ad nos perlatae et, ut ad omnes extenderetur saepius concupitae, postea ut Bohemi, saltem alii, praeter Benedictinos in usu slavico et doctrina non impedirentur regiae ad episcopum interpellationes etc., hanc tutiorem mihi suggerunt propositionem: Difficilius est negare.

Licet tibi hoc jam admittam, semel dimissa sub Spitigneo veteri disciplina slavonica et auctis slavonismi persequutionibus a Teutonibus et latinissantibus clericis et monachis (de Teutonibus Cosmam utique scribentem nosti) concitatis, tibique hac parte assentiri, quod attinet ad bohemicam versionem, omnino debeam, ista successione temporum, et in illis tot variis conatibus Vulgatae latinae conformem habendi versionem bohemicam, in isto neglectu versionis antiquae slavonicae, immo etiam usque ad Caroli IV. aetatem, odio et persequutione, vestigia graeci archetypi, praesertim dum iste non consuleretur, sed pro norma laudata v. l., cujus frequenter nec sensum, ut tu ipse ostendis, interpres non est assequutus, unice haberetur; ita disparuisse, ut tamen mirum sit quaedam exigua subinde mansisse, et propterea *difficilius sit negare*.

Sed non possum hodie omnes meas difficultates absolvere et, quod ad singulas attinet, meam sinceram et unice veritati intentam mentem aperire, ut neuter nostrum illam obstaculo quopiam nimium sibi fidentis animi temeritate interrumpat. Interim quaeso animum aperi et inspice Missale illud Pragense in membrana excusum, quod ex nostra bibl. in regiam inlatum est, quae sit ibi lectio illius part. in prosa de S. Procopio. Vale et me amare perge.*)

CXLII.

1798 — 22. července. Dobrovský odpovídá na list předcházející, zasílá Englovu recensi o díle Durichově, vyvrací domnění Durichovo o užívání staroslovanského překladu písma svatého v Čechách a o stopách jeho v českém překladě bible a zakončuje zmínkou o čteních sv. Prokopa.

Die 22. Julii 1798.

Fort. Durichio s. pl. Jos. Dobr.

Literae per d. Franc. Cžebiss allatae mihi quidem redditae sunt. Sed cum tribus diebus eum exspectassem, neque is ad me venisset, iterum ad

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Dobrovského, avšak nyní většinou již odříznuta.

thermas Chuchlenses concessi. Fortasse is non jam indegebat opera mea, quam tui causa lubens praestitissem.

Mitto hisce inclusam recensionem operis tui, quam aliqui dno. Engel tribuunt. In multis ei assentior, in aliis non item. Sed prius tibi legenda erit. Rogo autem, ut proxime folia haec remittas, cum ea a dno. prof. Steinsky, qui sal. tibi dicendam per me voluit, concessa habeam.

Cum tibi tam alte infixa haereat persuasio de slavonicae vers. apud Bohemos usu, etiam extra claustra Sazaviens., non jam laborabo, ut in meam te inclinem sententiam. Spero autem, me certe aliis persuasurum, quod tibi non possum. Certe cum nec in iis locis, in quibus lat. cum graeco consentit, vestigia slav. vers. in bohemicis antiquissimis reperire liceat, frustra asseritur, bohemicam ita immutatam, quod precario sumitur, ut jam vestigia disparuerint. Vestigia illa exigua, quae mansisse credis, sunt certe ambigua et opinione mea vere nulla, nisi fortassis tu alia observaveris, mihi nondum nota. Hac ratione etiam Dalmatae defendere poterunt, ab Hieronymo profectam fuisse primam versionem, a Graecis deinde mutatam Bohemica certe versio pensorum evangelicorum Christianismo coaeva est; ita, ut immediate facta sit e lat. codd. Si constaret de vers. aliqua antecyrilliana, occidentali per missionarios Juvavienses etc. facta et NB. scripta (nam ante Cyrillum et vivente Methodio latinos clericos post lecta Evangelia interpretatos fuisse textum slavice e pontificis literis tibi notum erit), facilius explicari posset, quomodo quaedam vocabula (quamvis fere communia) eo modo reddita postmodum sint a Bohemis, uti olim jam fuere per clericos latinos. Ex. gr. dominicae appellatio et dierum hebdomadis, vox milofrdie, misericordia, Barmherzigkeit, quae omnia aetatem Cyrilli superant et ad omnes Slavos per doctores christianos propagata sunt. Quomodo autem supponere possis, *tanta* diligentia in bohem. codd. omnia reficta fuisse, ut nec *unius* vocis ad graecae vocis formam effictae, quales in vers. slav. innumerae sunt, exemplum manserit reliquum. Codd. nostros nunquam ante sec. XIV. medium fuisse ad Vulg. lat. correctos, multis argumentis ostendam. Difficiliores voces primi interpretes omisere multas, cur non restituere correctores illi tam oculati, tam anxii, tam accurati, qui nihil e vet. vers. passi sunt manere, quod non consonaret cum lat. codd. Et quibus? Utique tibi notum erit, boh. vers. primam, qualis est Vindob. (et ex parte quaedam aliae) non esse factam ad Vulg. Hieronymianam, sed sequi textum antiquiorum codd. Italam continentium, et praecipue Cantabrigiensem. Quid si, cum codd. graeci sec. IX. tam antiquas lectiones jam non contineant, Cyrillus ipse quaedam e latino-slavicis sumsisset? Sed cum de codice scripto slavico nihil per hypothesim affirmare velim, dicatur is ita auctor vers. slavonicae Danubianae, ut e nullo fonte nisi graeco hauserit.

Dicatur autem etiam vers. boh. e fonte latino ita fluxisse, ut nihil cum slav. vers. commune habeat, nisi vocabula utrique dialecto communia.

Si utramque vers. melius distinxisses, quod utique tam ratione dialectus, quam originis fieri debet, utique slavicae vers. fontem inquirendo (p. 49 dissert. tuae) non potuisses rem in medio relinquere, utrum e 70 facta sit, eam solum ob causam, quod codd. boh. nondum reperti sint, qui cum 70 conveniant.

Immo vero e Bergio et Kohlio de slav. vers. origine rectius pronunciare potuisses. Certe illa inscriptio: Versio s. c. et Meth. est fons slavo-bohem. codicis, ſectores in errorem inducere debuit. Nunc quidem emendare cupiens minus recte dicta hanc formulam elegisti: *difficilius est negare.* — Sed vel sic erit errandi periculum. Credent enim lectores verisimilius esse, vers. boh. ortam e slavica, quod tamen nullo fundamento nititur. Mea quidem opinione, etiamsi refutare asserta tua nolis, saltem dicendum erit: Difficilius est boh. versioni aliam originem tribuere, cum historica argumenta non suppetant, quibus de fonte illius aliquid statui possit, quam eam, quae e diligentiori collatione textus antiquissimi boh. cum lat. et slavico, certo eruitur. Iam vero, quemcumque locum, ubi latina a graecis adeoque et a slavicis differunt, conferas, semper Bohemus latinum sequitur Neque explicari possis hujus vel illius vocis bohemicae, hujus vel illius sententiae translationem, nisi ex ambiguitate latini originalis. Neque licet jam dicere, haec fuisse serius e mutatione vers. orta, cum sic hypothesis non satis verisimilis alia hypothesi minus adhuc probabili fulciatur. Aliter utique sentire liceret, si historico monumento probari posset, vers. slav. ad Bohemos pervenisse et a clero probatam fuisse. De institutis *novis*, puta Sazav. et Slovanensi monasterio, non loquor. In Polonia certe plures sunt slavicam liturgiam sequentes, neque tamen unquam episcopatus latini clerici vers slav. usi sunt in adornando polonica

Slavonicas vers. eccles. fontem studii slavonici esse, sensu aliquo admitti potest. Melius tamen dixerim, subsidium atque medium; nam et Germani gothicis vocibus abutuntur in philologia, neque tamen quispiam gothicam versionem fontem germanicae sive linguae sive versionum unquam ausus est dicere. Idem de anglo-saxonica dialecto valet. Nostra monumenta antiqua, puta Dalemilum et alios, tantum utique valent, quantum versio slav. libri alicujus sec. XIV. facta, cum quisque interpres e provinciae suae dialecto quaedam petat. Neque te latet omnino, in vers. slavica slavonismos jam fuisse mutatos, praecipue a sec. XIV. Taceo graecismos non paucos; adeo, ut equidem originale bohemicum sat antiquum praeferam vers. slavicae, quando de dialectorum *slavinitate* quaeritur. Rectus loquendi usus sive antiquus sive recens, modo non sit ex alia lingua sumtus, est fons et norma scribendi et de slavinitate judicandi.

Praestat jam finire epistolam, ne tu me temeritatis incuses. In hac re, uti alia, judicia censeo esse libera. *Defendat* igitur, *quod quisque* sentit.

Prosae de S. Procopio lectionem veram e manuscriptis petendam arbitror. Roga, quaeso, p. Alterum, ut inspiciat denuo *Laurini* manuscriptum et alterum, in quo Evangel. antiqua continentur. Confer p. 46 Bibl. tuae versiculum: Gmagit kakes pifmo gyne. Utique haec latinae prosae auctor hisce exprimere voluit: *novis* doctus *literis.* Erat nimirum Procopii institutum in Bohemia *novum, insolitum:* kaczys ſlowiene, homines exteri, kakes *pifmo* gine, non visum scribendi genus, aliud, diversum, novum.

Vale et me licet contradicentem affectu tuo fove.

CXLIII.

1798 — 27. července. Durich děkuje za recensi Englovu a odpovídá Dobrovskému stran českého překladu písma svatého.

Turnovii, 27. Julii 1798.

Jos. Dobrowsky suo F. Durich s. pl. d.

Doleo, quod tribus diebus frustra d. Cžebiss mei causa exspectaveris; putabat ille fieri non posse, ut tua praesentia gaudere valeat, dolebatque heri, dum ei annunciarem frustraneam exspectationem.

Pro benigne mecum communicata recensione, quae d. Engel, ut facile conjicio, tribuitur, cum summa gratiarum actione remitto, atque cl. d. prof. Steinsky itidem salutem plurimam dico pro singulari benevolentia meique memoria. Quae sint haec alia, in quibus recensenti assentiri non possis, partim quidem ominari possum, partim curatius scire vellem, partim quae ego emendata voluerim esse, alias perscribam.

Tantum abest, ut te temeritatis incusem in iis, quae per me velles emendari, cum primis in causa: über den ersten Text der b. Bibl., quod ad meam vet. diss. attinet; ut etiam tibi gratias agam hujus observationis causa: *Si utramque vers. melius distinxisses*. Sed nunc otium non admittit, ut in hanc rem digredi possim; non quod nollem *refutare asserta*, ubi veritatem agnosco melioribus argumentis nixam: sum enim memor dictorum in mea praef. et fortassis facilior ad retractandum, ubi probabiliora video, uti nunc, quod ad tuam diligentem operam attinet in inquisito textu boh. antiquissimo, NB. *certis observationibus circumscripto*. Patere, ut tibi aliquid innuam: Qui versionem bohemicam latinis presbyteris ita vindicant, ut negata unquam *slavonici ritus existentia* (quod caput est offenduculi), ut ex archetypo latino translationem factam fuisse asserant; hos ego impense rogo, ut meminerint causae, quam hujus archetypi adstruunt, nimirum hanc Joannis VIII. epistolae 880. datae pericopam: *propter majorem honorificentiam Evangelium latine legatur, et postmodum* etc. etc. Si haec causa fingat quoque Bohemos, quum epistola data sit ad Methodii pertinentem causam; nihil ex assertione sequetur, nisi etiam ad Bohemos eadem slavici ritus causa pertineat. Alioqui scimus, quam disciplinam vel vicini nobis Austriae presbyteri vel ipso adhuc sec. XV. tenuerint, in causa nullatenus vernacule reddendarum sacrarum Scripturarum. Lege praef. codd. MS. Vindobon. Pal. Bibl. No. CCXXXVII. inter theolog.:

Hie habent die ewvangeli vnd die glos. — Das puech hat ausgeschriben Wennczlab Radpekch, burger zu Klosternewnburg an Mittichen vor sannd Dorothee tag Anno domini MCCCC und im LVII. Mein Anweiger hat ir selber gwissen darczu betwungen das si vncz an disew Zeit geswigñ sind dawider zeredñ das ich die Heiligñ ewvangeli ze déwsch pracht han. — Nu sind aber ander aufgestandñ die hat ir tumbleich hochfart darzcupracht das si krankch widernd für ziehent vnd sprechend Was sull wir nu predigñ. Seidt man die heil. Geschrifft auf pürigen vnd stuben vnd in den Hewsern vnd in déwtscher sprach list.

Quod igitur ad hanc emendationem attinet: *Difficilius est boh. versioni aliam originem tribuere, cum historica argumenta non suppetant, quibus de*

fonte illius aliquid statui possit, quam eam, quae e diligentiori collatione textus antiquissimi boh. cum lat. et slavico, certo eruitur. Non adeo resisto, quin certis conditionibus suscipere velim, nimirum pensi habita Joannis VIII. constitutione; alium enim pontif. in rem nostram nullum laudare potes; et nosti discipl. eccl. romanae de linguis vernaculis. Dein noveris me tibi ex animo ita addictum, ut mihi difficile omnino accidat in aliqua sententia quidpiam contrarii sentire, dum rationibus certis convincor; ut e. g. de ritu slavonico in Bohemia ante institutum episcopatum in Boh., licet tu restringere velis tantum ad monast. Sazavense. Vale quam optime et me pristino affectu prosequere.

CXLIV.

1798 — 7. srpna. Dobrovský oznamuje, v čem nesouhlasí s recensí Englovou o díle Durichově, podává k němu opravy a své poznámky a zakončuje zprávou o rozpravě Italinského.

7. Aug. 1798.*)

Fort. Dur. suo Jos. Dobrowsky s. pl.

Desiderio tuo resciendi ea, quae in recens. operis tui non probem, paucis satisfaciam. Nimia fuit modestia tua, quod mihi tribuere volueris boni majorem partem in opere tuo, quam mihi justo debeatur. Hoc ergo benevolentiae amici condonandum est. Sunt certe multa, quae ego non probem, licet *omnino* non reprehendam, quorum etiam minutissimorum seriem aliquando, si volueris, tibi pandam. Nunc pauca in recensionis contextum: Nescio quid sibi velit his verbis: so hätten wir (z. f. S. 8.) kurz gesagt; cum hoc satis breviter dicatur p. 9. Immo monendum fuit, verba: *Sed hoc addiderim* — verius dicti *fuerimus*, plane hoc loco omittenda fuisse, cum solum de corruptione nominis Sclavorum, per lit. c. insertionem hic agendum fuerit. Quis ferat vocis Tschudi (čud) interpretationem: seltsame, auffallende, wunderliche Leute; respexisse videtur ad *čudo*, miraculum, mirum, cum *čuždy* idem sit ac nostrum cyzý, fremd, ausländisch, ἀλλόφυλος. Tua quidem nominis Slowanorum explicatio non exigebat, ut etiam vocem *Njemec*, dubiae adhuc derivationis, in subsidium adhiberes. (Obiter hic addam, me ante annum latinum exemplar Passionalis, e quo boh. versio confecta sit, emisse, scriptum an. 1430 circiter; quod nondum inspexi eo in loco, ubi Boh. posuit ſlowenſky zatruby (ῥηματικῶς, ut recte exposuisti, h. e. verbis intelligibilibus.) Ego vocem Slowan, plur. Slowěné, Slowené, de gente sumtum; Slowany plur. fem. de regionibus, locis etc. ita probo, ut complexum literarum sl— solum genuinum et vere slavicum credam; in eo tamen differo, quod tu *sla* (cf. p. 285. nota) tolerare plane nolis, cum tamen Porphyrogeniti *rastotzan* probes, licet roztočany, roztok, a pluribus slavicae gentis populis d.‿atur. *Slavan*, *Slavin* (quam formam tu neglexisti) pertinet ad pronunciationem Antis propriam, a quibus Procop., Jordanes, alii nominis seu vocalis sonum mutuati sunt, Slowan, Slowak vero ad Slowanorum dialectum. Nestor Polonorum vocalem secutus

*) Durich připsal: Obtinui 9 Septembris.

est, h. e. Slowanorum. Alia re vix differo, nisi quod regiones slavicas Slowany dictas putem a plur. ſlowa seu verbo slowiti (slawiti) dicere, appellare, quod loca singula vocabulis slavicis appellata, atque adeo nota sermone slavico utentibus fuerint; de qua re jam alias disserui.

(Aristophanis aut alterius graeci poetae versionem slav. nuper in manibus habui; haec ad p. 57. Pragam igitur tibi aliquando veniendum est.)

Ad p. 79: peněz potius a germ. *Pfennig* deducendum immediate facile admittes, cum ejusmodi voces ante Cyrillum a latinis (immo Germanis) doctoribus inducta fuerint; quamvis hanc vocem magis ab exactoribus quam doctoribus christianis didicerint. Nota 7. p. 80: Krestiti est immedite a germ. krysten (taufen, Christianum facere). Utinam plurium ejusmodi vocabulorum seriem hic dedisses, aut des alibi aptiori loco. *Boh*, dives, est Latinorum Deus (dis), germ. Gott (gud). Moravorum formulam hic addere oportuisset: mám toho *do boha*, zur Genüge. — Immo Latinorum *beatus* et nostrum *bohatý* ab una radice fluxerunt.

Male nominavit censor Lucium pro Dobnero. Lucius enim primus vocem *župa* cognitam habuit et *župan* bene explicavit, quamvis du Fresne plura habeat uti archizupanos, megazupanos etc. Miror te vocem župam (xuppam) non excitasse e Micalia aliisque, qui ejus usum recentem et vigentem adhuc explicarunt. Nihilominus tamen ego quidem vocem hanc vere slavicam esse non agnosco, sed a Germanis sumtam, a Carinthiis propagatam ad Chrowatas et Servos. — Russis, quibus minus commercii erat cum Germanis, ignota mansit, ut tu ipse pag. 126 observasti. Et magis insistendo verbis privilegii explicassem vocem *Jopan* e germanico *Schaffner*, qua voce Norimbergenses adhuc utuntur; *Jopan* enim Phiſso— idem est ratione officii, quod *actores* Taliub et Sparuna. Ergo *župa* est vel *decania* vel minor aliqua portio, terminus, districtus, territorium sub uno actore, jurisdictionem exercente in homines hujus *župae* (boh. *osada* alias). Hinc apud Slavoniae incolas *xupa* est paroecia, (ein Kirchspiel), et *xupnik* parochus. Vide gramm. slav. Lanossovichii. Apud Dalmatas *xuppan* est villicus, italice fattore, teste Loderecker seu, e quo dalmatica descripsit, Verantio. Apud Polonos officium salinarum župa vocatur, et župnik, ein Richter im Salzwerke. P. Marcus shupan explicat: Dorfrichter, et Gutsmann: Dorfrichter, Amtmann. Ergo primario significatu e Germanis sumto župan est villicus, actor, praefectus jurisdictionem exercens, h. e. Schaffner. — Conferri etiam meretur germ. *Schöppe*, scabinus, quod aeque a *ſchaffen* collato *ſchöpfen* derivavit Adelungius. Hinc *Jopan* (per o) antiquius, quam župan (per u). Apud Croatas demum etiam ducum officiales (apud nos auřednikones) župani dicti sunt etc. Ungaricum Ispány nescio utrum e župan, uti visum est censori, factum sit, cum Gespan vox sit pure germanica et *comitem* significet. *Pan* cum gothico utique convenit et *fortasse* e gothico sumtum est, uti mzda, a goth. mizda. Possit tamen ob graecum *πάνυ* antiquius esse [uti p. 256 observasti), quam alia vocabula. Certe antiquius historicis documentis, quam sit *župan* a Bavaris ad Slavos translatum. Knittelius, quem citasti, Fan e *pan* (slavico) ortum credit. Sed tu Dobneri supanum (condominum) refutare volens p. 130 iniquior in vocem *Pan* fuisti, quam in Dobnerum, qui in etymologis, utpote Germanus Micro-

pragensis ne nominari quidem debuit. Quamvis satis acutus in eo fuerit, quod dixerit, »qua radice slavica id oriatur, ut župa habitatam terram significet.« Sed satis jam de župa.

Quid de nominibus castellorum urbium (quae primitus ignorata fuerant Slavis) apud Procopium sentiam, nosti. Slavica enim ea esse non credo, cum formae tales, uti *ina* etc. etiam in graeca, latina, thracica lingua reperiantur. Ardore inventionis abreptus videbaris tibi ubique slavica legere, ubi non slavica legeras, sed solum vocabula cum terminatione Slavis etiam nota convenientia. Neque *tyn* (**тынъ**) cum tín boh. in nominibus *Manetín* etc. confundi potest, neque forma *tun* exstat in lingua slavica universa. Nam vocabula, quae p. 143 citasti, ut *hostun*, pertinent quidem ad formam *un*, non vero ad *tun*, adeo ut *Novietunum* slavicae civitatis nomen esse nequeat, cum civitates nondum inhabitaverint Slavi eo tempore. *Tunum* in *Novietun* est potius forma gallica (thracica, pannonica), quae eadem sit cum *dunum*, uti Lugdunum, NB. NB. *Noviodunum* (pag. praef XXXV), de quo in specimine philol. et geogr. Pannon. disseritur.

P. 169: de nominibus ex *mir* (měr) compositis agens innuere saltem debuisses, similia composita ex *mar* et *mer* apud germ. stirpis gentes inveniri, uti *Waldemar*, slav. *Wladimir.*

»Nach dem griechischen *αὐτεξούσιος* ward das Wort swobodnij (swobod) erfunden etc., quod tamen absolute non asseruisti; nam p. 201 dicis: sine propria experientia — et post pauca de illo genere vocabulorum loqueris, quae ex archetypis graecis occasione vers. s. script. formata sint. Neque ego swoboda compositam vocem existimo ex ſwoy et budu, sed ex ſwoy aut sobě, aut quasi utroque ita deductam, ut *oda* (*od* in adjectivo) forma sit nominis, qualis est *ota, ada,* ex. gr. čis*tota*, hro*mada*. Budu enim vix in *bod* mutatum fuisset.

Siusli (daher Schleſien) eigentlich Sliusi von sljuz etc. Slezsko ducatum, a quo tandem Slezia universa nomen accepit, a slez, malva, dictum refutare non ausim, sed Siuslos non posse in Sliusos converti, ob diplomatum et aliorum monumentorum fidem, hoc ajo — et te mala scriptione **слюз** pro **слаз** deceptum fuisse credo. Notas Ursini in Ditmarum de Siuslis si exscribere possem, facile a sententia tam acriter propugnata te avellerem. Trilingue Dictionarium, quo usus est, errandi occasionem hoc loco praebuit.

Von S. 219 hebt die — Erklärung des Vf. von den Namen der Wasserfälle des *Dneprs* an. — Nicht alle können natürlich und ungezwungen erklärt werden, z. B. *ἀειφας*. Utinam hic slavica nomina a russicis distinxisset censor. Vidisset certe mecum omnia slavica (excepto *ναπρεζη*) optime et facillime explicata fuisse; — russica vero, utpote *getica,* e lingua slavica explanari plane non posse. Jablonovium tu superare volebas, sed frustra, cum jam *Müllerus* historiographus agnoverit cum Schlötzero voces has esse peregrinas, exoticas. Possentne, si slavo-russica essent, tantopere differre a slavicis? Pro *ναπρεζη* melius explicando, rogo, e popularibus tuis quaeras, quid sit zápraží, et habebis rectam notionem vocis *ναπρεζη* ejusque formationis a *práh*. Dolcii somnia a te refutata probo cum censore; in hoc tamen dissentio, quod dixerit: wobei jedoch eher an *bjelo ozero* als an *belaja zara* gedacht werden

kann; — ozero enim duntaxat russicum est (o pro je initio), non illyricum. Miror nemini byla zora, fuit aurora, occurrisse, hic enim vocum complexus plane Bylazora Livii Polybiique sistit. Sed cum Byl (graece βυλ) longe diversum sit a slavico byl, et *azora* nihil sonet in slavico, inanis foret opera, poeonicam vocem convertere velle in slavicam.

Praeneste certe latinum totum slavicum est, si efferres *preneste*, transferte, et tamen nulli adhuc slavicum visum fuit. Occurrunt mihi nugae: sed lac ova cera pro pila nos amavisset. Bylazora esse etiam possit *wůl* a *zora*.

Visla certe slavicum est hac forma scriptum. *Visula* tamen Pomponii a germanis populis (immo aliis etiam, quibus *vis aqua*, *fluvius* est) orta fuerit, h. e. Visel. — Habent enim alibi etiam Visurgim, Weser etc. Hac ratione *me* ipsum non tam refuto, quam corrigo. Si βισλα Porphyr. est Poloniae *Wisla*, pronunciationem a Slavis hausit. – Sed quod addit censor: wobei (διτζικη) man an Danzig denken möchte, minus probabile est, quam expositio tua, si eam adhuc exemplo polonico dźiky confirmasses. Gedanum, Gdansko cum διτζικη comparari minime potest. Num διτζικη esse non possit *tjeſſinka* excluso rhinesmo? *Joza* — wo uns aber die Erklärung non uzda (uz) — nicht behagen will. Nec ego quidem hanc expositionem probo, cum russicum nomen apud Moysem Choron. slavicum esse non possit, sed thracicum, geticum. Ab his habent Walachi (a Getis *ex parte* orti) nomen Іаꙁ (iaz) (vide Molnari grammat. valach. p. 42) quo *fluvium parvum* nunc appellant. Aliud Latinorum rivo simile раѹ (raeu), unde antiquum Volgae nomen ῥᾶ derives. *Jaz* illud varias mutationes subire poterat ac olim etiam jez, jiz (wez, *wiz* norunt finnici populi) dictum fuerit, unde nomen vetus Danubii *Ister* recte explices.

Addit censor: Sehr ungern vermiſſen wir eine kurze Etymologie der Völkernamen Serbier, Lausitzer etc. — Nescio, num fuerit hic instituti et propositi tui. Difficile est enim judicare nunc ex introductione de omnibus partibus.

Dialectorum seu potius linguarum slavin. et anticae discrimina satis jejune exposuit censor: raz—roz, iz—wy. Die Anten *ſcheinen* zemlja — die Slawen země (zemja) ausgesprochen zu haben. Quid scheinen sibi hic velit, ubi de certis momentis sermo est, quis divinet? Erste golova, letzte glava, erste odin, osen, letzte jedin, (jesen). Haec plane specifice russica sunt, non Antis communia. Sed tu p. 270 occasionem errandi praebuisti. Nam βαρυφορος mutando in *Baruporog* porog antiquum censuisti. Atqui βαρυφορος non slavicum (atque adeo neque slavo-russicum) est, et Constant. Porphyr. Slavorum ad Danaprum (a quibus hodierni Russi ortum habent) nomen cataractae prag (πραχ) scripsit, ergo nondum aevo Porphyr. Russi (Slavorussi) inter consonantes pr (et alias) vocalem o inserebant. Serius id factum ob commixtionem cum Finnis, qui (uti Ungari) duas consonantes initio vocum sine vocali efferre non possunt. Exempla igitur *boroda*, golova, gorod, ad dialectum proprie russicam (ut nunc est) pertinentia ad *genus* linguae anticae referri non possunt, cum Serbi *brada*, glava, grad enuncient. Exemplum borzo pro brzo huc non spectat, cum post br (syllabam) non sequatur vocalis. Species

linguarum slavicarum (cf. p. 286) hoc ordine constituendae sunt: Polonica[1], bohemica[2], (croatica)[2–3], serbica[3], russica[4], ut appareat, quo sensu p. 268 dicere potueris auctore Schlötzero, quorundam exemplorum russicorum majorem consensum esse cum dialecto bohemica — addi hic debuit, *quam cum polonica*. Si enim majorem consensum intelligas ita, ut major sit, quam cum serbica aut croatica, quae est quasi vinculum borealium et australium Slavorum — falsum erit assertum.

Ducta linea a Vistula Ragusam usque attingit omnes linguarum et populorum species praeter Russos: Polonicam, slovacicam (morav. bohem.), croaticam, serbicam seu illyricam proprie sic dictam. Carnioliae, Stiriae, Carinthiae Slavi proprie ad croaticam speciem referri debent, uti Moravi, Bohemi ad slovacicam seu, si malis, Slovaci, Moravi ad bohemicam spectant. Russi, quamvis minus nunc cohaereant geographico situ cum Serbis, tamen eis proximiores sunt affinitate linguae, quam Polonis. Et si cui discendam suaderem linguam e slavicis, qui omnes tempore suo cognoscere vellet, unum e mediis dialectis puriorem commendarem.

Trebunier eigentlich von twrſchina (twrzina) cf. p. 289. *Terbunia* regio jam ante Slavos hoc nomine compellata fuerit; minimeque probo tam coactam expositionem. Quis enim audeat Terbuniam in Twerzuniam mutare? Březyna prov. Bolesl. certe non a břeh (alias enim břežina diceretur), sed a bříza (březa) nomen habet, ut plures březyny in Bohemia. Ubique tu slavica reperisse te credebas, cum meminisse te oportuisset, regiones transdanubianas, licet desertas, fuisse tamen habitatas et nominibus insignitas, quae Slavi servarint — pagis autem a se conditis, cultis slavica indiderint nomina. De Ezeritis ob formam peregrinam valde dubito, ut a gezero nomen habeant.

Praedenecenti etiamsi ad legatos Abotritorum trahas, tamen slavicae integritati ideo restitui non possunt, quod Abotriti Slavi non fuerint. Praedenecenti Abotriti sunt Patzinakitae (Pečenĕgi) et nihil aliud. — Germani solent corrumpere nomina propria ori eorum ineffabilia. *Antarum* (p. 300) ego nomen aliter explico e graecis auctoribus; graecum enim est. Nimio, ut jam dixi, nova detegendi et impigro labore eruderandi ardore abreptus mihi videris, ut fieri solet.

Das Wort *ſſlechtic* komme her von ſſlechetnoſt, Frömmigkeit, Sittlichkeit. Aliud utique sunt *probitas* et *integritas,* — sed miror tibi vocem *ſſlechta* non occurrisse. Est autem a Germanis sumta, nec nisi Bohemis et Polonis nota.

De *çar* jam scripsi alias, esse tataricum. *Kral* germanicae originis esse credo. Germanorum enim *Kerl*, *Karl* significatu convenit cum armenico Karol. Regis autem notio non nisi a Carolo magno ad Slavos pervenit. Knjaz, eine Umwandlung von König, (de principe) non penitus rejicio. Ad *Chan* (kan) tataricum respiciendum tamen est. — Forma ěz vere slavica est, quam si jungas radici kan (kon), habebis kněz, exclusa vocali.

Uiber die älteſten Geſetze etc. hic saltem monendum fuerat a censore, quaenam lingua slavica et latina perscriptae essent.

Ad vocem *σαραβαροι*, quae monuit censor, recte habent, — nam *ſſarywary* et Polonis, immo nunc et Bohemis, sat notum vocabulum est, vereque

descendunt foemoralia ista aliis superinduta usque ad pedes. Minus recte igitur b. Mich. schalvary ab Ungaris dicta scripsit. Slavis, ut hoc addam, braccae ad pedes usque demissae, quales gestant Moraviae opiliones, Walachi dicti, *nohawice* appellantur.

Das ganze beschliesst die Bemerkung, *was* die slaw. Sp. mit Hebräern etc. Fortassis dicere voluit, *daß* non *was*. Haec enim, praeter paucorum elementorum similitudinem, nondum exposita sunt — et tu ipse lectorem ad alium locum, quo pluribus exemplis id demonstrare velis (p. 394), ablegas; neque intelligo, qua ratione musices amor a mensura syllabarum repetendus sit, cum etiam in Bohemia nati Germani (die Deutschböhmen) non minus apti ad musicam sint, uti tibi constare potest. Hujus igitur rei ratio alibi quaerenda est. Occasione notae 156) moneo, utne citationes subinde necessarias omittas; quis enim lectorum divinet, cui slavicae res minus perspectae sunt, quae nota citata de usu citharae apud Slavos tempore Mauritii breviter dixisti? Innuere id voluise censorem his verbis credo: ohne jedoch kürzere Winke für Sprachforscher und Citationen für Gelehrte vorzuenthalten.

Suaderem etiam, ut librorum indicem, eorum saltem, quos saepius citas, operis tui p. II. praemittas; hac enim ratione fiet, ut auctorum indice speciali opus non sit, ne saepius idem liber pluribus citetur citatoque auctoris nomine plenior titulus mox inspici possit. -- Exempla praebuit b. Schmid hist. germ. et Pelzelius hist. Wenceslai. — Poteris hac ratione uti quibusdam compendiis, quae lectorem satis adjuvabunt. Vide ex. gr. p. 357 notam 108. Annon suffecisset dicere, confer Jord. contextum in manuscripto Bibl. Palat. Vindob. p. 11. Reliqua enim jam p. 11. dicta sunt. Pag. 352. manuscriptum Žerot. citas hisce: MS. Žerotinianus cod. Bibl. Palat. Vindob. et alibi sic aut alio modo. Praemisso indiculo uti suadeo, sufficiet dicere: *MS. Žerot.* aut quocumque apto compendio uti volueris. Pag. 339 nota 90 citas Com. Grubissich. diss. in orig. et hist. alphab. sclavon. glagol. pag. 50. Alibi jam pleniorem titulum cum nota loci et anni dedisti; quis jam recordetur ubi, qua pagina? Si indiculus praefixus exhiberet secundum seriem cognominum Grubiss. librum, mox edoceri poterit lector et tibi molestum non esset, toties eadem repetere. Potuisses enim dicere: Grubiss. lib. cit. aut dissert. p. 50. Pag. 335. nota 82) dicis: »de his dignus est lectu Voigtius dissert. saepius laudata p. 22. et sequentibus«. Quis possit cognoscere pleniorem titulum, nisi casu in pag. 294 incidat? Et etiamsi velis addere: Dissert. nota *41* citata, saepius id repeti deberet. Utile certe et tibi et lectoribus commodum erit consilium meum. Et ne opus sit iterum repetere pleniores titulos, satis erit illis libris, quos jam citasti vol. I. p. I. addere paginam, qua plenius descripti sunt, ex. gr. *Stritteri* (J. Gotth.) Memoriae populorum. Vid. vol. I. p. 1. p. 289. Aliorum autem, quos iterum citabis saepius, librorum aut dissert. plenos, uti soles, titulos appone in ipso indiculo et compendiis utere in notis aut contextu eos excitando. Brevitati enim maxime tali in opere studendum est et lectorum commodis consulendum.

Rogo etiam, ne unquam pag. notationem omittas, quae res multum lectorem etiam diligentem impedit, ex. gr. pag. 265, nota 7) dicis: Confer superius dicta de nomine *rostok*. Ubi dicta? utique addendum fuit p. 115.

Si pagg. citare non possis, ob distantiam a loco impressionis, cap. et § citandi erunt aut notarum numerus.

Cum tu lib. I. cap. V. de connexione aliquantula l. slavicae cum lingua graeca, lat., gothica agere velis, non ingratum tibi erit cognoscere, quae Alterus noster nuper ephemeridibus (Lit. Anzeig.) mense Jun. p. 1027. inseri curavit. Sic autem habent: Italinskij, ehemaliger ruff. Gesandter zu Neapel, theilte J. Hager'n im Oktober 1797 die Nachricht mit, dass er an einer Dissertation sur la langue slave comparée avec la langue sanscrudana arbeite; auch wird er die Vergleichung des Slavischen mit dem Coptischen, Persischen, Türkischen vornehmen. Pergit vero Alterus: Erstlich muss ich bemerken, dass es eben so wenig eine sanscrudanische als eine cyrillische, eine glagolitische und eine runische Sprache gebe. Die sanscrudanische ist die alte indische oder indostanische Sprache mit Sanskritschrift geschrieben, die nur Brahminen kennen und den Laien unbekannt ist. Denn Sanskrit heisst (miror ejusmodi nugas hic publice protrudi) nach einer sehr wahrscheinlichen Etymologie im Slavischen, wenn man im Worte pisanie die 1. und letzte Sylbe wegschneidet, (quis risum contineat), pisanie (*san* utique remanet) skrit, scriptura occulta. Diese Etymologie hält Justinus Wischnewsky für sehr wahrscheinlich. Allein das Wort Etymologia mag vielleicht zu Ciceros Zeiten haben heissen können veriloquium, heutiges Tages ist es wohl falsiloquium. Ich überlasse diess Kennern. Ohe, jam satis est nugarum! — — Ich erinnere mich, dass im erwähnten Briefe des Italinsky das Wort pisaka (utique pisak) auf russisch, und auch im Coptischen einen Schreiber bedeute. Allein im lexico Aegypt. lat. des la Croze — heisst scriba *sah*, und mit dem Artikel *pisah*. Eigentlich heisst im Russischen scriba *pisař*, *pisec*. Quis ferat istos nugatores? Nostrum pifák, quam formam Hajekus finxerat, noluit enim forma consueta pífař uti, dum de scribis seu notariis Libussae fabularetur, a pífati deducitur. Pisati vero est excluso rhinesmo idem, quod pingere, sup. *pictum*; mutant enim Slavi Latinorum k in s, uti decem deset, vicus, wes etc. Vides, quid sperare liceat de Italinsky opera.

Haec ego, quantum per monumenta licuit, dudum jam tractavi et cognovi, non nisi paucissimas radices in Asia plerasque in Europa quaerendas. Quis crederet nostrum *nebe* in Hyberniae oris inveniri? Cum africanis etiam linguis slavicam contuli, sed ne minimam similitudinem reperire licuit. Nuper incidi in Jauensium nomen calcis, quod nostro *wapno*, (japno, apno) est simillimum. Sed quaeramus slavica diligentius domi. Vale mihique fave.

Mieschicii.

CXLV.

1798 — 28. září. Dobrovský oznamuje svůj návrat z Teplic, zve Duricha do Prahy k obapolnému prohlednutí rukopisu II. části Bibliotheky, zmiňuje se o spise Alterově »Georgianische Literatur« a o řeckém protopopovi a zakončuje svůj list přáními.

28. Septemb., die Duci nostro sacrata, 1798.

Fortunato suo sal. plur. Jos. D.

E thermis Teplicensibus rediens mox cogitavi, qua ratione tibi satisfacere possem. Volebas tu, ut terniones tuos Viennam per me mittendos legerem,

antequam imprimerentur. Etsi tibi obsequi summopere cupiam, tamen non video, quomodo sine ambagibus id fieri possit. Ubi enim monenda essent aliqua, nollem sine te quidpiam immutare. Collatione mutua res omnino perfectius agi poterit. Igitur aut mihi pergendum esset ad te aut tibi hyemandum apud me. Primum cum hoc anno fieri non possit, alterum tibi eligendun erit, quod nunc nullam difficultatem habet. Nam domum cum hortulo inhabito a diebus aliquot curoque, ut tibi cubile aptetur, non nimis angustum, neque spatiosum nimis. Socios habebis libros meos usui fortasse profuturos; hos enim alio loco seponere nec potui nec volui, cum sciam tibi eos non displicere. Nec ulla alia re opus habebis, quam adferas, quae sternendo lecto tibi propria sunt. Victum vel apud me vel in vicinia comparatum habere poteris. Veni igitur quam proxime, ut et tibi prodesse et te aliquando frui possim. Intra paucos dies Pragam mihi eundum et ibi manendum est. Praestolabor igitur adventum tuum.

Tulit nuper aliquis duo exemplaria libelli: über die georgianische Literatur a p. Altero conscripti. Unum eorum servo: alterum nescio cui, credo utique tibi, tradendum sit. Huic libello, in quo dilucidum ordinem desidero, cetera eruditione pleno etiam slavica immiscuit. Tuumque opus in eo semel atque iterum laudavit. In hoc quidem consentio, in aliis non paucis multum dissentio. Sed de his coram aliquando. Jube, num mittere libellum proxime debeam.

Aliud, quod perscribam nunc, non invenio, nisi unum hoc curiosum satis. In thermis penes me habitavit quidam protopopa in Russiam tendens, ubi praedia possidet, Cephalonia oriundus; graece a pueris, deinde italicam et russicam didicit. Russice loquebatur satis celeriter, sed pronunciationem non slavici oris prodens. Hic nunquam ž aliter quam z, ſſ semper ut ſ, č semper ut c (ц) pronunciabat. Etiam italicum c ante e non aliter quam nostrum č efferebat. Quid autem inde inferas? Hoc ut arbitror. Byzantinos in scribendis nominibus slavicis hunc morem observasse, quem Graecus iste hodie (certe et alii Graeci, qui slavica minus callent) tenet.

Vestrum decanum hodiernum peto a me salutari; eandem salutem expediendam per me vult v. d. Thomas Weininger, curatus Libeznicensis, qui et te salutat, quamvis ejus faciei fortasse non recorderis amplius. Si expensas times, scribe per nuncium et me certiorem redde de proposito tuo. Vale.

Mieschitzii. *)

CXLVI.

1798 — 9. října. Dobrovský zmiňuje se o zásilce spisu Alterova, zve opět Duricha do Prahy, a přeje si, by výtisky Bibliotheky zaslány byly do Lipska a Vídně.

9. Octobr. 1798.

Fortunato suo J. D. sal. pl.

Per nuncium hunc mitto libellum p. Alteri, de quo nuper mentionem feceram. Est quidem refertus pluribus notitiis lit. res slavicas tangentibus, sed lima opus esse plerisque assertis tu ipse quam optime perspicies. Autodida-

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Durichova.

ctorum hoc fere vitium est, ut parum curent rescire, quae alii sentiant, a quibus tamen erudiri opus haberent. De his alias.

Nunc iterum te compello, ut hyemem Pragae apud me transigas. Hospitio enim excipieris tali, ut in hortum descendere possis, quando placuerit, aerem liberiorem spiraturus. Vale quam optime. Saluta amicos *Domausicenses* omnes. Vale.

(Na přiloženém lístku připsal Dobrovský:)

Fac, rogo, ut typographiae praefectus curet exemplaria Bibliothecae tuae devehi Lipsiam aut saltem Vindobonam, ut studiosi talium rerum obtinere facilius possint, quae frustra quaerunt. Nuper d. Adelungius, bibliothecarius electoris Saxoniae, per Waltherum bibliopolam Praga sibi transmitti unum exemplar postulavit: Walterus id nullo studio obtinere potuit. Tandem rogatus ego coactus fui, exemplar a P. Chrysostomo redimere justo pretio, ut aliqua ratione satisfacerem quaerentibus et nullibi invenientibus. Alii etiam hac de re jam conquesti sunt. — Cujus, quaeso, negligentia fit, ut tam difficulter haberi (immo potius non haberi penitus) possint exemplaria libri a multis desiderati?

CXLVII.

1798 — 16. října. Durich odpovídá na dva předešlé listy, zmiňuje se o spise Alterově, děkuje za pozvání Dobrovského, podává zprávu o své nemoci, o přípravách svého rukopisu k tisku a mimo jiné o smrti Šimkově a o významu slova *práh*.

Turnovii, 16. Octobris 1798.

Jos. Dobrowsky suo Fort. Durich s. p. d.

Facile causam intelliges, cur ad te diutius nullam epistolam dederim, quum tibi duas responsorias tenear, alteram ad diem 28. Septembris, alteram ad 9. Octobris, dum opusculum prof. Alter de literat. Georgiana obtinuissem, pro quo tibi summas habeo gratias; nam Zlobiczky in epist. ad me 26. Septembris data monuerat, auctorem per comitem Wallis ad te duo exempla misisse, alterum pro me. Utinam ille slavophilus et amicus meus me laudaret remissius; nosco enim tantillum mearum notitiarum slavonicarum vero atque minori modulo metiri. Quod scribis, libellum lima opus habere, quod ad slavica attinet, vel ipse judico; sed hac de re alio tempore scribam.

Nunc ut tibi tanta humanitate tantaque amicitiae ac benignitatis significatione pro oblato hospitio, quo me excipere vis, gratias agam, servata mihi hujus vere singularis in me intimi affectus oblatione; noveris me mensibus Augusto et Septembri propemodum integris ita per singula ferme membra malo podagrae affectum fuisse, ut neque promissam vol. I. 2. part. continuationem, meosque, ut ex Alteriano libello intellexisti, conatus pertinaces prosequi valuerim, neque tibi, atque Zlobiczkyo ceterisque amicis officio epistolari satisfacere potuerim. Nunc equidem ita pristinum laborem resumo, ut, quam partem MS[ti] mense Julio ad typum paravi, postquam a Zlobiczkyo responsorias, quas ante triduum citissime ad me dari postulavi, obtinuero,

hanc statim cum prosequutione operis Viennam promoveam; quia ex d° Ribay jam sub finem mens. Julii intellexi, magnif. d. Lakicsio, directore typogr. Budensis, ita definiente, non posse fieri citius, ut editio operis inchoetur, nisi post initium fut. mens. Novembris. Nihil itaque mea infirmitate neglectum est; tantum Deus fractas vires restauret et pristinam valetudinem concedat, ad nundinas Paschales tamen fortassis opus typis exscribetur. Interpellavi amicos Viennenses, ut Ribayus corrector typorum instituatur Budae, saltem quod ad meum opus attinet; sed responsum exspecto. Serva igitur oblatam hospitii gratiam, donec Pragam conferre me potuero; nunc enim itineri me dare, ut intelligis, pluribus de causis non possum, praecipue jam rigente apud nos brumali aura. De vitandis ambagibus in collatione hujus 2^{ae} partis, ut tamen sine tuo consilio saltem in praecipuis momentis monumentorum ineditorum res non agatur, proxime plura scribam; nunc tantum quaedam alia scribo.

Noster dominus decanus tibi pro humanissime salutatione atque v. d. Thomae Weininger, curato Libeznicensi, gratias agit et per me plurimam salutem dicit, cui ego identidem humanissime gratias ago et impense commendari cupio, licet recordatus multum, faciem ejus recordari non amplius valeam. Maximilianus Schimek, ut nuper ad me Zlob scripsit, die 7. Junii in Rabensburg, an der Gränze zwischen Oesterreich, Mähren und Ungarn, qua parochus mortuus est. Diese Pfarre, die 4000 fl. trägt, genoss er kaum ein Jahr; er kam durch die slowakische Sprache dazu, weil die Pfarrkinder lauter Slowaken sind. Ich und Alter haben gleich Kommissionen dahin gegeben, ob die von dem sel. Grafen Wrbna geschaffene glagolitischen Matricen, sein Werk, sonstige Manuskripte und Bücher vorhanden sind? Er muss sie also doch nach dem Tode des Grafen, wie ich schon damals hörte, vertilget haben, weil wir nichts ausfindig machen können. Meine ihm geliehene Bücher und die mitgetheilten Collectaneen hätte ich gerne bezahlt. Die Matricen sind von einem geschickten Schlossergesellen, aber nicht rein geschnitten gewesen, um die ist weiter kein Schade.

Ad slavonicam et bohemicam veterem vocem **прагъ**, *práh*, praecipue quod illa noster cl. Pelzelius, quem impense salutatum cupio, egregie usus est, velim notes triplicem usum vocabuli: 1° cataractae naturalis, ut in Borysthene, 2° cataractae artificialis, cujus vocabulum *práh* nostri molitores adhucdum servant, neque in Comenio reperio, tu noveris, an alii nostri habeant; certe a peritis hujus artis habeo, non solum in majorum fluminum artificialibus cataractis, illum meatum, per quem deorsum enavigant nautae, dici *práh*, et non licere, jure patrio illum *τὸν* práh vel altius vel inferius deprimere; unde etiam in illo práh, qui est in rivulis ad illam collectionem aquarum nádržka dictam, idem jus propter vicinum molitorem servari solet, et illud *limen* práh signaculo signatur, ne quid in hac re novi operis fiat. De limine ad januas tute nosti. Vale.

Mense Januario P. Franciscus pro meo exemplo tua opera edendi lexici pretium numerabit. Scisne slav. veram vocem vocabuli germ. *Schleissen?* *)

---

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Dobrovského.

CXLVIII.

1798 — 25. listopadu. Dobrovský odpovídá na list předešlý, oznamuje brzké vyjití nového dílu rozprav české král. Společnosti nauk, nabízí Durichovi své služby, posuzuje a vytýká chyby spisu Alterova »Georgianische Literatur« a zakončuje dodatkem k Bibliothece Durichově.

25. Nov. 1798.

Fortunato Durichio suo Jos. D. sal. plurimam d.

Venies itaque Pragam, quando libuerit et aura faverit et opportunum tempus fuerit, atque pro Slavorum hospitalitate nota de hospitio non eris jam sollicitus, cum oblatum tibi saltem acceptaveris.

Soc. nostra scient. boh. proxime editum tomum tibi offert ad complendos reliquos, quem mittere nolui, ut, si eum ligare curaveris, possis unum tomorum Pragam mittere; statue jam, quid mihi faciendum sit, utrum eum apud P. Xaverium deponere debeam, an aliud fieri velis.

Spero vires tuas ita restitutas, ut progredi jam in opere coepto possis. Mea opera si uti adhuc volueris, nosti me ad omne officiorum genus paratum.

Opusculi Alteriani lectio, quamvis auctorem colam et diligam, mihi bilem movit. Video enim nondum eum slavicam grammaticam perfecte didicisse, immo ne recte quidem eum legere. Ex. gr. p. 180 iterum repetit: razwje slowe *ſeljubodieinnaho*, ubi legendum fuit: *ſloweſe ljubod.*, rectius vocabula dividendo.

P. 172: nohu twoju. Man kann hier nicht den Accusativ sing. gelten lassen, weil etc. Atqui recentiores jam raro servant hanc regulam, sicuti neque Bohemi vulgo, accusativum pro genitivo ponentes.

P. 182: Matth. 16, 4. znamenia, *σημεῖα* reddit, atqui znamenia gen. singul. est, neque carpendus fuit Griesbachius; utique pro Griesbachio lect. var. ipse ego collegi et Alterianas examinavi, ne alii eum sequerentur, qui haec dijudicare non possunt.

Mox Matth. 17, 9. iterum *vidienia* exposuit *ὁράματα* in plur, atqui gen. singularis est; non legit igitur Slavus aliter, quam graecus textus receptus.

Ibid. Matth. 13, 30: rasti kupno, *συναυξάνεσθαι ἅμα*; certe Slavus *ἅμα* non legit, sed *σύν* graecum per kupno expressit; non potuit enim vertere ѕrasti, nam hoc significat concrescere, sed debuit exprimere *σύν* per simul, una, invicem, h. e. kupno.

P. 184: Marc. 1, 16. brata *toho* Simona; *ἀδελφὸν τοῦ Σίμωνος*. — Hier wäre nun der griech. Artikel *τοῦ* durch d. slaw. Pron. toho übersetzt. Pessime. Nunquam enim articulus graecus per t҇ (toy) reddi solet. Immo hoc loco, uti jam notavi apud Griesbachium, Slavus legit *αὐτοῦ τοῦ* sicut Marci 6, 22. *αὐτῆς τῆς* reddit per pronomen demonstrat. *toja*, ita et hic. Ad finem, quod addit, ex epist. ad Gal. 2, 2. (p. 186 et iterum p. 196) po *ді tich* lietiech, exponendo *tych* per *τῶν*, male lectum fuit; nam *tych* illud post *ді* terminatio numeri est, po četyry deſatych, sicut nos scribimus 1us, 2dus. Hinc jam metuo, ne etiam грⷣ Matth. 14, 13 in utroque cod. male legerit Alterus grada, ubi grad, gen. plur. *τῶν πόλεων*, legendum fuit. Utroque enim modo грⷣ legi potest,

grada et grad. Sed loco cit. *grad* legi debuit, ob graecum *τῶν πόλεων*. Iterum male h. l. reprehendit Griesbachium. Nisi ego pro Griesb. lectiones Alterianas examinassem, licuit enim, cum etiam slavica verba apposuerit, centeni jam errores repetiti fuissent, retractandi, uti ipse Alterus fecit, sed multa silentio praeteriit.

P. 189 et 193: Luc. 12, 5. d-br. *ὕλην* exposuit Alterius. Male utique, nam debr, diversum omnino a dubrava, non sylvam, sed *vallem* denotat. Vide Luc. 3, 5. Vitiosum lexicon trilingue, quo uti non debuisses, cum Alexievii lexicon ecclesiasticum longe melius sit, Mosquense auctore Theod. Polyc. etiam te in errorem induxit not. 50. p. 136. Et mirum, etiam alibi ex eo vitia excitasti, uti sljuz pro sljaz, tma p. 377, quem errorem tamen ipse tu p. 380 loco ex Apocal. citato cap. 9, 16 refutas. Addam Matth. 18, 24. Est haec vox proprie tataricae originis vocantque hordam 10,000 hominum *tuman*.

P. 240 asserit Alterus, Mosquensem editionem presse sequi romanam *τῶν ό* editionem. Contrarium non solum evicit Bergerus, quamvis hic non nisi de Ostrog. et Mosquensi non correcta loqui potuerit, sed ipse Alterus adductis lect. var. a pag. 26—76, ubi advertere potuisset Mosquensem correctam (qualis est an. 1751, 1757, 1759 etc.) sequi Alexandrinum codicem seu Grabii editionem, sed hac de re vel ex ipsa praefatione ed. 1757 edoceri poteris. In aliis posterioribus edd. solet haec praefatio, in qua de emendationibus agitur, omitti. Et haec causa fuit, quod pro te maluerim emere istam.

Quod p. 270 notat in codd. slav. neglectum fuisse slavonismum, qui in boh. libris servatus sit, plane non intelligo: nam post *tri* genitivus poni non solet nec debet. Et si Bohemi dicerent: dwacet a *tři*, non deberet necessario sequi genitivus. Bene enim dicitur: dwacet (tiſýc) a tři tiſýce. Cum autem Bohemi dicant třimezcýtma vel třiadwacet, utique tiſýcůw ponendum fuit. E polon. biblicis cit. l. (tysięcy) plane contrarium demonstrat, — non ergo servavit Polonus slavonismum et tamen Alterus dicit: Mit Beibehaltung des Slavonismus. Quam inutiles et miserae sint ejusmodi notationes, tu ipse jam judica.

P. 98. Bohemos: et uno calice, 1 Cor. 10, 17. habere e graeco codice, plane ridiculum est, cum plures sint latini codd. et commentatores, qui h. l.: *et uno calice* — legunt. Utinam de editis Ungarum, de manuscriptis d. Böhm. Magazin consuluisset, sed Alterus omnino vel ignorat vel non curat, quid alii sentiant aut scribant.

P. 175. ubi izbiwsja olim exposuit: interfecit, notando h. l. omitti *πάντας*, cum izbi wsja recte dividendo sit *ἀνεῖλε πάντας* — pergit recitare versum hunc e Žerotiniano codice et Lupaciano, Melantrichiana editione, addens: die Strakische Bibel und das N. T. des Lup. nähert sich der slav. Kirchenübersetzung und dem griechischen Texte — (qua in re, non video, cum legant: kterež biechu, qui erant conformiter Vulg. non slavo aut graeco); die Melantrichische Uebers. — macht die Quelle, nemlich die lat. Vulgata, unverkennbar. Quid sibi velit, vix assequor. Melantrichus e glossa: ſlužebníky addidit; et pro kragina posuit *končina*, in finibus ejus. Atqui kragina a prjedjel aeque remotum est, uti končina, -- quamvis končina secundum lat. *finis* for-

matum sit, uti 600 alia non solum in ed., sed manuscriptis antiquissimis, ita ut a primis jam conversionis temporibus Bohemi occidentalem versionem et ecclesiam secuti sint; ut adeo non solum ratione linguae, sed etiam ratione ritus et ceremoniarum in orientales et occidentales dividendi sint — hocque constans discrimen semper obversari debeat oculis eorum, qui de cultura dialectorum slavicarum disserere volunt. Quis primus končina pro kragina h. l. et alibi posuerit, facile ostendi posset, si res tanti momenti esset. Olim Bohemi pro *regione* ponebant wlaſt, pro finibus kraginy, postea obsoletae jam voci wlaſt substituerunt kragina et pro finibus alia voce opus habebant. Sed non insistamus ejusmodi assertis, quae non nisi minus eruditos in errorem inducere possunt. Miror ego Alteri diligentiam — sed, ut verum fatear, *judicio* minus valet.

Schleussen quid sint slavice, non novi. Habemus quidem *ſtawidla*, sed ad alium usum, Schützen, Schutzbret. Poloni voce śluza germ orig. utuntur, additur in lexico zastawa. Sed zastawa genericum est. Práh limen est, quocumque loco positum sit, sive sit naturale sive artificiale.

Cl. Engel in der *Staatskunde* und Geschichte von Dalmatien, Kroatien und Slawonien, Halle, 1798. 4. p. 455. haec de sagenis et conduris habet: 80 Sagenen, d. h. lange Schiffe und Galeeren pr. 40 Mann, und 100 Conduren, d. h. Gondeln oder Böte pr. 20 und 10 Mann; ergo condura Constant. Porphyr. est gondola Italorum; cf. p. 375 Introduct. tuae.

Addam et hoc ad p. 46 Introd. tuae: In primo Missali anni 1479 (Plsnae) impresso *vere* legitur in prosa de S. Procopio: no*vis* doc*tus* lite*ris*, ut adeo de vera lectione manuscripti mei, quod nuper citavi, dubitare non audeas. Quid alii editores procuderint, non curo.

Plura jam non habeo, quae tibi placitura essent. Fave mihi et me amare perge. Opto tibi vires et aetatem, ut absolvere possis opus, in quo desudas. Vale quam optime. Saluta iterum eos, qui nobis bona precati sunt. Vale.

CXLIX.

1798 — 28. prosince. Durich děkuje opět za pozvání, podává zprávu o svých pracích a o plaveckém názvosloví a děkuje za díl rozprav král. české Společnosti nauk a mimo jiné zakončuje zprávou o svém spise.

Turnovii, 28. Decemb. 1798.

Jos. Dobrowsky suo Fort. Durich s. p. d.

Recte speras, restituta valetudine me jam in opere coepto progredi posse: nam ideo ad literas, quas 25. Nov. dedisti, pro iterum mihi oblata slavonica hospitalitate gratias habere per epistolam distuli, quia lucubrationibus meis revidendis et emendandis intentus fui, ut has die 15. Decembris Viennam expedirem in MS^{to} navicularia m vel potius argumentum cap. V. ferme absolvente. Tuis auxiliis, ut lecturus es, maxime usus sum et feliciter tuas opiniones et animadversiones confirmare potui; praesertim de plť plti, et de koryto Aquensis nostri, quod etiam usu nostrae civitatis adhucdum vigente confirmo: nam illa ex Aquensi data 20. Apr. epist., quam ego saepius laudatam

naviculariam appello, maxime mihi placuit observatio ad voc. *linter* — *koryto* NB. *Si haec fuit prima navicularum forma, derivem* a *kora* etc. Profecto, licet tantum Germanorum in tua observatione memineris, tamen ad voc. *cor-tex* animum slavonicum advertisse non dubitaverim, praesertim collata hac voce in Thes. l. lat. Gesner., quae apud nos omnino simplicius continetur in *kora*, quam ullibi apud Latinos, nisi observetur *cor-tex*. Nostri cives ex adjacente colle meridionali parte urbi vicino aquae ductu deductos optimos latices, et in *lintre* collectos, qui adhucdum appellatur *koryto*, licet linter formam amiserit, sed me puero adhuc exstabat, ut saepius vidi, hoc modo appellarunt, et nescio, quid indecori haec appellatio mihi sonabat ut illud de aqualiculo Tertulliani contra Psychicos: *Deus tibi venter est et aqualiculus altare*; — sed tua ex Aquensi observatio sustulit opinionem indecori cognita primaria significatione *τοῦ koryto*. Slavon. vocem in instrum. pl. **плотами**, fortassis antiquitus pltami II. Chron. II, 16. *ratibus* ad tuum propositum tamen semel inveni in edit. 3. Mosq. An nostrum vocabulum in Isera, na Gizeře: *Worhon*, aliis Wodhon, vel Odhon (ratis oblonga, duobus lignis inferne rudibus, superne dolatis compacta, situ diagonali alveo Gizerae imposita, non solum ab ulteriori natatione partes lignorum prohibens, verum etiam ex civitate ad insulam transeuntibus commoda), cum ad nos veneris, tibi placebit, nescio.

Si hoc anno feliciter ac ex voto tuo ratem ad finium tuorum portum impulisti, repete navigationem eadem felicitate. Dum hodie a nostro d. decano a prandio discederem domum dicens, me ad te scripturum, volebat ille, ut et suo nomine tibi salutem plurimam dicerem et felix novi anni auspicium.

Patrem Xaverium interpellavi, ut interim tomum mihi ab incl. Societate dono datum non compactum servet, donec causa aequalis compacturae exemplar mittere valeam. Tu interim meo nomine velis meam gratitudinem testari.

Nescio, an juxta promissionem typi Budenses ex die 2 Novembris occupentur nec ne; ego, quantum possum, MS[tum] promoveo. Non mireris in meis conatibus literariis esse quaedam, quae ipse ego emendata vellem et a te vel maxime: quid enim magis desiderem, quam ab amico emendari!

Vale et me consueto affectu etiam futuro anno amare perge. Proxime pro quibusdam notitiis te interpellabo, hodie nivium copia in itinere ad collem vicinum Hrussticze fatigatur, non valeo plura scribere.

CL.

Durich děkuje Dobrovskému za dar 50 zl., který byl obdržel.

Fortunatus dilectissimo suo amico atque fideli Josepho Dobrowsky s. p. d.

Nudius tertius P. Xaverius mittendo mihi pensionem meam adjunxit nomine tuo schedam bancalem 50 fl. singulare signum tuae in me adjuvando et miserendo maximae curae ac promtitudinis. Non sum in statu pro hac vice significatu exprimere hoc munere in angustiis sublevatum et erectum ab amico cor meum; quia etiam hodie gratias ago me in eadem causa levan-

tem et consolantem amicum meum Hollaubkensem. Magis oportuno tempore gratias uberiores referam et consignata opera per aurigam, qui merces d. mercatrici Weitice Praga Turnovium devehere solet, ad P. Xaverium proxime promovere satagam.

Vale, et amicissimum Pelzelium impense saluta, qui fortassis meam adversam sortem satis mirabitur; sic fit non audienti Aristophanem melius consulentem.

CLI.

1799 — 3. března. Dobrovský odpovídá Durichovi, podává výklad některých slov uvedených v listu ze dne 28. prosince 1798, zmiňuje se o staroslovanském překladě starého zákona a zakončuje výkladem slova *pirog*.

Pragae, 3. Martii 1799.

Fort. D. suo s. pl. Jos. D.

Noli mirari nihil te responsi accepisse tanto temporis spatio. Eram enim occupatus nimium. Et quamvis, quae mitto, jam inchoata fuerint Olomucii, tamen novam postulabant diligentiam, ut tibi aliqua ratione satisfacerem p. 176 scribenti: »donec simile arcanum formarum accipiant Slavi, quali Joh. Simonis formas nominum hebraicorum illustravit«. Et quamvis recentiores philologi non adeo magnifice sentiant de *Simonis* opere, nec ego eum praecipue imitari potuerim, magis enim ductu Adelungii ob l. germ. cum slavica affinitatem majorem formas slavicas investigavi, credo tamen me aliquid Simonis operi simile omnino praestitisse et voto tuo ac forte etiam aliorum satisfecisse. Licebit jam augere coepta et emendare.

Si qua legeris, (vellem autem legeres attentius inspersas observationes varii generis), a sententia tua deflectentia, noli mihi sentiendi libertatem vitio vertere. Eadem enim et uteris tu.

Locus e 2 Paral. 2, 16 citatus, ubi *plotami* in correctiori editione legis, sic habet in antiquiori editione Mosquensi 1. seu Ostrogiensi repetita: *poslem ti ploty*, legit itaque pro ἄξομεν αὐτὰ σχεδίαις aliud quid, aut male, uti solet, interpretatus est. Versio enim hujus libri ut et aliorum V. Test. recens est, h. e. ad finem sec. XV. facta ab homine Polono, qui etiam latinam calluit, hinc tot in hoc libro interpolationes e lat. Vulgata, de quibus alio loco plura dicam. *Plot*, masc. gen. est polonicum *plet*, russ. *plot*. Nostrum et Slovacorum *plt* est gen. fem., inde germ. suum *Plette*, quam Boh. prám vocant. Vides me non adeo magnam auctoritatem slavicis bibliis tribuere, cur enim istud, praecipue in iis libris, quos constat antiquitus nondum extitisse conversos. Dalemili, Pulkavae etc. auctoritas potior est. Germ. Fluth, Flotte eodem redeunt. Cum kora recte comparasti cortex latinum; vellem tamen etiam cum koryto, graec. κορμός, caudex, truncus, stipes, comparares. Ligna truncata seu rami excavati, quos suspendere solent in arboribus eo fine, ut aves nidos in iis ponant, Moravis *korcy* dicuntur; eodem redeunt *korec*, pol. *korczak*, vas ligneum, Mulde, et alia. De odhon, quae notaveras, non habeo aliud, quod addam, quam obstacula quaedam lignea Vltavae imposita vocari náhon, a

fine sic dicta, aby vodu naháněli, ut expeditior sit navigatio. aucto aquarum impetu, quia per náhon prohibetur fluxus versus ripas.

Tibi et decano vestro plurimum reverendo gratias habeo pro votis, quibus affectum erga me vestrum testati estis. Eadem jam reddidi vobis ex animo, licet scripto id praestare non tam neglexerim, quam omiserim.

Vale quam optime mihique favere perge.

Prag. 1488. cit. loc.: přyplawime ge *na lodiech* po moři — applicabimus ea *ratibus*. Mirum! Sed antiqui interpretes usi sunt vocabulis vulgo (civitatum) cognitis. Addam hoc loco observationem meam in ea, quae de *pirogis* pag. 364, quos ipse gustavi in Russia, commentatus es. Certe Slavi Carpatici, uti et Poloni (pirog, pirožek) immo Lithuani Pyragas (in nominativo), quod exponitur ein Pyrag, Strützel, Weissbrot, a Russis hoc genus placentarum acceperint, Russniaci enim inter Slovacos colonias habent. Nec credo antiquis Slavis cognitum fuisse cibum, utpote lautiorem. Commode occurrit graecum πυραμοῦς (scilicet ἄρτος) a πυρός, triticum, deductum, cujus significatum e lexicis cognitum habere potes; ergo a Graecis *pirog* suum accepere Russi, levi mutatione e πυραμοῦς detortum aut immediate a *pir*, convivium, quod a πυρός est, deductum. *Peruchjaz* dalmaticum, uti jam alias, si bene memini, monueram, male huc traductum est, cum lentiginem (pjega) significet. Fortasse *pogacja*, placentae genus, quod et Walachi in Moravia norunt, scribere voluisti. *Kolač* russicus aliam figuram habet, quam nostri (O), rotundae nimirum similae pertusae, inferne crassioris.

CLII.

1799 — 15. března. Durich děkuje za zprávy posledního listu, přeje zdaru pracím Dobrovského, připomíná některé zvláštnosti mluvnické a pravopisné a žádá za jich objasnění.

Turnovii, 15. Martii 1799.

Josepho Dobrowsky suo Fortun. Durich s. p. d.

Nudius tertius obtinui tuam epistolam cum desideratissimo, p. 176. vol. I. operis mei, arcano formarum nominum slavonicorum substantivorum et adjectivorum, in primis bohemicorum, pro quo gratissimo mihi munere tibi summas habeo gratias, donec alias quasdam, sed tuis longe impares ex animo maximas referre potuero. Ut operis coepti et inter philologicos Slavorum praecipue Bohemorum primi telam augere et perficere valeas, immo alia complura opera, quae ad ornamentum, illustrationem, decus et *incrementum linguae nostrae* desiderantur, tuo felici partu enitaris sisque omnino noster slavonicus **Ἰώсифъ, приумножéнїе, приложéнїе** — quod ad tuam diem nominis attinet, meorum ex animo prolatorum votorum est summa.

Pro brevitate, causa expediendarum epistolarum, temporis tantum duntaxat vindicare mihi potui, ut tamen observare valeas desideratissimi operis lectionem, licet tali attentione, quam lucubratio vere philosophica exigit, necdum potuerim. Tantum abest, ut tibi sentiendi libertatem vitio vertam vel possim, quando tu a mea sententia *quodam modo* deflectis, ut pag. LXI. et seq.; ut etiam gaudeam te ita comparatum, ut me tuum amicum profitearis,

dum ego aliter sentio. Quae hucusque attentius legere potui, complura jam sunt, quibus cap. VIII. adhuc augere potero, et gaudeo, quod adhuc tempore uti possim. Itaque videris § 3. meam opinionem confirmare tua sententia: Substantiva puram radicem prae se ferentia: pot, lom, sáh, pád, primitus cum substantivi, tum verbi partes gessisse, ideoque posse pro primitivis partibus censeri sicut verba. Hanc ob rem ego puto verborum radicem, quae simplex debet esse, imperativo bohemico contineri, *regulariter*, illumque modum esse antiquissimum apud nos, antiquiorem infinitivo. Reflexionem ad linguam hebr. non est necesse facere. Sed eximo mihi hunc scrupulum: an illa nostra imperativi forma: suď, swěť, čiň, unde sud (saud), swět, čin, mollem affectionem ultimarum consonantium literarum habeat ex slavonico и, imperat. analogo nostro i, in čti, et quando же imperativo suffigitur: činiž!

Quam vellem, mecum communicares, si quas observationes in philosophiam modorum et temporum verbi collectas et cum lingua literali slav. collatas atque scripturae exemplis illustratas habes!

Quid vero censes de ista recentiori parte orthographiae ratio ы post ц in nominativo plurali *τοῦ* прорóкъ apud Meletium Smotr. тíи прорóции; pro quo eadem grammatica episcop. Rymnicensis a. 1755. 8. habet прорóцы, quam orthographiae rationem videntur editores sumsisse ex editione Mosquensi 3[ia], ita enim collatione facta invenio. Quum mihi videaris habere primam Mosquensem juxta principem Ostrogensem recusam, confer, quaeso, nam ego suspicionem habeo, quod ad ц attinet laudati nominat. pluralis hanc mutationem orthographicam originem trahere ex nostris bibliis, et non recte a Russis intellecta causa, cur nos necessitate literarum alienarum ducti cogamur hunc nominativum pluralem scribere prorocy, non vero proroci, defectu proprii characteris *τοῦ* ц, quod attinet ad nostram literarum potestatem suscepta semel orthographia definitam, quae ratio certe defectum ostendit et difficultatem conatus slavica literis latinis sine offendiculo scribendi.

Gratias tibi habeo pro notitiis mecum communicatis, praesertim pro illa lectione edit. Mosq. primae ad confirmandum nostrum vocabulum plť, *ploty*; item de *odhon*, atque de *pirogis*, tum de *kolač* russico.

Quaeso, an de formis nominum bohemicorum scripsisti causa novae ac emendatae editionis lexici bohemici, et quando illud Rosae sit proditurum vel in quem modum?

Noster d. decanus te humanissime salutat et gratias agit pro sui memoria teque optime valere jubet. Vale et tuo sinu Fortunatum fove! Plura proxime, quum nunc ab intensiori labore respirare possis.*)

---

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Durichova, nyní většinou odříznuta.

CLIII.

1799 — 15. dubna. Dobrovský vyhovuje přáním Durichovým, podává zprávu o svých pracích, připojuje některé výklady grammatické s doklady, zmiňuje se o rozdílu užívání цы a щи v starosl. památkách; podává výklad některých slov a zakončuje mimo jiné pozváním Duricha do Prahy.

Pragae, 15. Aprilis 1799.

Fortunato Durichio suo Jos. Dob. s. p.

Vota tua utpote sincera gratissimo suscepi animo vellemque reddere duplum votorum tuorum.

De formis nominum scripsi causa novae ed. lex. boh., sed plurima jam confecta erant Olomucii, dum grammaticae boh. amplioris capita jam multa elaborassem. Adversariis meis usus est Pelzelius. De verbo jam collegi quaedam, sed nondum in ordinem redegi. Tui causa assumsi nuper opus iterum, sed non potui absolvere. Curo tamen saltim plagulam unam imprimi, quo schemata conjugat. duarum, I[mae] in u (i, gi), II. in ám (ím) exhibeo cum primitivis plerisque variisque verborum formis, cum videam nihil fere hac in re satis accurate praestitum, quamquam Rosae conatus non spernam. Mittam deinde plagulam hanc P. Justino aliisque grammaticis, ut saltim hac in re aliquando conveniamus nos Slavi inter nosmet ipsos. De consilio edendi lexici Rosiani tempore suo audies, quae scire cupis. Nunc solum monebo aliqua pauca.

Verborum radix imperativo apud Slavos non continetur, quia imp. jam auctus est characterica *i*, deinde consona mutabilis solet in imper. mutari, quae affectio, cum in substantivis locum non habeat, non erunt fúd, fwět, čin ab imperativo deducenda, sed a praesentis syllaba radicali, invariata, h. est, si in prima pers. mutetur consonans, poterit 2[da] pro themate accipi. Sed cum tempora antiquiora et simpliciora (modorum fere nullam rationem habeo, uti ex tabulis conjugat videbis) exstent, ab iis certe substantiva et adject. derivari debent, — ubi a verbis (uti fere semper fit) ortum habent. Sic *lom*, pád, fáh, simplicius contineri observo in praeterito transgressivi, quod certe primum erat praeteritum absolutum, facto deinde praeterito composito e sup. (partic. neutro) et auxiliari, mansit prius in transgressivo. — Est igitur lom, a lomiti, fáh a fáhnu, pád a padnu (slav. padu sine n) praeteritum transgressivi, apud Boh. quidem lom*iw*, quia non dicimus lomu. Sed nunc Slavica in genere considero. Sic poklon se Joh. 8, 6 et v. 7. sklon se (a kloňu), boh. klon*iw* a kloním. — Psalm. 101, v. 11: woznes nizwergl mã jesi. — Psalm. eod. v. 16: ty woskrs̃ uщedriši sióna. Quae Latinus per elevans allisisti me, tu exurgens misereberis, non potuit accurate exprimere, prius enim elevat, deinde allidit -- prius *exurgit*, deinde miserebitur, quae nos cum Graeco rectius exprimimus per praet. transgressivi, ubi tamen velim observes praeteritum non poni propter praeteritum sequens, — nam Dalemilus dicit: honě w lefe, oko ztratil, h. e. eodem tempore — eben da er jagte. — Si dixisset honiw — post venationem oculum amisisset rex. Ergo praet. transgress. est praet. primum et praet. compos. e sup. et auxiliari gfem est praet.

secundum, habita temporis ratione. Sic *rek*, šed, proster, oblek, izwed, wzdwig, prinik. obraщ(se) antiquiora sunt praeterita (meo judicio), quae deinde conjuncta cum aliis praeteritis transgressivum modum denotare coepere, quam řekl gest etc., immo antiquiora quam praet. simplex reče, ide, obleče, izwede etc., quia haec aucta sunt, quibus apud nos adhuc utitur Dalemilus aliique, hoc tamen discrimine, quod apud nos cum praesenti (vel futuro) confundantur, cum characteristicum *t* praesentis amiserimus; ſnide ex. gr. est decessit et decedet, slav. snide praet., snidet fut., quamvis et in slav. sint quaedam praet. et futura confusa: ut dast, snjest etc.

In verbis puris res est clarissima, esse tempus praeteritum simplex (non auctum) radicem reliquorum temporum; nam by, ſta, zabi, pobi, pogie, obgie apud Dalemilum obvia, syllabam radicalem purissimam continent, quae in aliis temporibus varie augetur, in fut. ope *du* (pro nu) hinc budu, in infin. ope ti: býti, ſtáti, producta vocali penultima, in praesenti ope gi (ju): bi-gu, aut mu: gmu, a gieti (slav. jati) etc. etc.

Igitur et apud Slavos, uti Hebraeos, radix pura praeteriti simplici sive indicativi sive transgressivi modi continetur. Imperativus autem praesenti semper respondens non est praesenti antiquior apud nos. Si dicas idi, jam supponis verbum idu ope du formatum ab i-ti, quod omnino in praeterito simplici et aliis temporibus d servat, sed rejecto l supini ſſe pro ge, hinc ſſi-nu nostrum. gmi est a gmu, gmu est formatum ope mu (pro nu) a *gie* praet. simplici — inde gieti (gati), inde et gal. Sic de aliis ratiocinari licebit. Verba pura omnino distinguenda sunt a reliquis, hinc variae species et formae verborum, de quibus attigi pauca in tabulis conjugationum. Si expectare potes, mittam eas, quam primum paratae fuerint, ne opus sit repetere jam scripta.

Natura ipsa exigit, ut in omni lingua praet. sit prius alio tempore. Nam facto motu, mutatione aliqua afficimur, hanc sensationem dum exprimere volumus, causam seu mutationem factam indicamus. Futurum ipso praesenti antiquius est aut ab eo non distinctum. Serius tandem ea distinguere opus fuit, hinc verba apud nos praesentia et simul futura.

Optativi (seu subjunctivi) praesenti nos caremus: řekni mu, aby tam ſſel, ut eat, (slav. da idet, quod omnino praes. indic. est); wſm, že ſtůně, ergo et nos praesenti indic. utimur pro Latinorum conjunctivo. Haec satis nota sunt. Hoc mirum Slavos, in bibliis slavonicis saltem, non distinguere imperf. optativi a plusquamperf. Joh. 8, 56: awraam, otec wass, rad by byl, da by widiel deň moi — quod apud nos sententiam exprimit: gauderet, ut videret diem meum, pro *gavisus fuisset*.

Joh. 11, 21: gĩ, aщe by ʒdie byl, neby brat moi umrl. (MS. 4.)
v. 32: aщe by byl zdie, neby umrl moi brat, quod si Bohemus explicet, sententia habebit sensum: si esses hic, non moreretur frater meus.

Prag. 1488 saltem in 2do membro plusquamperf. expressit v. 21: Pane, by byl zde, bratr moy nebylby vmrzel et v. 32: Pane, by ty byl zde, bratr muoy bylby nevmrzel. Sed nec Blahoslaw primum membrum aliter reddidit,

v. 21: kdyby ty byl, v. 32: by ty byl zde. — Et tamen jam Dalemilus plusquamperfectum distinxit ab imperfecto:

C. 10. in fine: A by tu byl bljž les nebyl, plusquamperf.
y geden by byl z mužow ſmrti nezbyl, plusquamperf.
C. 5. Byſſte byli teprw ot Libuſſe wyſſli, plusquamperf.
abych byl mohl tuto vlehl wzorati, plusquamp.
wiec by bylo nelze oráči chleba kupowati: imperf.
C. 59. bychť byl málo přehowěl, plusquamperf.
wiece bych lepſſjch lidj gměl, (haberem).

Ergo nos Latinos seu potius Germanos imitati haec tempora distinguere didicimus, licet discrimen hoc non semper ab omnibus observatum fuerit, ex. gr. in bibliis Pragens. 1488. Psalm. 54, 13: Neb by muoy nepřietel zlorzecžil mi, ſneſlť bych owſſem; pro by byl — et bych byl — licet sensus non exigat plusquamperfectum, tamen latinum exprimere volens interpres negligere eum non debuisset. Psalm. 50, 18 melius: neb by byl chtěl, bylť bych oběť dal. — Slav.: jako aщe by woschotiel (jesi) žertwy, dal bych ubo. Ubi notandum *jesi* ad distinguendam 2^{dam} pers. a Russis serius additum, uti Joh. 11, v. 21, 32 — post by. Non enim Slavi, uti nec Bohemi, 2^{dam} pers. optativi ope jesy (boh. *s*) determinare solebant, cujus rei exempla in bibliis bohem. plurima adhuc exstant. Sed in hoc nunc certe non peccamus, quod 2^{dae} pers. bys tribuamus et 3^{tiae} by; etiamsi pers. 2da (ty) aut exprimatur aut facile intelligi possit.

Marc. 14, 21: dobré by bylo gemu, aby ſe byl nenarodil člowěk ten, ita Blahoslaw et Pragens. 1488, sed haec *by* pro *aby*. Nos certe, si plusquamperf. exacte exprimere vellemus, diceremus: dobré by bylo gemu bylo vel bylo by dobré bylo gemu. — Sed Slavus nec in altero membro plusquamperf. exprimere potuit: dobreje by bylo jemu, aщe neby rodil se čl͡k t". (ex MS. 4. seu b. Dobneri, quod nunc est bibliothecae publicae).

Quod de affectione imp. ſuď, čiň, ſwěť etc. mones, utrum ortum habeat ex *i* eliso apud nos, utique recte sentis. Nam et alibi, ubi nos Slavi consonam in fine jotamus, i olim adesse debuit. Russorum mať ex mati, nostrum choť ex choti — et omnia feminina in *i* olim, uti apud Indos, terminata fuisse non dubito; immo et masculina affecta, uti ogň (boh. oheň), nam ogň in lingua Indorum sacra (Sanskrdam) est *aghni*. Adde slav. jesť, suť, quae olim jesti, suti dicta sint oportet, cum Graeci adhuc scribant *ἔστι*, et *εἰσί* (pro *εἴσυσι*). Confer, quae de *i* femin. brevi in formis nominum monui. Et quoad imperat. ea, quae Pelzelius de imper. formatione ad mentem meam exposuit. Addo in wary servari *i* et in bopomozy, atque alibi, ubi consonarum durior coitus elisionem *τοῦ i* non patitur: modli pro modl antiquo, blázni — treſcy, etc. etc.

Si p. 272 op. tui *dolbna* russ. accepisses pro Schlägel, Holzschlägel (palice boh.), quem significatum vere habet, melius Dalemili sententiam explicasses. Boh. *dlubně* per tigillum explicatur in vocab. antiquo manuscripto, quod casu inspexi. Pro dlubni klidí legere alios cod. drzkolmu činí Gessinius monuit: est autem dřkolma, germ. Kolbe, fustis — ex koli, findo, et *dř* pro drw (dřew) formatum et compositum.

Mosquensis editio prima щы in plur. masc. habet non щи, quod quidem in Vilnensi an. 1575 reperio, saepius tamen (et fere semper) щы, — in manuscriptis autem sec. XV et initio XVI scriptis щи. Ostrogiensis vix a Viln. aut Mosq. prima differt. Nec credo a Russis nostra biblia bohem. inspecta fuisse, sed ut sic scriberent, eos inductos fuisse, quod fem. in щѧ illi declinent more suo щы (quod omnino slavicum non est), non solliciti de discrimine inter masc. et fem. *i* plur. faciendo, cum pronunciatio scribentem щы aut щи non redarguat, sed sola etymologiae ratio. In manuscripto b. Dobneri (apud Griesbachium in prolog. N. Test. 4.) pro ы saepe scribitur и post tales consonas, uti b, post quas et nos Bohemi facile erramus, cum pronunciatione nostra bi et by uti nunc apud Illyrici incolas, non tam clare distinguamus uti Poloni et Russi. Quanta signorum ъ et ь confusio in manuscriptis servicis! Haec nimirum a scribae mala pronunciatione pendent. Glagolitici alphabeti auctor Dalmata ъ et ь plane ex alphab. sustulit, unico signo (ı) contentus, cujus usus fere nullus est alius, quam quod vocabuli finem indicet. Pronunciationem certe non afficit.

Addam ad superius dicta, Slavorum praeterita activa (in verbis puris praecipue) in *t* finita, esse nobis prorsus ignota, cum apud nos *t* passivi nota sit: umrjet, obiat, obwit, načat — cum germanico *supino* comparo, begriffen, umgewunden, angefangen, quod pro ratione auxiliaris et active et passive accipitur. Apud Slavos active accipiuntur (sine auxil. geſt), apud nos non nisi passive, cum pro activis supino in l utamur. Carere nos part. pass. praesenti satis notum est, quamvis znám, widomý inde orta sint; miror Bohemos neglexisse hoc tempus. — Hoc tamen fere intolerabile, quod grammatici tempus praesens dixerint illud, quod e partic. pass. praeterito et gſem: včiněn gſem, cum in bibliis nostris Latinorum factus sum etc. sic exponi soleant. Chleb ſe peče, et chleb ge pečen nonne temporis ratione differunt?

Quod Slavi auxiliari *uno* tantam utantur, cum Galli, Itali, Germani duo habeant, haben et ſein, hujus ratio est, quia speciale habent supinum pro passivo. Er hat geschrieben, pſal ‚geſt; es ist geschrieben, psano gest etc. etc.

Diligentissimus Alterus duo opuscula Pragam miserat, Tibi per me tradenda. Haec ego P. Francisco proxime dabo. Doleo et nunc Alterum necdum in Slavicis satis instructum, licet habeat multa alia, diligentiae suae specimina praeclara. Lunam slav. appellari mjesaç nescio unde hauserit, cum in bibliis constanter *luna* dicatur et a *mensis* nomine omino rectius distinguatur, quam in dialectis vulgaribus.

Vix absoluta dissert. jam retractare cogor, quod lubens facio, ea, quae de origine vocis *ſklo* scripsi. Scio te et forte alios derivare a ſteku, quasi ſteklo, (ol. ſtklo), sed non placuit haec derivatio ea de causa, quod sciam post *ſ* Bohemos frequenter inserere *t* ad facilitandam pronunciationem, ut in ſtraka, ſtředa pro sraka, sreda. Estque *ſklo* verum et genuinum vocabulum bohemicum seu slavicum, derivatum a verbo *ſklnu*, micare, quod e Reschelio pridem adnotavi, sed scribenti tum non occurrit. Germani eodem modo Glas a gleisten, glitzen, glänzen deducunt. Nec miraberis, me a Germ. plura fortasse, quam velint alii, deducere bohemica vocabula, cum scias, quae Slavorum cum Germanis a Gothorum inde imperio ad Pontum fuerit

connexio. Certe et *mzda* habent Slavi immediate a Gothis, hi vero a graeco *μισθός* — cum quo et *mſta* satis congruit. Quid tu ad opinionem meam, Slavorum sacra ethnicorum ab Indis repetenda. Utique noveris *mařenam* (ſmrt), atqui lingua sacra Indorum ſmrt est *marana*. Indorum *trimurthi* (tres personae aut corpora) est Slavorum *triglaw* etc. etc. Etiam Graecorum et Latinorum mythologiam maxima ex parte repetunt scriptores quidam recentiores ab Indorum sacris. Morem mulierum rogum maritorum insilientium nosti ex Ditmaro et dissert. mea. Singulari forsan dissertatione hac de re agam, quando licuerit collectanea lustrare et redigere. Deorum nomina quaedam plane congruunt.

Vellem, ut aliquando tibi proponeres, amicos Pragenses invisere. Facile tibi parabo cubiculum aut cedam proprium, cum viso te me alio tandem conferre cogitem.

Vale, quam optime. Salutat te Pelzelius, qui claudenti mihi epistolam assidet.

CLIV.

1799 — 26. dubna. Durich odpovídá k něktерým výkladům grammatickým Dobrovského, přidávaje své mínění z toho odboru a zakončuje zprávami o Bělikovi (J. Križaniči).

Turnowii, die 26. April. 1799.

Josepho Dobrowsky suo Fortun. Durich s. p. d.

Gratissimam omnino rem mihi fecisti, mei causa assumendo iterum pertractandam rem illam Olomucii inceptam de verbo, quam in ordinem redigis et curas, ut in ordinem redactae partis saltim una plagula imprimatur. Puto me ante mensis futuri exitum illam a te fortassis obtenturum, ita ut ultimum cap. seu VIII p. II^ae^ describendo adhuc exspectare non nihil liceat: nollem enim sine thematis seu radicis slavonicae indicio certiori, praesertim te assertore atque illius egregio vindice, prodire in publicum; possemque plagulae unius recusione tanto citius ad notitiam plurium Slavorum promovere illud, quod tu ipse vides inter desiderata hucusque haberi, quum hac in re nihil satis recte et accurate praestitum sit, ut saltim in ista instituti particula conveniamus. Quid heic Rosa suo conatu praestiterit, spero futurum, ut ex te discam; dum jam propemodum tuam opinionem antiquioribus linguis analogam tantisper assequor magisque causa veritatis in medium producendae gaudeo, si demonstraturi sumus radicem Hebraeorum, Arabum cet. more 3^tia^ praet. contineri, quam si mea opinione apud Slavos 2da imper. contineretur: hac enim ratione profecto antiquitatis pondus nostrae linguae accederet possemusque tantisper ad illam cl. Bernardi Angli opinionem eluctari, cui quidpiam antiquioris rei observatum est in lingua slavonica, quam in germanica. Causa mihi videtur omnino philosophica et sufficiens, cur 3^ia^ praeter. radix contineri asseratur; sed quidquid sentiendum sit de slavonica radice, nihilominus, sive radicalium ultima antiquissimis temporibus Slavorum in fine *affectionem* τοῦ jota habuerit, ut nunc afficitur: suď, swěť, čiň, sive masculini nominis enunciabatur sono: sud, swět, čin, de sola tantum

affectione consonantis, non vero de ejus natura radicali difficultas erit, ita, ut slavinitatis character in solam devolvatur *affectionem* consonantis literae, cum primis tunc, quando affectio notabilius sentitur, ut in laudato casu sive quando consonantes soni maturioris causa in alias mutantur, ut in verbis брегꙋ et текꙋ animadvertitur. Semper mihi quaestio occurrit: cur Russi in narrat. scribant о рукѣ, contra vero Slavi ѡ҆ рꙋцѣ, cur Slavi є́сть, Bohemi gest; illi a чтꙋ, чте́тъ, isti a čtu, čte; et tu omnino recte animadvertis: Slavorum praeterita activa (in verbis puris praecipue) in *t* finita esse nobis prorsus ignota, cum apud nos *t* passivi nota sit.

Si majores nostri ex partibus orientis illam literarum *affectionem* slavonicam in Europam intulerunt varietate tanta, quantam passim observatione nostrarum dialectorum slavicae literalis et bohemicae antiquioris animadvertimus, necesse est, multum temporis intercesserit inter antiquitatem temporis slavonicam, ex quo hi imperativum *affectione* singulari notare inceperunt, quin tamen vestigium praeteriti velut radicis disparuerit. Nescio, utrum tibi satis clare aut satis etiam vere opinionem meam proponam, ceteroquin ita ex animo paratus meliorem tuam sententiam amplecti aut meam emendare; prout tu melius observasti aut in speciminibus conjug. demonstraturus es, tantum verius et aptius erudiar. Quum ex Indorum dialecti sacrae (Sanskrdam) observationibus quasdam res nostrae linguae analogas adnotes, spero futurum, ut propius ad nostras origines characteristicas majorum deducaris, quamquam istae multum varietatis longaevis peregrinationibus contraxerint; mihi tamen hoc subolet: Bohemos et Russos inter Slavos omnes antiquissimos esse suae originis populos. Si tamen habes in hanc rem quasdam animadversiones magis idoneas, fac tua doctrina proficiam.

Inter tua MS[ta], quae mihi concessisti in usum, est dimidia philyra in tribus paginis, non integre perscriptis, ubi prope finem tua manu post varias notationes ad slavonicas dialectos pertinentes scriptum est: Pisano w Sibiri:

lita зрод oktobrá w z̄ děn (4 dobro)
7174
kasalo 5508
1666

[Rozdilow 15] 419 foll. gramm. sine praefat. et indice; a tergo: *Grammatica* serbina *Jurã Bělika.**) Pagina prima scripsisti: Communi lingua se velle scribere ait in monito praevio — slowinskym jazykom — excusat se, quod lingua ejus cum russica non conveniat — exemplum sumit a dialectis graecis attica, dorica etc. Grammatičnomu izkazãnju, o ruskom jeziku Predgovorie.

Erroneam esse appellationem ejus sermonis, quo libri conscribuntur et officia divina peraguntur, dum is slovinsky audit — cum is verius russicus dici debeat.

Sex olim fuisse regna — sex populos, sex — dialectus varias: Rusjani, Lechi, Čechi, Bolgari, Serbljãni i Cherwãti, et tres poster. — horum vetustissimum et nomen communi vocabulo Slovinci et populum esse russicum Zadunaici appellantur.

---

*) t. j. Križaniče.

Slavos primum sub Mauritio transiisse Danubium, e quibus tria postea regna et nomina Bulg., Serb., Croatos – alios e Russia ad occidentem progressos – fundasse Lechiam lemsko, murawsko seu vemsko (NB.) — regna. — Russ. itaque sermonem non esse dialectum slavonicae, sed alias omnes dialectos esse propagines l. russicae. — Magis convenire vulg. russ. cum lingua literali, quam seruicam aut croaticam? —

Pag. 2. Apud Bulgaros periisse fere l. sl., apud Polonos mediam partem esse peregrinam. In boh. libris purior lingua, quam ap. Polonos, nihilominus i on nemalo zakalčn. Apud Servos et Croat. corrupisse linguam, ita ut nullam de re aliqua narrationem instituere possit — omnibus enim eos linguis loqui — inter prester*mi gori* puriorem in pueritia sua fuisse l. croaticam. Běloruski magis quam charvat. et polon. esse corruptum — exempla e catechesi impressa desumit: articul, *scrupul*, *lucifer*. Ultra 20 annos se intentum, qua ratione lingua sl. emendari possit. Videns šatost in libris vertendis — huc usque in bibl. et aliis versionibus in locis quibusdam mnogo jest ričei a malo razuma.

Rogo, doce me melius de auctore et factis excerptis!

Mallem hodie quam cras mihi proponere amicos Pragenses, quorum tu primus es, invisere et apud te stationem mihi tantisper expetere, pro qua mihi a te tam gratuito delata summas interim habeo gratias; fortassis alio Pragam se conferre non cogitas, nisi forte stationem Pragensem cum alia hujus civitatis sis commutaturus. Nunc summo conatu intentus sum perficiendae parti II. capite VIII. absolvendae, ut monumenta duo Bibl. Vindob. singulari opusculo convenientius postea possint prodire. Cl. Pelzelio nostro pro mei facta memoria impense gratias ago eique ac tibi optimam interim valetudinem adprecor.

CLV.

1799 — 16. května. Dobrovský podává zprávu o svých tabulkách slovesa slovanského, zmiňuje se o stáří jazyků, o Bělikovi (Križaniči), o Justinově grammatice a o jiných grammatikářích a zakončuje grammatickou poznámkou.

Pragae 16. Maji 1799.

Fortunato D. Jos. Dobr. s. pl.

Curavi heri, ut saltem plagulam unam tibi occasione adventantium peregrinatorum mittere possem. Sed nunc P. Franciscum adiens nepotem tuum jam Praga discessisse audio. Curabis igitur, ut per nuncium aliquem tibi tempestive tradantur verbi slavonici tabulae, quas apud P. Franciscum deposui, mox additurus plura exemplaria, quam primum ea ex typographia obtinuero. Bohemorum ego praeprimis rationem habui, si tamen pro aliis Slavis accommodare velis conjugationum systema suadeo, ut pro schemate fe-gi assumas duo exempla: *pigu* et znagu, propter part. passivum *t* et *n*. In schemate C. exemplis kradu, wrhu, opus non erit, cum peku sufficiat, et reliqua in observationibus exponi possint. In II. conjugat. forma ám bohemica — deerit in slav., cum ex *agu* ortum sit nostrum ám, ita ut habita ratione

2^{dae} personae *eši, iši* non nisi duae conjugat. statuendae sint, uti apud nos, licet pluribus typis nos quidem opus habeamus. De aliis momentis conferre poterimus per literas aut, si mavis, oretenus. Ego enim mense Junio rus abiturus, tibi sed prius viso cedere cubiculum et bibliothecam possum ad longius etiam tempus.

Licet non dubitem in l. slavica antiquius quid observari posse, quam in germanica, tamen nolim asserere ulla alia l. matrice antiquiorem esse. Certe verbi formas simpliciores habemus, quam Graeci: *pigu* prius est quam πίνω, sed habent Graeci etiam tempora a πίω et πόω, unde nostrum pogjm. Sed his non licet immorari.

Quo sensu Russos et Bohemos antiquissimos suae originis populos asserere velis, non satis assequor. Nam cur Poloni et Serbi non possint esse ejusdem antiquitatis, non video. De antiquitate linguarum et populorum aliquid statuere, summae est difficultatis, quamquam eam linguam ego antiquissimam censeam, quae habeat verba pura nostris simillima; unde sequitur hebraicam minorem aetatem ferre.

De Běliko, quae notavi, ex ejus grammatica (praefatione) excerpsi, cujus aliquot plagulas descrip‘as habes. Quo fato in Sibiriam venerit, nescio, sed in Sibiria scripsit opus suum anno notato. Multum Russorum res extollit, cum l. etiam, comparatione facta cum serbica jam corrupta, credat magis accedere ad literalem, quam aliam.

Bulgaros non debuisset cum Slavis confundere, quamvis Bulgari hodierni Slavi sint. Non enim semper victores linguam suam victis communicare possunt, quandoque vice versa.

(4 dobro) notavi figuram τοῦ dobro; scripsit enim literis serbicis. Zadunaici appellatio ad Bolg., Serb. et Cherwatos pertinet. Ceterum illud egregie asseruit, quod et noster Mathias a Sudetis: Slavos omnes e Russia (Roxolania) progressos.

Servatur liber in bibliotheca palatii typographici Mosquae. Optarem et ego, ut in sermone aliquo ex omnibus dialectis constituendo conveniremus Slavi omnes, sed alio homine doctiore opus esset, quam Běliko, qui in Sibiria tempus fallere voluit, scribendo grammaticam slavicam, sine subsidiis manuscriptorum codicum.

A P. Justino non spero constituendam grammaticam meliorem, quam sint aliae, nisi velit consulere manuscripta antiqua. Russi enim in bibliis slavonismum corruperunt, et ille maxime bibliis utitur; e. gr. *jeſma* dualis est omnino fictus, nam *jeſwa* in 1ma pers. dici debet.

Quis, putas, aliquando restituere possit purum slavonismum? Per scholarum rectores id omnino fieri posset, sed quis imperare possit, ut vera sequantur omnes in omnibus provinciis, cum nec in orthographia conveniamus. Fac igitur periculum cum *verbi* schematibus, utrum habituri simus imitatores, posito, te probaturum, quae ego naturali methodo apte, ut credo, disposui. Nostri certe vulgares grammatici ordinem inverterunt, ponendo maxime regularia, serius formata, primo loco, et omnia verba primitiva ad classem anomalorum rejiciendo. Sed tempus urget, nec vacat, plura ad te nunc perscribere. Monere solum volui, ut examines mea, probes aut rejicias.

Addam tamen, si tibi non placeat thema repetere a praeteritis, ut misso imperativo praesens assumas, uti Graeci. Quis enim ex. gr. dažď, wižď, jažď, wježď pro themate habere possit; sed daju, rejecto ju, radicem exhibet — et ex *dadi* slavicum dažď ortum est.

Sed jam vereor, ne tibi festinatio mea molesta sit, cum nihil, nisi tumultuarie conjecta in chartam hic reperias. Mone autem de singulis, si otium fuerit. Doleo te podagrae tormentis affligi, — convalesce quantocius et Pragam te expedias. *)

CLVI.

1799 — 27. května. Dobrovský podává zprávu o českém evangelistáři Vídenském, o jeho některých grammatických zvláštnostech a slovech a zmiňuje se o českém rukopise hlaholským písmem psaném z r. 1116.

27. Maji 1799.

Fortunato suo Jos. Dobr. s. pl.

Credo ego te occupatissimum. Non est igitur mihi exspectandum, donec tu respondere possis. Perscribam itaque ad te, quando mihi visum fuerit, rarius ac saepius observationesque in vers. antiquiss. Evangeliarii Vindob. meas communicabo, varii generis. Ex innumeris quibus scatet erroribus, primam omnium vers. esse mihi persuadeo, ita tamen, ut oretenus propagata sit. Sub Spitigneo tamen sec. XI. medio jam scriptam fuisse, conjicio; neque enim errores et vitia tot et tanta, non tam interpretis, quamvis culpa non vacet, ob temporum ignorantiam, quam librariorum hallucinantium et minus diligentium, explicare aliter possis, quam sumendo, seculorum trium decursu ea nata fuisse. Suppono itaque MS. Vindob. e novem aut saltem 7 transumtis fluxisse successive, quorum singula novis semper foedata erant erroribus, donec tanta eorum copia succresceret, quantam in Vind. reperio. Quales praecipue notas desideres, jam quaesivi ex te. Nunc grammaticales aliquot dabo. Age igitur, videamus, duali numero num recte et semper usus sit.

Joh. 10, 28: de manu mea, duali numero reddidit: z mych ruku; v. 29. de manu, z ruku.

Luc. 9, 3: dwu ſuknu (lege ſukňu), duas tunicas.

Joh. 6, 13: ze dwu rybu, quod additamentum servarunt posteriores etiam codd. boh.

Luc. 24, 37: ruczye y noz*e*.

Luc. 5, 8: k nohama, ad genua (Cod. III. k kolenoma).

Matth. 6, 24: dwyema pano*ma*.

Luc. 7, 41: dw*a* dluzny*ky* byeſt*a* — dluz*na*; v. 42. neygmyegyſt*a* — obyem*a*.

Matth. 19, 5: budet*a* oba; v. 6. myſt*a* dwa.

Matth. 21, 42: w ocz*y* naſſy (sine *ch*) (Cod. III: w naſſich oczij).

Luc. 15, 5: na rameny ſwe, in hum. suos. (Cod. III: na ſwog*i* ramen*ye*) (Dual. in i antiquior est, quam in ě).

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Durichova.

2.

1786 — 25. května. Dobrovský děkuje za přátelské služby, připojuje některá přání a podává zprávu o výsledcích svého badání v rukopisech staroslovanských, o svých jiných pracích a o úctě sv. Cyrilla a Methoda v Čechách.

Die 25. Maji 1786.

Fortunato Durichio s. Jos. Dobrowsky.

Quamvis literae tuae mihi semper gratissimae fuerunt, tamen vellem, ut negligentior esses in mutuis amicitiae officiis exhibendis., quo sperare possim, me in hoc certamine tibi parem esse. Gratias ago maximas pro missa Caramani expositione, quam eo magis aestimabo, quod tua descriptam manu videam. Promiserat eam typis impressam cl. de Rossi, una cum III. volumine Variantium lect. mittendam. Reverendissimum dominum canonicum de Smithmer ut accedas, enixe peto, quaerasque ex eo, num II volumina pro subscriptoribus Pragensibus praesto sint, cum pecuniam pro duobus I. et II. se solvisse cl. Ungar asserat. Pro III. volum. tu interim florenos 4 aut 5 expones meo nomine, quos tibi mox remittam. Programma Frischii in meos usus describendum curabit dn. Zlobiczkyus, ut nuper per dn. Franz mihi significavit; quamquam haec notitia, quam diligentiae tuae debeo, mihi nunc sufficiat. Libros impressos a Frischio nominatos vix non omnes in variis bibliothecis servatos detexi. Kohlium nuper consecutus sum, quem multis in rebus hallucinatum tumet ipse optime noveris; habet tamen multa, quae nosse omnes cultores linguae et literaturae slavicae debent. Haec ideo adduxi, ne opus sit in posterum Kohlium excitare.

In Augusta Bibliotheca exstare manuscripta slavica charactere Servorum, ex Lambecio scio; hisne num jam usus est Schimekius, cujus diligentiam admiror opusque egregium jam desidero? Expositionem Caramani, ut jusseras, communicabo P. Dlabačžio, quam primum Pragam venero; de stigmatibus, quae commemoras, istud comperi, ea non deberi Caramano, sed Levacovichio, cujus Psalterii versionem cum integro Breviario Romae impresso iis typis, ut libri titulus testatur, quos Ferdinandus Caesar Congregationi sacrae de Propaganda fide donaverat, diligenter versavi. Ibidem haec signa occurrunt, uti Caramanus exposuerat. Psalterium a Nicolao descriptum diligenter conferas, velim, et certe comperies, illud non differre a versione cyrillica, cum ab hac ne Levacovichii (quidem) versio discordet, nisi in iis locis, quos, Vulgatam sequendo pressius, serius emendaverat. Hoc etiam nuper in manuscripto codice cyrillico, qui 4 Evangelia continet, e quibus var. lect. in usus meos excerpo, detexi: in fine vocum in consonantem desinentium semper scribi ь, nunquam ъ; aliaque memoratu digna observavi, ut *me* pro *mja, se* pro *sja, deset* pro *desjat, knez* pro *knjaz,* — *scii* in nom. plur. adjectivorum pro *stii*, *czedo* pro *czado, saczelo* pro *saczalo* etc. etc., quae si in codicibus Vaticanis, de quibus priori epistola mentionem feceras, reperiantur, scito eos codices non esse ruthenicos, hoc est, in Russia scriptos, sed dalmaticos, aut in confinio scriptos, cum vocabula plurima Dalmatarum more immutata sint. Estque in promptu causa, cur Jer solum ı in alpha-

myto, merces, Luc. 10, 7., apud Polonos hoc sensu in usu est; apud Lus. moto (*mo* pro my uti solent), apud Dalm. donum – in ms. slav. turpe lucrum, svecice *muta* est donis corrumpere. Plura alias. Vale.

(Adjungo folia duo ad controversiam nuper excitatam pertinentia; doleo his nugis tempus perdi.)

CLVII.

1799 — 15. července. Dobrovský podává zprávu o nově nalezeném zlomku českého passionálu, zve Duricha do Prahy a oznamuje, že hrabě Széchényi si přál učiniti mu návštěvu.

Fortunato suo Josephus D. s. pl.

Mitto tibi literas ad d. Pelzelium datas, ex quibus intelliges unum e discipulis rerum antiquarum investigatorem diligentem reperisse fragmentum (sec. XIV.) Passionis fragmento Vindob. in multis simile. Utinam liceret, integrum carmen, etsi serius descriptum, alicubi detegere. Remittes literas, quando tibi visum fuerit.

Opto, ut Pragam tandem aliquando te expedias. Si me abiturum rus Pragae non offenderis, saltem cubile meum inhabitare velis. Bibliothecae clavim tibi relinquam, ut possis excerpere Slavica et alia, quae placuerint. Volebat te excellentissimus Comes hungaricus Széchényi invisere, qui nunc bibliothecae suae catalogum edit, in quo multa Slavica exhibentur, quatenus nexum aliquem cum Ungaricis habent. Morabatur is paucis diebus apud affinem Comitem du Four Skalii; sed itineris difficultate se impeditum fuisse dixit jam jam Praga abiturus.

Addo opusculum ex parte novum, quo necessitati consulere voluit quispiam, nescio num tibi placebit; nimis enim properanter confici debuit.

Vale et mihi fave.

Pragae, die 15. Jul. 1799.

E domo Nostitziana aut per cl. Pelzelium duceris in hortum meum, si quidem adveneris.

CLVIII.

1799 — 26. července. Durich podává zprávu o zásilce rukopisu druhé části svého díla k tisku a odporučuje svého příbuzného Dobrovskému za sluhu.

Die 26. Julii 1799.

Josepho Dobrowsky suo s. p. d. Fortunatus.

Nudius tertius expedivi Viennam ad prof. Alter MSS., quo reliqua capita ad vol. I[i] p. II. pertinentia continentur, praesertim tabula alphabeti runo-slavonici Obotritarum e monumentis Maschii et Comit. Potocki collecta. Tuum jam erit de illo elementario meo labore judicium ferre. Fortassis nunc viso capite VIII. p. II. incipient Budenses tandem MS[um] typis edere et me sua cunctatione non vexabunt, quorum vel ipsa methodus exempla jam edita non vendendi his, qui ea emere et legere desiderant, Slavophilum ab opere scribendo retrahere deberent. Pace mea vel edant vel non opus illud, quod

desideratur; ego enim taedio jam afficior accedentibus aliis molestiis ad alias novas, quae me brevi conterent. Ut primum responsum alicujus melioris nuncii accepero, certiorem te faciam.

Nunc, amice dilectissime, interpellationem ad te habeo istam deponendam: habeo cognatum quendam Franciscum Durich, adolescentem octodecim annorum, non illum ex fratre nepotem, sed alium, qui cum staturae sit aptae pro militia, animo autem sit minus generoso ac idoneo huic statui, ceterum modestus, fidelis singulariter, bonae productionis, familiaritatem cum sexu altero declinans, obsequens, linguam quidem latinam ignorat, sed bohemice novit, etiam utcunque orthographice scribere, ut illo uti, praesertim accedente aliqua manuductione et praeceptis valeas. Hac de causa specimen scriptionis adnecto. Si quo servo ad tua obsequia egeres, optime atque fideliter tibi omnia ministeria praestaret. Pro praesenti esset utcunque honesto vestitu provisus; etiam exterior personae habitus non est indecens, qui aliquam nauseam creare possit aut aversionem promovere valeat. Ceterum ad tuam voluntatem se totum componeret. Si posses aut velles tali adolescente uti vel d. Pelzel, praestares mihi et parentibus ejus maximam gratiam, qui eum malunt honesti viri servitiis tradere, quam militiae exponere. Dignare igitur me per epistolam responsoriam instruere. Contentus interim foret, si tenuiter vitam sustentaret.

Pro Slovo slavenico, in specie czechico interim summas habeo gratias. Vale et cl. Pelzel meo nomine impense saluta.

CLIX.

1799 — 8. srpna. Dobrovský omlouvá se, že nemůže on ani Pelzl nyní přijmouti příbuzného Durichova do služby, zve Duricha do Prahy a vybízí ho, by v Praze vytiskl co má o nejstarších památkách českého jazyka, opravuje svůj omyl v dějinách české literatury o Husově abecedě, přeje, by se Durich dočkal dotištění v Budíně svého díla; rovněž přeje mu i stálého zdraví a všeho dobrého.

Fortunato Durichio suo Jos. D. s. pl.

Quam vellem, desiderio tuo satisfacere possem. Neque enim mihi gratius quidquam accidere potest, quam occasio quaecumque mihi a te oblata, tibi gratificandi; neque commodis meis provideri tutius posset, quam assumendo cognatum tuum, tantopere a te commendatum Sed non video, qua ratione id nunc fieri possit, cum et hortulanum alam pro ornando et colendo hortulo et vetulam lotricem sustentem. Salutavi etiam hujus negotii causa d. Pelzelium, qui mox d. de Schönfeld adiit, qui juvenem aliquem recipere ad typographiam suam voluit, ast Schönf. jam Praga Vindobonam abierat, cujus verbis omnino nunquam fidendum est. Hac spe cum etiam exciderim, nolui diutius exspectare et tibi scribere non tam quid sperandum sit ab aliis, quam quod a me fieri non possit.

Nunc quidem etiamsi maxime vellem, nihil certi ipse statuere possum, cum mihi intra paucos dies rus eundum sit. Rediturus post 6 hebdomades vellem te offendere in hortulo meo, si quidem tibi placeret per id tempus atque etiam longius habitaculum meum. Posses enim Pragam te conferre et

hic morari diutius — et si parata habes, quae de antiquissimis monumentis linguae boh. primo vol. adjicere volebas, seorsim hic Pragae edere, cum ea pars etiam emtores habitura sit, qui Slavica non adamant; possetque et accuratius hic edi, quam alibi, et tamen ea forma, ut ceu appendix vol. 1mo etiam adjungi posset ab iis, qui emturi vol. 1. carere non vellent hoc opusculo. Facile etiam bibliopolam sumtus ferentem hic reperies; et addere liceret e Matthaei Evangelio et Commentario, quae nuper in bibl. publica reperi in pergameno scripta charactere vere antiquo, ne quid ommitteretur, quod ad illustrandam eam hist. l. boh. pertinet.

De Hussi (ut putatur) alphabeto si quae dicturus sis, noli, quaeso, eundem errorem errare, quem p. 132. hist. l. boh. offendes, de alphabeto hoc in libello Prosnicensi an. 1547 reperiundo, in quem me d. Zlobicky lit. suis induxerat Dum enim nuper libellum hunc mihi mutuo dari peterem, ille ad d. Cerroni me remisit. Hic, qui alias omnia offerebat, hunc libellum se nunquam possedisse affirmavit. Neque alius h. anno Prosnicii libellus prodiit, quam Isagogicon, quod olim vestra bibliotheca possedit. In hoc certe alphabetum istud: A bude cele etc, non exstat. Ergo mentitus est d. prof. Zlobicky et incomperta scripsit. Plura nunc non habeo, quae tibi placere possent.

Si puero optimorum morum, quem commendasti, uti velles tu hic habitaturus usque ad reditum meum, fortassis ei providere possem de loco aliquo, qui tutum eum praestaret a servitute militiae; quamquam nunc nemo juvenum fere tutus sit. Vere doleo non posse me tibi et tuis hoc officii genus praestare nunc, dum vel maxime cuperem. Vale quam optime.

P. S. Utinam tandem Budenses prelo subjicerent opus tuum tot vigiliis elucubratum pensique haberent aetatem tuam. Ego quam maxime opto atque desidero, ut non alius, quam tu ipse sanus et vegetus finem imponas operi feliciter coepto et lente admodum progredienti, non culpa tua, sed aliorum. De aliis molestiis, de quibus conquereris, judicare non possem. Mallem tamen, te omni molestia et aegritudine liberum, animum servare pacatum et tranquillum, ut laboribus alacrius conficiendis par sis. Absit, ut te conterant taedium et molestiae. Macte animis! Sed vereor, ne tu inter tuos licet, te ipsum nimis facilem praebeas omnibus, pluribus prodesse cupiens, qua re fieri solet, ut molestiis carere non possimus. In his autem quis melius consulere tibi possit, quam tumet ipse, non video.

Iterum vale. 8va Aug. 1799.*)

CLX.

1799 — 11. října. Dobrovský podává zprávu o svém návratu do Prahy, zve Duricha sem a zmiňuje se o jeho díle, o Schönfeldově vydání »Russischer Dollmätscher«, lituje, že nemohl pro odporučeného mladíka místa najíti.

Pragae, die 11. Octob. 1799.

Fortunato suo Jos. Dobrowsky s. pl. d.

Incolumem me rediisse Pragam hisce tibi nuncio. Spero et te optime valere. Miror, te urbem nostram non adiisse. Nimirum otio tuo felix non

*) Na čtvrté straně originálu jest adressa Durichova.

curas urbis sollicitudines. Persuasum autem te esse velim, te vultu tuo amicorum non paucos recreaturum fuisse. Sed jam age, quod agis, et haere, ubi majora solatia captas

Quid audis de operis tui curis; num tandem aliquando prelum exercebit? A prof. *Schnurrer* consultum fuisse opus tuum leges in praefatione libelli, quem tibi offero. Adjeci et indiculum, eo consilio editum, ne emtores deciperentur Schönfeldiano grammatico (*Sprachmeister* oder Russischer Dollmätscher) seu interprete, quem ille e libello Hülfsmittel excerpsit, lucri causa plagium committens. Sed ille nullo jam ignominiae metu ducitur. O mores!

Doleo, me in causa juvenis a te commendati nondum occasionem habere, tibi gratificandi. Tu vero mihi favere non desinas. Vale quam optime.

CLXI.

1800 — 12. října. Dobrovský zmiňuje se o návštěvě Ř. Terlaiče a O. Samborského v Praze, a vyřizuje pozdravení tohoto, podává zprávu o tisku druhé části jeho díla, zmiňuje se o jeho nemoci, nabízí mu své služby a radí, by neodmítal rady lékařské, a zakončuje drobnými zprávami.

Octobris 12. die 1800.

Fortunato Durichio amicorum integerrimo s. pl. d. Jos. Dobrowsky.

Sorti tuae, quam d. Franc. Tomsa ante paucos dies mihi narrando exposuit, vehementer indoleo et quidem et tui et boni publici causa. Etsi sciam te rescribere non posse, tamen scribere volui duabus de causis. Primum enim expedienda mihi est salus nomine Andreae Samborski, abbatis et confessarii principis Alexandrae Pawlownae, uxoris palatini Ungariae, qui cum Gregorio Terlecž, Budensi nunc cive, olim Vindobonae commorante et te e facie noscente Pragam e thermis Carolinis redux, me invisens multa de te rogavit optavitque te invisere. Sed iter alio directum impedimento ei fuit. D. Terlecž summopere gavisus fuit, dum ei exposuissem, te jam libri tui continuationem Budam misisse.

Deinde Zlobickyus haec ad te perscribenda injunxit: Der Direktor Lakics befindet sich hier und sagt, dass an dem 2[ten] B. Durichs Slav. Bibliothek bereits gedruckt werde, nur möchte Durich fleissiger fortarbeiten.

Dolens haec scribo, cum sciam te ea sine gemitu non lecturum. Quamquam ego non desperem de restituenda valetudine tua, qua afflicta nunc laboras, tamen ipsa jam provectior aetas magno erit impedimento. Quare si qua fieri per me velis, quae ego praestare possim, dicta epistolam. Si vero providenti numini placeret, te potius solutum ad meliores sedes recipere tuque praesentires momentum illud temporis, optarem, ut ita disponeres de rebus tuis, ut quaedam, quae mea sunt, futuro usui apta, certo ad me perferantur. Si donum curationum haberem, utinam primaeva secula redemti orbis redire possent, ad te non tam irem, quam volarem. Interim si quid votis precibusque efficere liceat, juvabimus te omnes, quotquot animi tui integritatem atque modestiam reveremur, ne officio humanitatis desimus, qui amici a te vocamur et sumus. Sed homo proponit, Deus disponit. De me-

C.

Č.

D.

E.

F.

G.

H.

Ch.

I.

J.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

Š (Sch).

Z.

Ž.

— — —

Opravy tiskových chyb.

Na str.	ř.	stojí	za
16.	1.	Vinnae	Viennae.
22.	21.	literarních	literárních.
26.	4.	promtitudine	promptitudine.
29.	10.	Tento ... nezachoval	otištěno na str. 119. atd.
94.	36.	Evangeliarum	Evangeliarium.
101.	1.	Vinnae	Viennae.
104.	2.	Grisbachius	Griesbachius.
105.	6.	Egnes	Eques.
123.	34.	slavicav ocabula	slavica vocabula.
167.	38.	Monfauconii	Montfauconii.
174.	27.	linquae	linguae.
227.	36.	Wanefrido	Warnefrido.
238.	8.	Wertembergiam sacram	Wertembergia sacra.
240.	1.	Ballenberg	Gallenberg.
245.	42.	Viener	Wiener.
261.	41.	Mnisch	Mnischowský
249.	14.	manucripta	manuscripta
251.	34.	Fulfzhak	Tulfzhak.
256.	31.	Devisio	Divissio.
276.	11.	Kuteinensis	Kuteinenses.
285.	23.	vta	Vta.
291.	13.	Chrisostomus	Chrysostomus
298.		Dobrowský	Dobrovský.
393.	11.	Pyšely	Pišely.
424.	27.	arbitror.	arbitror.

V mnohých výtiscích tohoto vydání nebyly jasně otištěny tečky na př.:

str. 11. ř. 26. heb.
» 28. » 27. edit.
» 61. » 3. an.
» 104. ř. 39. Luneburg.
str. 315. » 21. programm.
» 341. » 8. an.
426. » 19. Zlob.







